D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ERLANGENSIS PROFESSOR.

TOMUS III.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. X — XV.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXIX.

IN PRIMUM LIBRUM MOSE

ENARRATIONES

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

PLENAE SALUTARIS ET CHRISTIANAE ERUDITIONIS,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTAE.

TOMI I. PARS III.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DECIMUM CAPUT GENESIS.

Hae sunt generationes filiorum Noah, Sem, Ham et Iapheth. Natique sunt illis filii post diluvium.

Etsi hoc decimum caput in speciem sterile, et nullius usus esse videtur, ac nos, post tot regnorum et populorum mutationes nati, non habemus, quod de singulis, qui hic numerantur, dicamus, tamen non decet, ut silentio id praetereamus.

Primum igitur est, quod Moses in hoc capite orbem terrarum post diluvium dividit in tres partes, juxta tres filios Noah. Quanquam autem nostrae quoque literae in tres partes orbem dividunt, Asiam, Europam et Africam, tamen Moses ab hac divisione variat. Nam ad Europam etiam eam partem adjicit, quam dicimus Asiam cum aquilone, quae usque ad mare mediterraneum, qua Palaestinam attingit, progreditur. Eam partem aquilonarem una cum tota Europa tribuit filiis Iapheth, qui, sicut numero plures sunt, ita etiam ampliorem locum occuparunt,

Alteram partem orbis terrarum facit hanc, quam vocamus Africam, quae complectitur Aethiopas quoque, et pertingit usque ad Herculis columnas.

Tertiam partem tribuit Sem, Iudaeam scilicet; sed non eam solam. Nam addit Persida, et alios tum orientales, tum meridionales populos.

Generatio Iapheth.

Filii Iapheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Iavan, et Thubal, et Mesech, et Thiras.

Iapheth relinquit ex se septem filios: ac reliquorum nomina retinuit scriptura sancta, solius Thirae nomen intercidit, nec usquam in scriptura invenitur.

Gomer est primus filius; hunc Hieronymus putat esse Galatarum patrem. Sed mihi ea pars minor videtur, quam ut huic Patriarchae competat. Et constat, Galatas esse Germanos, sicut dicunt, quod adhuc hodie Germanica lingua, hoc est, Saxonum idiomate utantur.

Ex Ezechiele (38, 6.) certum est, quod sint aquilonares populi. Itaque judico, esse eas gentes, quae habitant ad Bosphorum Cimmerium; nam vocabulorum vicinitas non leve argumentum est. Quanquam autem populi, qui hodie ea loca habitant, inquilini et non αὐτόχθονες, hoc est, non indigenae sint, tamen de loco ideo non potest dubitari. Et usitatus est literarum g. et s. vel c. symbolismus, sicut Italorum et Belgarum pronuntiatio probat. Puto igitur, Gomer habitasse cum posteris Cimmerium Bosphorum, Maeotin et vicina loca ad septentrionem.

Magog qui sit, puto certum esse. Ezechiel ca-

pite 38, et 39, nominat Gog et Magog. Significat autem גג tectum. Itaque Gog habentur pro Scythis, qui non vivunt in aedibus, sicut nos, sed itantum sub tabernaculis, seu tentoriis.

Sicut etiam hoc nomine Turci gloriantur, quod non magnifice aedificant, sicut nos, qui ornamus civitates magnificis aedificiis, et extruimus arces tanquam perpetuo victuri. Hanc nostram sive curam, sive ambitionem rident Turci, et sanctimoniae partem putant, habitare non splendide, itaque et vineas vastant, et aedificia splendida demoliuntur. Similem vitae rationem sequuntur aquilonares populi, quos Tartaros vocamus; hi enim etiam tabernacularii sunt, ut Ebraei vocant, [illegible] sunt una cum Scythis et aliis gentibus.

Madai noti sunt. Non enim dubium est, quin, sicut nomen etiam arguit, sint Medi, quanquam certior ratio sumitur ex historiis sacris, quae Darium Madai vocant; hunc autem Medum fuisse etiam gentium historiae testantur.

Iavan haud dubie est Ianus, unde locus Ianiculum. Etsi autem quibusdam videtur, Iones ab hoc dictos, tamen certum est, Italiam quoque quondam fuisse usam Graeca lingua. Unde maritima loca appellata sunt magna Graecia, et Pythagoram ibi docuisse historiae probant. Nihil igitur prohibet, quin Iavan statuamus cum posteritate sua minorem Asiam, et omnem a Cilicum sinu oram maris mediterranei usque ad extima Hispaniae tenuisse. Ideo diserte post de ejus filiis dicit, divisas ab his insulas maris; nam mare mediterraneum multas insulas habet. Ante Trojana tempora quae Italiae ratio fuerit, ignoratur; itaque crebris mutationibus jactata ea loca puto.

Thubal Hieronymus putat esse Hispanos; se mihi videtur ad Tartaros pertinere: fit ejus menti apud Ezechielem quoque, 38, (v. 3.).

Mesech putat Hieronymus Cappadocas esse. Se ex Psalmo apparet, esse Armeniam majorem, ul Gorgiani et Caspii sunt. Dicit enim Psalmus (12(5.), se habitare cum habitantibus Kedar et Mesecl De Kedar autem certum est, esse eam Arabiam p traeam, quae postea Moabitas, Edomaeos et Amm nitas habuit. Horum aquilonare latus Mesech es Ego libenter dicerem, ratione nominis motus, es Moscomos, ac fieri potest, ut ex Armenia in ea loc quae nunc tenent, migraverint; sicut saepe popu migrarunt in alia loca, quae, pulsis colonis, occ parunt.

Thiras qui sint, ignoratur. Nam hoc nom scriptura nusquam repetit. Hieronymus Thraces es putat, ac vocabulum aliquo modo alludit.

Haec est posteritas patris nostri Iapheth, que etiam poëtae norunt et Iapetum appellant. Ex h sunt propagati omnes populi aquilonares, Med Scythae, Tartari, Cimmerii, Poloni, Vandali, Da Germani, Graeci, Itali, Galli, Hispani. Toties aute mutatae linguae argumento sunt, saepe mutatos h bitatores esse.

Porro filii Gomer: Ascenas, et Riphatl et Thogarma.

Ascenas magno consensu Iudaei dicunt esse G manos. Quanquam autem hoc ex sacris literis prol ri non possit, tamen, quia nihil habemus aliud, benter admittimus. Meminit hujus etiam Ieremias c *pite* 51, (v. 27.), quanquam nostra translatio n

habet proprium nomen, sed appellativo reddidit. Eusebius Gothos esse dicit, sed hos Germanos fuisse certum est.

Descendimus igitur nos Germani per totam lineam a primogenitis Iapheth. Quamvis autem haec non sit gloria coram Deo, tamen significatur, aliquid fore regnum hujus Ascenas, si quidem primogenitus est. Deinde obscure etiam hoc indicatur, futurum, uti veniat ad cognitionem evangelii; utrumque enim primogeniturae privilegium est. Haec non obscura significatio est, quod Deus hanc nationem misericorditer respexerit, et singulariter voluerit honorare. Sicut etiam historiae testantur, Germanicam nationem semper laudatissimam esse habitam.

De Riphath, sicut de Thiras, nihil extat amplius in sacris literis. Nec gentilium literae aliquid habent, nisi quod Riphaeorum meminerunt, et montium eodem nomine, in quibus fabulantur gryphes aurum colligere. Sed de montibus fabulosa esse, nemo dubitat.

Quare hoc unum statuimus, fuisse hos quoque aquilonares populos, sed deletos aut oppressos per Tartaros; sic enim solet Deus peccata regnorum punire. Sicut in Amos (9, 8.) dicit: „Ecce, oculi Domini Dei super regnum peccans, et delebo illud a facie terrae". Et in Daniele 2, (v. 21.): „Qui transfert regna, et constituit". Manent igitur utcunque regnorum nomina, sed habitatores delentur, et pereunt propter peccata. Sic Turca devoravit Graeciam, Gothi Hispanos, et tamen manent nomina vetera. Hic cursus rerum in mundo est; sunt autem haec scripta pro honore scripturae sanctae.

Thogarma quis sit, nemo novit. Meminit ejus

Ezech. cap. 27, (v. 14.), et recenset inter populos aquilonares. Mihi videtur ad Tartaros pertinere. Quidam divinant, Phryges esse, et quaerunt affinitatem nominis in Tigrane; sed quantum haec valeant, penes lectorem sit.

Filii autem Iavan: Elisa et Tharsis, Kitthim et Dodanim. Ab his divisae sunt insulae gentium, in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam et familias in nationibus suis.

Elisa Hieronymus Aeoles esse censet; sed opinor, fuisse ampliorem ditionem: meminit Ezech. 27, (v. 7.).

Tharsis Ciliciam dicunt, in qua civitas Tharsus, Pauli patria, neque ego repugno.

Kitthim in scriptura sancta sunt celebres, ac fere redditur pro Italia. Sed meo judicio proprie Graecia est, cum vicinis litoribus Italiae et Galliae. Meminit hujus Bileam, Num. 24, (24.): „Venient naves ex Kitthim". Item Esaias (23, 1.), cum praedicit vastationem Tyri et Asdod, per Alexandrum futuram.

Ac Macedonia nomen habet a Kitthim. Nam litera מ apud Ebraeos praepositiva, si cum כִּתִּים componatur, facit מַכִּתִּים, quam nos Macedoniam appellamus. Sed inquies, cur Graecia a Macedonia haberet nomen, quae ignobilis Graeciae reliquae pars est? Respondeo: Haec ignobilis pars monarcham totius orbis terrarum protulit. Recte igitur celebratur tanquam caput Graeciae, si quidem totius orbis caput est.

Dodanim interiisse puto. Nam si ab hoc dicti

issimi viri, praesertim usque ad illud tem-
io populus Iudaeorum certa lege a reliquis
discretus est.

od autem dicit, divisas ab his insulas maris,
t, eos fuisse peritos navigationis, quam sine
idicerunt, sumto exemplo ab arca. Quia au-
ilivit Deus regnum eorum, existimo, reli-
os cultus veros a Patribus acceptos, et usur-
ecclesia. Nam impiorum et idolatrarum reg-
constituit Deus, sed evertit. Quod Plinius
4, 23.) dicit, quasdam insulas emersisse ex
an verum sit, nescio; mihi videtur verisimi-
e, quod ab hominibus navigandi peritis sunt
et habitatae, sicut hic Moses indicat.

ec est posteritas Iapheth, in qua sine dubio
mi Patres fuerunt, qui suam posteritatem et
iter et corporaliter recte gubernarunt, erecti-
ibus in iis locis, in quibus habitarunt. Quia
x de cultu in certo loco nondum erat posita,
erat ubique sacrificare, sicut hodie ubique

ne, quo non solum illustrantur, sed aluntur quo
omnia; sed posteritas in idolatriam haec vertit.
cut Chaldaei postea adorarunt ignem, sicut Tur
usurparunt circumcisionem, et nos ab Apostolor
doctrina deflectentes, incidimus in detestandam i
lomaniam, quam impia Pontificum turba prop
quaestum uberem in ecclesiam invexit. Semper en
fidem piorum stulta imitatio impiorum secuta
quae omnis calamitatis in ecclesia fons et origo fi

Sed majores fuerunt magni et praestantes v
inter quos Ascenas noster singularis heros fuit, p
tate insignis, et manu quoque promtus. Ac Gern
nia hodie praeter alias dotes, quas habet insign
etiam luce verbi clara fruitur, quod summum don
est, ac beati sunt, qui eo sancte utuntur.

Singulariter autem notat Moses, linguas et
milias horum distributas fuisse in certa loca, ost
dens, hoc modo constituta imperia. Hoc sine dul
ab ipso patre Noah factum est, qui hunc in Asia
illum in Graeciam, alium in Italiam navigare jus
et ibi respublicas et ecclesias instituere. Ac obedi
tes filii et nepotes senserunt benedictionem Domi
Itaque haec exempla nobis proponuntur insig
obedientiae erga parentem Noah, et diligentiae s
gularis in constituendis ecclesiis et regnis; dein
etiam concordiae verae, qua et ecclesiae et respul
cae floruerunt, donec sceleratus Ham orbem ter
rum perturbavit, sicut in sequenti capite audiem

Utile autem esset, quoniam historiae hae int
ciderunt, scire etymologias istorum nominum. N
enim incertam rationem sanctos Patres secutos e
judico, Spiritu sancto plenos, et praevidentes fu
ros tum in ecclesia, tum rebuspublicis eventus.

supra aliquoties indicavimus similia exempla, ubi aut temporum, aut negotiorum rationem nomina ostendunt. Sed quoniam interciderunt historiae, etsi etymologias possemus scrutari, tamen divinandum esset de ratione etymologiarum.

גֹּמֶר significat finientem, seu finem, seu consummationem; itaque singularis quaedam isto tempore calamitas incidisse videtur, ut putarent, jam actum esse de ecclesia. Sed frustra cogitamus de ignotis; itaque hanc curam otiosis committimus.

Generatio Ham.

Filii autem Ham: Chus, et Misraim, et Phut, et Canaan.

Profecto mirum est, quod prius posteritas impii Ham recensetur, quam benedicti Sem. Sed fit hoc fortasse secundum dictum Christi in evangelio (Matth. 19, 30.), quod in regno Dei novissimi fiunt primi. Ad hunc modum, sicut hic Ham ponitur inter Iapheth et Sem medius, ita videmus, impios in medio ecclesiae quasi seminatos, optimum et praestantissimum locum obtinere.

Ad hoc accedit, quod non contenta Ham posteritas sorte sua est, sed invadit etiam generationem Sem et Iapheth; nam occupavit non solum orientales et aquilonares aliquas partes, sed etiam meridionales. Nam Chus sunt Aethiopes, quos hodie vocamus; tenent non solum mediterranea Austri, sed etiam maritima. Mizraim Aegyptum esse, non dubium est.

De Phut nihil certi exstat. Itaque hunc quoque propter peccatum cito periisse puto. Commentarii

scribunt, esse Libyos seu Afros, hoc est, Afric qua attingit mediterraneum, Numidiam, Mauritani et Cyrenaicam; ac in Numidia dicunt esse flum nomine Phut.

Canaan est omnium celeberrimus, quod occu vit illud regnum, quod postea filiis Israel est tr tum. Vide autem, quae verae ecclesiae in hoc m do fortuna sit. Ham a patre Noah maledicitur, c tra Sem et Iapheth benedicuntur. Sed an non e tus contrarii sunt? Nam Canaan, filius Ham, o mam et praestantissimam portionem terrae possi nam in terra Canaan Paradisum fuisse credo, et lus ille locus est, in quo postea Deus voluit ec siam et populum suum esse. Has orbis delicias Ham cum sua posteritate possidet, ecclesia inte affligitur et eget, et tamen non perpetua est im rum fortuna; ad extremum enim Canaan misere statur, populus autem Dei triumphat.

Nomen Canaan fatale est; significat enim m catorem; ac semper in mundo emporia fuere c berrima. Itaque Tyrus et Sidon huic toti regno men dedere, in quibus mercatores habitarunt. sunt alia emporia, quae in sacris literis magis c brantur. Et gentilium quoque historiae ostend per totum orbem has urbes fuisse celeberrimas. I Carthago colonia earum fuit, et Ezechiel (26, appellat Tyrum fortitudinem maris, seu dominam

Ham igitur, excepta Arabia, sinu Persico et dico, totum latus meridionale tenuit, praestantissi partem orbis terrarum. Ubi igitur maledictio r sit? Haec dilata, non ablata est, ut implerent n suram suam impii, et magis redderentur se Contra ecclesia subjicitur afflictionibus, ut t

...stiquere aeterna bona et veram benedictio-
...

Filii autem Chus: Seba, Hevila, et Sabtha, et Rama, et Sabtecha.

Hi quinque Aethiopia filii occuparunt Arabiam ...sinum Persicum et sinum Indicum, ubi Hevila est, 1. Mos. 2, 11. Seba dicunt adhuc esse ...Aethiopum urbem.

Filii Rama: Scheba et Dedan.

Rama seu Raëma est pater Arabiae felicis; ejus ... Scheba tenuit ditissimam meridiei regionem, ... prae caeteris terrae partibus in historiis maxi... celebratur. Quid multa? Sem et Iapheth steriles ... sortiuntur, palustria et inhospita loca, Ham ... tenet reliquias Paradisi, ubi nihil quam aro...ata, aurum, gemmae nascuntur.

Accidit autem hoc certo Dei consilio, qui im...iis omnium rerum largitur copiam, sicut etiam ava...s eam quaerunt, et apponunt cor ad tale studium. ...itur non sinit Deus, ipsorum conatus frustra esse. ...terim filii Dei esuriunt, sitiunt, algent, suspendun...ur, comburuntur. Cur hoc? Nimirum ut intelliga...mus, nobis alias opes in verbo promitti, et per Fi...lium Dei partas esse; has cum impii negligant, oc...cupantur corporalibus, quae affluunt eis, si quidem ...nto studio eas quaerunt.

Sic Romanum imperium incredibili potentia ...eus cumulavit. Turcae hodie mirabili successu fines ...os amplificant. Hoc Dei consilio offenduntur infir...i filii; itaque aegre ferunt, cum impios florere vi...nt, qui Deum et homines rident, se autem in luc-

tu esse, et calamitatibus tantum non opprimi.
Deus sic solet ab initio mundi, sicut Patriarch
primorum exempla testantur. Cain homicida pr
aedificat civitatem, Ham optimam terrae partem
titur.

Quid igitur mirum, si hodie quoque Tur
Pontifices sint felices? Omnibus enim seculis i
mundo compertum est, quod impii florent sicut
num terrae (Psalm. 92, 8.). Contra pii flagell
quotidie, sicut egregie Psalmus 73, (v. 13. 14.
concionatur: sed, dum sic florent, vere ponunt
lubrico, ut praecipitentur ad interitum.

Grave fuit Lazaro (Luc. 16, 21.) intueri in
tis doloribus divitem affluentem omnium rerum
pia; sed spectaculum, quod post mortem in inf
dives ille exhibet, an non miserrimum est? Non
tur offendamur ista impiorum felicitate; aperia
oculos spiritus, et cogitemus, frui eos transi
et fallacibus bonis in hoc mundo. Nos autem,
affligimur, et in timore Dei vivimus, habemus s
aeterni regni, ubi e contra impii aeternis subji
tur poenis.

Nimrod.

Porro Chus genuit Nimrod: ipse coe
esse potens in terra, et erat robustus
nator coram Domino. Ab hoc exivit p
verbium: Quasi Nimrod robustus vena
coram Domino.

Nimrod non numeratur inter reliquos f
Chus, quod forte ex scorto natus est. Hujus h
riam Moses diligenter explicat, et celebrat eum

loah posteris. Sicut enim de urbe Cain,
nte diluvium commemoravit, cum primus
i affectaret imperium, et aedificaret civitatem
suo nomine voluit appellari; ego quae*) ut
puto, qua post diluvium Babel (nam, ut
ethnicorum historiae testantur, pulcherrima
planities fuit): ita post diluvium primus
uaesivit orbis terrarum imperium, non con-
ridionali parte, extendit manus ad orientem,
d Sem spectabat. Igitur Moses diligentius
iam explicat, ut quasi eminentior in loco
spicuus esset ad terrorem impiorum et
nem piorum.
n fatale est. Nimrod enim dicitur a מרד
ificat apostatare et rebellare: sive quod ille
lo fratres, et maxime piorum familias, ut
t fines suos, sive quod natio haec tum
lesciscere a filiis Sem et religione eorum,
rit sibi singulare imperium supra omnes
h.
Moses addit: „Ipse coepit potens esse in
n jussu divino, nec voluntate Patrum Sem
hsad, sed per tyrannidem. Non autem sine
sanguine putabimus haec gesta esse. Hic
nus sive Turca, sive Papa fuit in terra post
Fuit enim ejus manus contra omnes tum
tum politias, donec per tyrannidem sibi
mperium, quod tamen non ad ipsum, sed
ertinebat, sicut etiam sacerdotium. Sed filii
oli oportuit patris similem esse; „Satan
icida est", (Ioh. 8, 44.).

—

egoque — quo.

Porro potentem in terra esse, non est per malum; licuit enim ei suo loco regnare, ac ten sine dubio optimam partem terrae. Sed non conte tus suis finibus, invadit vicinos.

Et quod pessimum est, non vult tantum es fortis venator in terris, sed etiam coram Domin hoc est, non tantum in politia voluit esse pote sed etiam regnum tenere voluit in religione, eam i vadit, et in ea tyrannidem exercet, sicut Papa ho Hanc tyrannidem qui habet, non sicut venatores se tatur lepores, cervos, apros, sed insidiatur ju sanctis, prophetis et sacerdotibus Dei, hos venat capit et occidit, qui cari Deo sunt, qui fidem h bent, in quibus Deus ipse per Spiritum suum h bitat.

Nam quis de illo dubitabit, quin sancti Patr habuerint semper coetus suos et conventicula su ubi docerent juventutem, ubi concionarentur, or rent, prophetarent, laudarent Deum? Non enim e clesia sine verbi assiduo usu exsistere potest, et se per habuit ecclesia Sacramenta sua, seu symbola gr tiae, et caeremonias. Sic Habel et Cain ad sacrifici a patre assuefacti, qui tum cultus Dei erat, sacrifica bant. Ad hunc modum Sem conventicula, concione cultus, sacrificia et alias caeremonias habuit, quae u que ad Abraham durarunt.

Haec, quae Sem administrabat a Deo jussus, i vadit venator hic, et non contentus tyrannide in r publica, etiam in ecclesia vult dominari, erigit nov cultus, eos, qui coram Deo sunt, opprimit. Nam M ses diserte distinguit duos conspectus, alterum cora Deo, alterum coram hominibus. Quod igitur cora

De

Deo bonum et justum est, id mundus semper judicat malum et injustum.

Sic Nimrod in suis oculis et coram toto mundo habitus est, quod coram Deo sit fortis venator, hoc est, est habitus pro sacerdote summo, pro capite ecclesiae, et omnino talis, qualem se hodie Papa vult haberi. Nam oculi carnis Papatum non possunt judicare, quod malus sit: qui autem Spiritum sanctum habent, et verbum retinent, hi judicare possunt. Sicut autem Papae hoc nostrum judicium intolerabile est, vult esse caput ecclesiae: ita Nimrod quoque hunc titulum ferro et vi sibi vendicavit, quod voluit coram Deo esse fortis venator, hoc est, dominus in ecclesia.

Ad hunc modum pingit scriptura tyrannum, qui non tantum aliena regna, sed religionem quoque invadit, idque pulcherrima specie, ut nemini subolescat, hoc agi, ut coram Deo venator sit, seu, ut in ecclesia dominium quaerat. Sicut Papa fecit, qui se servorum servum appellavit.

Hac specie Nimrod quoque texit consilia sua, ut haberetur pius, clemems, reipublicae utilis et ecclesiae necessarius; alioqui non erat habiturus tantum applausum vulgi. Sed vere Nimrod est, apostata et tyrannus, vexator et direptor generis humani, ac postea persecutor et occisor sanctorum hominum et verorum sacerdotum, qui conati sunt ei titulum tam magnificum eripere, et hominum saluti consulere. Nam pii, qui verbum retinent, nec possunt, nec debent impiorum consilia et conatus dissimulare. Hoc cum faciunt, intentatur eis gladius et arma, et exercetur injusta tyrannis in ecclesiam.

Quod igitur Nimrod appellatur venator, hoc neu-

tiquam intelliges de illa usitata principum venatio- cui tamen quidam insano studio sic indulgent, etiam seriis negotiis eam anteponant, et malint st- nui venatores, quam sapientes gubernatores aestim- ri. Sed ostendit Moses, Nimrod homines, non fe- venatum et persecutum, ac praecipue eos, qui eccl- siam gubernabant doctrina.

Hic igitur titulus addendus erat impiorum pri- cipum titulis, et pingendus in ipsorum insigni- sicut Moses facit, qui ab hoc dicit natum prov- bium, quasi dicat: Hic postea generalis titulus f- omnium tyrannorum et principum; hujus enim exe- plum secuti, non solum invaserunt respublicas regna, ut augerent dignitatem et potentiam su- sed etiam usurparunt jus in ecclesiam. Sicut nost- tempore Moguntinus Episcopus, praeterquam q- expilavit Episcopatum suum, etiam ecclesias pert- bat, dum sanam doctrinam excludit, et cogit ho- nes ad impios et idolatricos cultus.

Vocat autem Moses „robustum venatorem", c- nemo resistere potuit. Habent enim cum apostasia perfidia conjunctam potentiam tyranni, qua mu- facile perficiunt, quod volunt. Mihi non dubium e- quin Moses voluerit hac quasi pictura complecti l- gendam omnium tyrannorum, qui etiam posterior- bus temporibus in rempublicam et ecclesiam er- grassaturi, quod vocat Nimrod potentem persecut- rem sanctorum Dei, et hostem verbi ac eccles- Quae sequuntur, pertinent ad descriptionem reg- quod Nimrod sibi paravit.

laea cum orientalibus regionibus. Notum est,
quod terra Sinear vocatur planities, in qua
aedificata est Babel, quae fuit principium regni
od.

onitur autem fere hic locus ad hunc modum,
a et eadem civitas Babylon fuerit divisa in
partes, et earum nomina fuisse Babel, Erech,
Calne. Nam Plinius (H. N. 6, 26.) tan-
fuisse magnitudine, ut habuerit quadra-
x curias et plebes. Et Aristoteles (Pol. 2,
ed. Sylb.) auctor est, Babylonem non civi-
d provinciam fuisse, cinctam muro. Itaque
rum, si tanta civitas in quatuor principales
tes, seu ordines distributa fuit, sicut Roma
a fuit in patricios seu senatum, equites, ple-
colonos. Et Hebron ideo קִרְיַת אַרְבַּע
quod fuerit tetrapolis.

hunc modum praesentem locum quidam ex-
sed movet me, cur hanc sententiam non se-

Et nobis satis est scire, quod Babylon aedificat sit a Nimrod, forte eo in loco, quo prius Cain aedificaverat civitatem Hanoch: item, quod Babylonium regnum coeperit per Nimrod: id paulatim ea incrementa sumsit, ut a Daniele numeretur prima monarchia. Sicut autem regna sua quasi fata habent, quibus moriuntur, ita historiae sacrae ostendunt, regiam dignitatem translatam postea ad Niniven et Assyrios quanquam inde quoque rursus ad Babylonios devoluta est.

Quaeritur autem hic, an Babel aedificata sit ante istam celebrem turrim, quam excitaverunt filii Ham in terra Sinear? Ego etsi certi, quod dicam, nihil habeam, tamen sentio, Nimrod fuisse auctorem ejus aedificii, ut sibi pararet aeternum nomen in mundo et apud posteros. Postquam autem divinitus confusam et impeditam hanc aedificationem vidit confusis linguis, tum demum coepit aedificare civitatem Babel. Atque hanc sententiam ut sequar, facit appellatio בָּבֶל. Hoc enim nomen ex eventu inditum civitati esse res arguit.

Habemus ergo jam primum regem et imperatorem mundi, qui, etsi est hostis ecclesiae et Dei, tamen totius orientis imperium occupat.

De terra illa egressus est Assur, et aedificavit Niniven, et Rehoboth-Ir, et Calah Ressen quoque inter Niniven et Calah haec est civitas magna.

Postquam Babylonium regnum confirmatum est succedentibus temporibus Assur inde egressus aedificavit ipse quoque civitatem Niniven, cujus etiam *gentium* historiae meminerunt, ac translatum in eam

est imperium totius orientis. Sed qua occasione, et quibus temporibus Babylon vastata sit, nusquam legitur.

Faciunt autem Niniven quoque tetrapolin, ac Ionae historia ostendit, amplissimam fuisse civitatem, cujus hodie Europa similem non habet. Quodsi fuit tetrapolis, Ninive fuit ceu meditullium et optima pars civitatis, in qua aula fuit. Rehoboth fuit negotiatorum, Ir senatus, Calah autem colonorum. Ab his partibus Ressen fuit aliquantum semota, in qua habitaverunt hortulani. Nihil enim habemus certi; conjecturas sequimur in tanta vetustate.

De Assur quoque disputatur, an is sit, qui numeratur in genealogia Sem, an vero alius? Ego quanquam certi nihil possum polliceri, tamen, si liceret divinare, ita existimarem, Assur, filium Sem, de terra Babylonis egressum, sicut postea Abram exivit de terra Chaldaeorum.

Vocabatur Abraham divinitus, nec deserebat patriam sponte: Assur autem improbitas et furor impiae generationis Ham exire coëgit, quod non potuit ferre impios cultus et idolatriam posterorum Ham. Cessit igitur furori eorum, et conjunxit se cum nostris majoribus, cum posteritate Iapheth, ut his aliquando esset vicinior, et aedificavit Niniven. Ideo Dominus Niniven dilexit, sicut apparet ex Ezechiele et Iona, ac ornavit eam, ut esset monarchia. Ideo comparat eam Ezechiel (31, 9.) formosissimae arbori et late patenti.

Tandem ad has reliquias Sem etiam Ionas missus est, ac conversa Ninive egit poenitentiam, et agnovit Dominum, ac servata est. Nec temere est, quod Ionas (3, 3.) eam appellat civitatem Dei magnam.

Nam quod ideo Dei civitatem appellet, ut Judae somniant, quod magna fuerit, hoc valde ridiculum est. Quicquid enim Deus facit, magnum est, etsi tantum ad unum hominem pertineat. Ideo potius D civitas appellatur, quia habuit veram religionem, divinitus conservata est, propter bonum virum Assur qui impatiens idolatriae, deseruit priscam Babylonem et migravit in aquilonares partes ad Iaphithas, atque ibi collegit ecclesiolam.

Haec conjectura mihi prae aliis placet de Assur, qui exivit e Babylone, vitans scandalum idololatriae, et cogitans de ecclesia sanctae posteritati relinquenda. Nam cum historiae nihil de hac re doceant, praeter conjecturas nihil habemus.

Quia autem, sicut supra (v. 10.) de Babylone ita hic quoque de Ninive dicit, aedificatas cum ea alias tres civitates, Rehoboth, Ir et Calah, nunc in eam cogitationem deflecto, quod tetrapoles non fuerint unus aliquis locus muro uno cinctus, sed quatuor civitates in diversis locis, quae tamen ab uno principe gubernatae sunt.

Sicut Silesia habet hexapoles, quae, licet nominibus et loco differant, tamen singulae habent nomen hexapolis, et agnoscunt eundem dominum, sic Calne, quae Seleucia est, potest esse tetrapolis Babylonis. Apud nos Helvetii habent multas et potentes civitates, sed unum omnium consilium est, sicut Amphictyonicum apud Graecos: fortasse ad hunc modum tetrapoles fuerunt in regno Babylonio et Assyrio.

Ac Assyrium magnifice commendatur in scripturis, non solum propter politicam administrationem sed magis propter religionem, et quod unius Ionae ad eos missi concionibus credidit. Habuit autem no

m regem et monarcham, sed etiam alios ordi-
principum, sacerdotum etc. Hi si nostrorum
ipum, Cardinalium, Episcoporum fuissent si-
non solum non admisissent Ionam, sed etiam
ssent. Ac pia posteritas Sem, etsi degenerave-
tmen verbum amplexa, in viam rediit, et Do-
eam recepit in gratiam. Postea iterum dege-
; sic enim solet: ex Angelis fiunt Diaboli, ex
a Haeretici. Itaque vastata est, sicut minatur
capite 37, (v. 22.) forte sub Asserhaddon, filio
ib, dissidentibus inter se filiis post interfectum
, et monarchia Babylonem translata est, non
n veterem a Nimrod aedificatam, quae vasta-
sed ad novam Babylonem, cujus primus mo-
Nebucadnezar vastavit regnum Iuda.

'o Mizraim genuit Ludim, Anamim,
m, Naphthuhim, Pathrusim et Caslu-
de quibus egressi sunt Philistim et
Caphthorim.

ec quoque maxima ex parte nuda nomina sunt,
i cadavera seu regionum, seu populorum.
putant Lydos esse, Leabim, Libas. Pathru-
icantur esse, qui Esaiae 11. (v. 11.) vocan-
hros; hodie fortasse sunt, qui Africae partem
aut, sicut alii opinantur, Numidae et Mauri-
um apud Esaiam cum Aegyptiis conjunguntur.
od Iudaei nugantur, Pathrusim et Casluhim
asse uxores, et ex eo adulterio egressos, hoc
os Philistim et Caphthorim, ineptum est fig-
. Non enim de generatione, sed de migra-
ntelligendum est verbum egrediendi, quod
n et Caphthorim noluerint cohabitare Pathru-

sinis et Casluhimis. Fingunt autem haec Iudaei celebrandam suam gloriam, quanquam contra gra maticam. Egredi enim non significat ex adulte nasci.

Habemus jam tres plagas orbis terrarum, aq lonem, occidentem et meridiem; restat oriens.

Canaan autem genuit Zidon primogenitu euum, et Heth; item Iebusi, Emori, Gi gosi, Hivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari Hamathi. Hinc sunt propagatae famili Cananaeorum. Fuit autem terminus C naan, si venias a Sidone, per Gerar usq ad Gazan, et si eas per Zodomam, Gom ram, Adama et Zeboim usque ad Las. Hi sunt filii Ham cum cognationibus, l guis, terris et gentibus suis.

Zidon notus est. Hethitas, Iebusaeos, Emora Girgosaeos, et fortasse alios quoque Moses vidit; postea excisi sunt a populo Dei partim, partin gentibus aliis, ea loca occupantibus. Zemari nota sicut Hemath quoque, quae est Antiochia.

Hic mihi ad superiora verte oculos atque mum. Canaan maledictus est ab avo Noah; sed non solum superat liberorum multitudine, sed et praestantissimum in toto orbe terrarum locum o pat. Nam populi, qui hic recitantur a Mose, querunt eam portionem, quam pater Ham occup rat. Ei enim obvenerat meridionalis plaga: l autem portio obvenerat cum oriente pio Sem. Impiorum fortuna in hac vita semper melior quam piorum. Itaque posteritas impii Ham, c tamen maledicta erat, benedictam Sem posterit

stinent, aeternam compensationem.

[M]ihi non dubium est, terram Canaan fuisse de-
totius orbis terrarum. Itaque facile illis acce-
[q]ui eo in loco fuisse ante diluvium Paradisum
. Nec peccat, qui credit, eo ipso in loco,
[C]hristus mundo vitam sua morte restituit, fuis-
[m]orem, quae homini decepto per serpentem
n attulit.

[N]on tamen perpetua fuit Cananaeorum felicitas;
ınt enim impietatis poenas ejecti et excisi per
um Dei. Hunc enim triumphare tandem opor-
[q]uanquam manserunt quaedam impiorum reli-
, sicut in carne nostra, etiam cum iustificati
, reliquiae peccati manent, ne scilicet simus
, sed habeamus exercitia pietatis.

[T]erminus a Zidone usque ad Gazam complecti-
na maris mediterranei, ornatum opulentissimis

Generatio Sem.

Ipsi Sem quoque nati sunt filii, patri omnium filiorum Eber, fratri Iapheth majoris. Filii Sem: Elam et Assur, Arphachsad, Lud et Aram.

Hic quaestionem movent, cur Sem nominetur pater omnium filiorum Eber, cum tamen non sit filius Sem, sed pronepos ipsius Arphachsad, qui est tertius filius Sem? Ac Iudaei fere in eam sententiam disputant, quod hoc ideo fiat, quia ab hoc Eber populo Dei nomen sit inditum, ut vocentur Ebraei, quanquam mallent, hanc appellationem ab Abraham deduci; sed mihi haec videtur verior sententia. Hic Eber fuit pater ipsius Peleg, cujus tempore, ut Moses postea commemorat, linguae coeptae sunt dividi, aedificante Nimrod et posteris Ham turrim Babylonicam.

Dictum autem supra est, Assur egressum ex terra Sinear, eam ob causam, quod consentire in idolatricos cultus a Nimrod institutos noluerit. Itaque cum non posset inter idolatras securus vivere, declinavit ad aquilonem, ubi posteritas pii Iapheth erat.

Ut igitur inter filios Sem esset differentia, Moses Sem patrem omnium filiorum Eber vocat, ut sciretur, ex posteritate Eber nasciturum Christum. Haec tanta dignitas est, ut reliquos, quanquam ipsi quoque dignitate praestent, nolit censeri filios Sem prae hoc Eber, Christi parente.

Elam Persae sunt, nobiles non tantum, quod monarcham habuerunt summum principem, Cyrum, sed quod habuerunt cognitionem Dei et verae religionis, a Daniele ostensam.

Arphachsadi nomen fortasse imitati sunt Graeci a nomine Arbaces, quo is dictus fuit, qui Sardanapalum vicit. Assur sunt Assyrii. Lud putant Lydios; sed supra Ludim in posteritate Canaan Lydii dicti sunt. Aram Syria est. Notum autem ex historiis est, eam esse duplicem, alteram Mesopotamiae, alteram Phoeniciae; hinc et Armeniam dictam putant.

Filii Aram: Vz, Hul, Gether et Mas.

Hi sunt ignoti nobis, nisi Vz, ex cujus terra Iob fuit.

Porro Arphachsad genuit Selah, et Selah genuit Eber. Eber quoque nati sunt duo filii; nomen unius Peleg; nam in diebus ejus divisa est terra: et nomen fratris ejus Iaketan.

Eber est quartus a Sem. Hic post Sem maxime celebratur, quod ipse quoque sit inter majores Christi. Hujus tempore accidit, ut Nimrod ex meridionali plaga irrueret in orientem, et piam posteritatem inde ejiceret; itaque boni Patriarchae mutarunt sedes, sicut de Assur supra diximus.

Iaketan autem genuit Almodad, Saleph, Hazarmaveth, Iarah, Hadoram, Usal, Dikela, Obal, Abimaël, Seba, Ophir, Hevila et Iobab; omnes isti filii Iaketan. Fuit autem habitatio eorum a Mesa, si pergas ad Sephar, montem orientis.

Hi sunt filii Sem, secundum familias suas et linguas suas et terras et gentes suas. Hae itaque sunt familiae filiorum Noah secundum generationes suas in populis suis; et ab illis divisae sunt gentes in terra post diluvium.

Hi omnes sunt Indici populi, nobis ignoti, quod India plane ex omnibus totius terrae partibus nobis minime sit cognita: alioqui fortasse similitudo nominum quaedam patefaceret, quanquam illa quoque hac aetate mutantur a navigatoribus.

Mons Sephar forte est Ararat, seu Imaus. Haec nomina cum lego, cogito de miseria humani generis. Etsi enim habemus praestantissimum donum rationis, tamen sic calamitatibus obruimur, ut non solum originem nostram, et seriem majorum nostrorum, sed etiam ipsum conditorem Deum ignoremus. Inspice enim historias omnes gentium; si solus Moses non esset, quam tu scires hominum originem?

Aristoteles, homo acutissimus, quem etsi cum Cicerone libenter confero, tamen ingenii laude superiorem fuisse existimo (nam Ciceronis studia reipublicae negotiis non parum sunt impedita); hic, cum de hominis origine cogitat, violentia quadam ab ipsa ratione eo impellitur, ut statuat, nec primum, nec ultimum esse hominem. Platonem non judico de hac re serio disputasse, sed suorum temporum philosophos voluisse ridere; igitur ejus testimonio hic non utor.

Sed si Aristotelis sententiam, qui serio de his rebus cogitavit, sequaris, quae ibi sequentur absurda? Primum enim inevitabili consequentia sequetur, *quod anima* sit mortalis. Philosophia enim non so-

n nescit aliquod infinitum in potentia, sed simpliter plura infinita dicit esse impossibilia, sicut varum et dimensionum penetrationem. In actu infinim agnoscit, sicut videmus transeuntes et sequentes mines, tam longa annorum serie, quam Aristoteles putat esse potentia infinitam. Haec scilicet nome rationis est sapientia, ut nostram nescimus iginem, si absit verbum.

Sicut autem ingenio Aristotelem Ciceroni antepuo, ita Ciceronem video de his ipsis rebus disputasse alte prudentius. Cavet enim sibi ab hoc loco de finito, tanquam a periculoso scopulo, et arripit locum religionis, hoc est, transfert disputationem ad eaturae considerationem, quae aliquo modo judicara ratione potest. Videt tam concordes superiorum otuum rationes, videt certas temporum vices, cers formas terra nascentium, videt homines ad id onditum, ut et intelligat haec, et iis fruatur.

Itaque eo deflectit sententiam, ut statuat, et Deum se aeternam mentem, cujus providentia omnia ista ic gubernantur, et animam hominis esse immortam. Et tamen etsi haec statuat, tamen ceu fluctibus uibusdam cogitationum obruitur, ut non nunquam sec ipsa sententia, tam firmiter apprehensa, manibus uasi elabi videatur. Nam illa de infinito disputatio iolentissima est, et locus religionis a ratione nobis erum excutitur, cum videmus, tam variis calamitaibus naturam hanc oppressam esse.

Hujus nostrae miseriae, hoc est, horribilis caecitatis, nos praesens locus admonet, qui nos docet de ebus toti mundo ignotis. Quid enim praeter vocaula de potissima secundi mundi parte habemus? De primo enim, qui ante diluvium fuit, taceo. Grae-

ci voluerunt conservatam suorum negotiorum storiam, sicut Romani quoque; sed quantulum est ad superiorum temporum rationem, de q hoc in loco Moses catalogum nominum texit, rerum?

Existimes igitur, hoc caput genesis esse tan speculum, in quo cernitur, quid nos homines si creatura scilicet per peccatum sic deformata, u stram originem, imo Deum ipsum, conditorem strum, nesciremus, nisi verbum Dei has quasi tillas luminis divini nobis ex longinquo ostend Quid igitur est vanius, quam gloriari de sapi de opibus, de potentia et aliis sic in totum ev centibus rebus?

Merito igitur sacra Biblia magni facimus, e cimus summi thesauri loco. Hoc enim ipsum c etsi mortuis vocabulis judicatur plenum, tamen tinet ceu filum a primo mundo usque ad medi finem omnium rerum ductum. Ab Adam in transfertur promissio de Christo, a Seth in N a Noah in Sem, et a Sem in hunc Eber, a Ebraea gens nomen accepit, tanquam haeres, promissio de Christo destinata est prae omnibu tius mundi populis. Hanc cognitionem nobis s literae ostendunt; his qui carent, vivunt in er confusione et impietate infinita. Nam et se ips norant, qui sint, et unde sint.

UNDECIMUM CAPUT GENESIS.

Pertinet et hoc caput ad exemplum eximium notissimi Patriarchae Noah et familiae ejus, praesertim piae, ut videamus, quantum fidei et pietatis sanctis viris fuerit, praevalente et regnante mirabili malitia, invidia et tyrannide in filiis hominum.

Beata erat terra universa aliquandiu post diluvium. Erat enim unus sermo omnium, quod non exiguum vinculum fuit concordiae, et ad religionis doctrinam conservandam imprimis erat utile. Nam recens memoria immensae irae Dei in diluvio retinebat animos in timore Dei, et reverentia majorum.

Hanc beatitudinem primus Ham, Noah filius, turbat. Is tanquam oblitus tantae irae, primum dignitatem patris contemnit, et ex eo ludos facit, quem revereri debebat, sicut supra audivimus. Deinde a patre et fratribus piis discedit, ac sibi novum in terra regnum parat. Tandem ex filio majore natu nascitur ei nepos Nimrod, qui, confirmata potentia per tyrannidem, piam posteritatem Noah varie affligit, et *sibi* regnum parat, solusque rerum potitur.

Sicut igitur, cum Adae duo filii nati essent, duplex ex iis populus oritur (Cain enim a patre discedit, et instituit peculiarem ecclesiam sine mandato Dei, contemta vera ecclesia): ita quoque hic fit in filiis Noah. Nam ex Ham originem ducit falsa et mendax ecclesia, tanquam ex fonte impietatis et malitiae. Hanc historiam, et quasi initia hujus pestis grassantis in ecclesiam hoc in capite Moses explicat.

Porro hoc caput non clare ostendit, quale fuerit peccatum aedificantium turrim Babel. Itaque tum de

ipsa aedificatione, seu turri, tum de peccato aedificantium variae sunt opiniones, ac quanto quisque plus audaciae habet, tanto liberius de utroque pronuntiat. Ac vulgus quoque non abstinuit a fingendis fabulis. Ita enim narrant, altitudinem fuisse novem milliarium: cum autem linguae confunderentur, tertiam partem avulsam ventorum vi et tempestatibus; terram subsedisse, et nunc tantum exstare tertiam partem. Altitudinem autem fuisse tantam, ut inde Angelorum in coelo canentium voces exaudirentur.

Sed stulta haec omittimus; illud inquisitionis dignius est, ut de peccato aedificantium cogitemus, quod ex textu non plane potest intelligi.

Lyra in ea opinione est, ut statuat, hanc aedificationem eo consilio a posteris Ham coeptam, ut tutum haberent locum, in quem se reciperent, si denuo diluvio perdere mundum Dominus vellet. Sed hoc ut non credam, primum movet me manifesta promissio, quam Ham quoque audivit, non futurum, ut amplius diluvio pereat tota terra. Deinde norat Ham, quindecim cubitis superasse diluvium altissimos montes totius orbis terrarum. Non itaque tam stultos fuisse existimo, ut cogitarent, se tantae altitudinis molem excitare posse, quae a diluvio servaret.

Igitur in eo puto epitasin esse, quod dicunt: Age, aedificemus nobis civitatem et turrim. Haec enim vox significat animos securos, et fidentes praesentibus rebus, non fidentes Deo, et contemnentes ecclesiam, quae potentia et splendore omni caret.

Quod igitur de tuto loco contra diluvii grassantis vim Lyra recitat, puto, allegoricam fabulam esse, qua voluerunt Patres pingere homines egregie con-

tem-

i Deum, et putantes, aliquid praesidii esse
ptentia contra iram Dei. Nam de animo se-
ion timente Deum licet quidvis fabulari, et
n satis poterit pingi impietas.
mihi dubium est, quin haec ipsa historia
m dederit fabulae de Gigantibus, sapienti-
ilium de Iove deturbando de coelo, et mon-
ibus imponentibus. Sicut Deucalionis quo-
la ex historia diluvii nata est. Nam sermo-
iec Patrum etiam inter gentes inclaruerunt.
ioc peccatum nihil aliud fuisse existimo,
ignem securitatem et superbiam, conjunctam
temtu Dei. Ita enim solent impii suopectu
e in sinu Dei sedere putant, et magna con-
juidvis audent.
t autem peccatum Ham non tantum fuit ec-
um peccatum, sed etiam politicum (nam et
sanctissimum risit, et religionem ac doctri-
i contemsit; discedens enim a patre, sicut
divimus, et politiam novam, et religionem
stituit): ita Nimrod, nepos ejus, tum politi-
ecclesiastice peccavit. Nam religionem veram
ivit, et exercuit etiam injustam tyrannidem
les, quos ex patriis finibus ejecit. Nam du-
n est, quin hi, quos Moses dicit ad orien-
rasse, fuerint Nimrod et alii Ham posteri:
initio hujus capitis Moses clare ostendit.
itur peccata etiam poenam suam habuerunt,
paulo post commemorabit Moses.
ue haec verba atrociter interpretanda sunt,
simpliciter Moses posuit, quod se mutuo
itur ad aedificandam turrim et civitatem.
licat Moses: *An non haec ingens superbia*

et magnus Dei contemtus fuit, quod, non consulto Deo, proprio consilio tantam rem ausi sunt? Piam posteritatem Sem pellunt suis sedibus, et de toto orbe subjugando cogitant, praecipue autem de opprimenda ecclesia. Hoc igitur peccatum est horribilis lapsus ab ecclesia, a verbo et ab ipsis Angelis Dei ad Diabolum, et involvit non tantum peccata contra primam tabulam, sed etiam contra secundam.

Emphasis igitur in eo est, quod dicunt: „Aedificemus nobis civitatem et turrim", non Deo, non ecclesiae Dei, sed ad opprimendam ecclesiam. Item: „Faciamus nobis nomen". Hi profecto non sunt de eo solliciti, ut Dei nomen sanctificetur, qui sui nominis amplificandi tanto studio tenentur, et sine dubio humiles casulas sanctorum patrum et fratrum egregie contemserunt, si quidem tam sumtuose aedificant.

Nec otiosum est, quod dicunt, caput turris usque ad coelum debere pertingere. Non enim referendum hoc tantum est ad altitudinem, sed significant quoque locum cultus, ut intelligas, Deum proxime hanc turrim habitare. Ita enim solet Satan; ornat se titulo divinitatis, et superstitionem vult haberi pro religione.

Ecclesia nostro seculo capitaliores hostes non habet, quam Turcam et Pontificem. At uterque nomine Dei se venditat, et nihil non se hoc titulo obtinere posse putat. Interim nos audimus Haeretici, semen Satanae, apostatae, seditiosi.

Haec omnibus temporibus hoc modo gesta sunt, etiam illis primis temporibus ante diluvium et post diluvium. Nam posteritas Ham hoc in loco talis pingitur, quod contemserint ecclesiae humilitatem, et

etatem, nec tantum aedificarit politico consilio Ba-
lonem, sed speciem religionis addiderit, ut cre-
retur iste locus coelo proximus, et Deo gratissima
des.

Verum igitur verbum est, quod omnis apostata
t persecutor sui ordinis. Nam quia Ham cum sua
osteritate ab ecclesia discessit, hoc egit postea, ut
clesiam premeret, et se ac suos eveheret. Sic Sa-
a postquam discessit a Deo et Angelis, seu coele-
ecclesia, Deum et ecclesiam immani odio prose-
uitur. Et ut hoc cum successu aliquo possit face-
, se transformat in Angelum lucis (2. Cor. 11, 14.)
sibi divinitatem sumit. Ita hic in medio Babylo-
s se quasi Deum facit, et sibi ecclesiam parat ad
ram ecclesiam opprimendam.

Decet autem pios facere paria, ut, postquam
atanae ecclesiam deseruerunt, et ab ea apostatarunt,
m odisse quoque incipiant. Sic nos Dei gratia su-
us sancti apostatae; defecimus enim ab Antichristo
t Satanae ecclesia, et conjunximus nos cum Filio
Dei et vera ecclesia; cum hac nos stare, et falsam
cclesiam oppugnare decet.

Apostasiae igitur peccatum hoc in loco Moses
stendit, quod posteri Ham, Nimrod et alii defece-
unt a Deo et verbo, a Patribus et ecclesia, non
antum, quod ad politicam societatem attinet, sed ma-
gis, quod attinet ad religionem et cultus. Ambula-
verunt autem in adinventionibus et desideriis suis.

Nam per se peccatum non fuit excitare turrim,
aedificare civitatem; fecerunt enim eadem sancti quo-
que, et Assur, quem omnino sanctum fuisse puto,
aedificavit Niniven, quod cum impiis hominibus non
posset diutius habitare. Hoc autem peccatum est,

quod ad istam aedificationem addunt suum non
quod, contemto Noah et vera ecclesia de regno
gitant, quod statuunt, se Deo proximos, quos e
diat Deus, quibus successum addat, ipsum an
Noah a Deo desertum et abjectum judicant.

Est igitur in hac historia depicta impietas,
silium, studium et cogitatio omnium impiorum, p
cipue autem hypocritarum, qui soli sibi sanct
Deo proximi videntur, ac regnare volunt in te
Hoc peccatum si alio nomine appellare voles,
est blasphemia nominis Dei, et violatio Sabbati;
foeda idolatria, qua gloria Dei vivi mutatur in
lum, hoc est, in idolum cordis. Haec peccata
riunt alia, odium scilicet verae ecclesiae, persecu
nem, tyrannidem, caedes, rapinas, stupra quo
et adulteria. Nam falsa ecclesia semper est pers
trix verae ecclesiae, non tantum spiritualiter per
sam doctrinam et impios cultus, sed etiam corp
liter per gladium et tyrannidem.

Hoc peccatum dicit Moses secutam poenam,
visionem linguarum, quae levis poena fuisse ap
ret, sed profecto horribilis est, si respicias ad
vissima incommoda, quae hanc linguarum divisio
sunt secuta. Nam primum linguae similitudo fir
simum vinculum est societatis humanae et concord
Nam hic quoque verum est, quod proverbio dicit
similes similibus facile congregari; Germanus lib
ter cum suae gentis homine colloquitur et conve
tur. Vbi autem linguae diversae sunt, ibi non sol
nulla commercia intercedunt, sed etiam in ani
odium nascitur ejus gentis, cujus tu linguam non
telligis. Sic Gallus odit et contemnit Germanos, It
oderunt et contemnunt prae se omnes nationes.

Apparet igitur ex ista linguarum divisione, dissociatos animos, mutatos mores, mutata ingenia et studia, ut vere eam appellare possis seminarium omnium malorum; nam et politiae et oeconomiae turbationem excitavit.

Haec etsi gravissima incommoda sunt, nihil tamen ad hoc sunt, quod etiam ecclesias turbavit haec linguarum divisio, et occasionem dedit in infinitum crescentis idolatriae et superstitionis. Quis enim non videt, ministerii rationem ista linguarum mutatione paene totam sublatam? Nam Eber, qui sine dubio primam et veram linguam retinuit, alios posthac non potuit docere, quorum linguam non norat, et a quibus non poterat intelligi.

Magnum igitur novi testamenti beneficium et singulare miraculum est, quod Spiritus sanctus in die Pentecostes per varietatem linguarum omnium nationum homines in unum corpus unius Christi capitis redegit. Christus enim coagmentat et conjungit omnes in unam fidem per evangelium, manentibus tamen diversis linguis, destruens maceriam, non solum reconciliando nos per suam mortem Deo, et loquendo ad nos nova lingua, sed etiam foris faciendo concordiam, ut quasi diversi greges socientur sub uno pastore, et colligantur ad unum ovile. Hoc Christi beneficium est, quod cum sit commune omnibus, nihil offendit dissimilitudo, quae est in externa vita.

Huic igitur hoc donum feramus acceptum, quod gravissimam hanc poenam, quae fuit origo et seminarium omnium malorum et discordiarum, per Spiritum sanctum tulit e medio, et attulit ad nos sanctam concordiam, etiamsi linguae diversae maneant.

Nam ubi mediator Christus non agnoscitur, ibi cut linguarum, ita etiam animorum discordia, et l ribilis caecitas est. Igitur cum perlustramus om omnium gentium et temporum historias, vide varios bellorum motus, magnam morum, religi et opinionum varietatem ex ista linguarum div sitate natam. Huic malo mederi Christus novo n culo voluit.

Ego Italum non intelligo, nec Italus me; ita naturalis quasi occasio irae et inimicitiae inter est. Sed si Christum utrique intelligimus, tanq nostra membra nos invicem complectimur et exc lamur. Ubi autem Christus non est, ibi regnat huc hodie poena Babylonica, divisio linguai quae certam animorum divisionem parit, et tu non tantum oeconomiam et politiam, sed etiam gionem et ecclesiam.

Monet autem tam horribilis poena, ut cave nobis, ne apostatemus a verbo, aut nos aliis ant namus, tanquam meliores et sanctiores. Hoc quia posteritas Ham fecit, tam horribilis poen cuta est, quae haud scio an non plus mali de generi humano, quam ipsum diluvium. Hoc tantum unius temporis hominibus nocuit, illud tem durat usque ad mundi finem. Quanquam stus aliquam opem tulit nobis per Spiritum s sed quantula ea pars est, quae verbum ample et credit? Reliqua multitudo, sicut lingua, ita mis dissentit, et Satanae, auctori bellorum et di diae, gratissimas praestat operas.

Tertio, postquam de peccato aedificantium et na diximus, non inutile est, si supputes tem *quot scilicet* anni sint inter diluvium et natun

leg, sub quo turris Babylonica aedificata, et linguarum divisio facta est. Sunt autem circiter centum anni post diluvium, et fuit jam Noah septingentorum fere annorum. Hunc viventem, gubernantem, docentem de tanta ira Dei contempserunt cum tota sua ecclesia et posteritate sanctissimorum Patrum homines impii, Ham et nepotes ejus obliti tam subito irae Dei tam horribilis. Haec an non putabimus macerasse pium Noah et suos, quod nepotes ejus talia vidente, et frustra monente patre moliuntur? Nunc igitur iterum pro deliro sene ridetur sanctus vir.

Nihil igitur tentationes, cruces, molestiae nostrae sunt cum his Patrum tentationibus, crucibus et molestiis collatae. Etsi enim nos quoque videmus ingentia in mundo mala, tamen non diu ea videmus, atque ideo feliciores sumus, quod citius ex tam maligno seculo migramus. Noah degeneres nepotes vidit annis ter centum et quinquaginta. Hoc tempore quid putamus eum calamitatum non vidisse? Hac parte calamitatis pius filius Sem patrem superat; hic enim quingentis annis post diluvium vixit. O martyres dignos, in quos omnia secula intueantur, ut discamus eorum exemplo patientes esse.

Sic Petrus (2. Pet. 2, 7.) concionatur de justo Lot, flagellatam ejus animam, cum intueretur impia Sodomitarum facta. Et Simeon (Luc. 2, 35.) de Maria dicit, gladium penetraturum animam ejus. Nam sancti sine ingenti dolore animi mundi malignitatem intueri non possunt. Sed hae posteriorum cruces nihil sunt ad illos sanctos Patres, qui tantam mundi perversitatem ad quingentos annos et amplius videre coacti sunt. Patiamur igitur nos quoque ista tristia spectra et tela Satanae, quae infigit animis

nostris; non enim melior nostra conditio esse debet, quam sanctorum Patrum, quanquam, ut dixi, in eo melior est, quod breviore vitae curriculo utimur.

Haec paucis praefari in hoc caput libuit: nunc etiam textum inspiciemus.

Erat universa terra unius labii, et ejusdem sermonis. Cum igitur proficiscerentur ad orientem, invenerunt planitiem in terra Sinear, ac ibi habitaverunt.

De vocabulo מִקֶּדֶם supra diximus in secundo capite. Mea enim sententia est, orientem dici eam regionem, quae versus orientem proxima est, respectu terrae Canaan. Sicut in libris Regum filii orientis etiam vocantur Arabes.

Sinear notum nomen loci est ex capite decimo; ita enim olim vocata est regio, quae post Babel seu Babylonia dici coepit.

Ac dixerunt unusquisque ad proximum suum: Age, paremus lateres, et eos igni coquamus. Ac usi sunt lateres pro lapidibus, et bitumine pro caemento.

Hoc clarum testimonium est, civitatem Babel ac turrim exstructas ex lateribus, seu coctili lapide, sicut Roma quoque latericia fuit. Ac judico, hanc novam aedificandi rationem tum fuisse, prioribus seculis incognitam, quo neque laterum coquendorum rationem norunt, nec bitumine ad conglutinandos lateres sunt usi.

Et dixerunt: Age, aedificemus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad coelum, et celebremus nomen nostrum, antequam dissipemur in universam terram.

Quid hoc sibi vult? Quis hoc verbum eis immisit in os, ut divinarent futuram dispersionem per totum orbem terrarum? Num sicut Caiphas (Ioh. 11, 49. 50.) vaticinantur, et loquuntur, quae nesciunt? Nam hoc usitatum est, ut impii, sicut etiam Salomo alicubi (Prov. 10, 24.) testatur, sibi ipsis prophetent malum, et quae metuunt, eis accidant. Sicut Ezechiel quoque dicit capite 11. (v. 8. 9.): „Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, dicit Dominus Deus, et ejiciam vos de medio terrae". E contra piorum spes quoque non vana est, sed quae sperant et credunt, certo eveniunt, nec fallunt eos. Sed alia hujus divinationis causa est, non est Caiphica prophetia.

Ego hunc canonem in talibus locis plerunque sequi soleo, ut, quemadmodum piorum verba et res gestae nonnisi ex spiritu et affectu ipsorum intelligi possunt, ita quoque statuam, impiorum verba et facta non posse intelligi, nisi teneamus sensum et affectum ejus spiritus, qui eos impellit, Satanae scilicet; is autem sensus et affectus semper talis est, ut adversetur tum ipsi Deo, tum ecclesiae, sicut e contra piorum tum dicta, tum facta ad gloriam Dei, et ecclesiae salutem spectant. Hunc scopum qui sequitur, falli non potest ulla specie et hypocrisi, quam Satan semper in suis tum dictis, tum factis captat. Recte enim definit, qui audit, quae cum verbo Dei non conveniunt, si dicat, ea a Satana profecta esse.

Deinde hoc quoque recte definit, si statuat, animo mentiendi et occidendi esse dicta.

Hunc canonem in Papae dogmatibus judicandis secutus sum. Quia enim videbam, ea cum verbo Dei non convenire, statuebam, ejus dogmata ex Diabolo esse, comparata ad fallendum et occidendum; nec passus sum, ab hac sententia me ulla specie abduci, qua totum mundum decepit sceleratus impostor. Cum igitur hic canon in judicandis et interpretandis verbis et factis Dei et Satanae, piorum et impiorum, non fallat, eum hic quoque recte sequemur.

Invaserat posteritas Ham, Nimrod et alii regionem, quae ipsi Sem, heredi promissionis de Christo, obvenerat. Et quia erant tyrannica ingenia, aderat cupiditas non solum ejiciendi posteros Sem, sed etiam constituendae novae tum politiae, tum ecclesiae. Quae igitur coeperunt contra veram ecclesiam, contra ipsum gubernatorem ecclesiae Noah et piam ejus posteritatem, etsi literis tradita non sunt, tamen similitudine intelligi possunt, si hodie nostrorum adversariorum facta consideremus diligentius. Nam idem semper Satan est, qui impios contra veram ecclesiam instigat.

Noah igitur et alii pii cum sic viderent se premi, et institui novos cultus, dialectica inductione facti sunt Prophetae, sit Spiritu sancto quoque monente de genere poenae certum scirent. Sic enim collegerunt: Adae non impune fuit, peccasse in Paradiso, et haeret adhuc in nobis omnibus ejus peccati poena; Cain etiam punitus est ob occisum fratrem, et impiam de Deo opinionem, donec tandem totum orbem terrarum Deus per diluvium perdidit. Profecto *his quoque* non impune erit, tentasse tyrannidem, et

gionem tum perturbasse, tum corrupisse. Sed
ıvio Deus promisit posthac se non usurum; sta-
runt igitur, Spiritu sancto sic eos docente, secu-
am poenam, ut, sicut conjungebant operas in ve-
ecclesia opprimenda, ita vera ecclesia servaretur,
ipsi dispergerentur in totum orbem terrarum.

Haec prophetia, quia pertinebat ad piorum co-
ısiam confirmandam et consolandam, non in angu-
, sed publica ab ipso Noah, et non uno in loco,
agno spiritu vulgata est. Itaque non potuit latere
ıpiorum generationem, quae etsi secura has Spiri-
s sancti voces contemneret, tamen non potuit eas
rorsus contemnere. Sic enim impiis accidit: etsi
iunt, se peccare et impendere peccati poenas, ta-
ıen securi perrumpunt, superante malitia, timorem.

Ita hoc in loco ostendunt verba perturbatam con-
cientiam, et tamen secure pergentem et contemnen-
m poenas, qualis Medeae apud Ovidium (Met. 7,
0.) fingitur, cum dicit: Video meliora, proboque,
Deteriora sequor. Et nos hic aliquando audivimus
Carolostadium, cum doctores promoveret, dicentem,
e scire, quod doctores theologiae creare esset pec-
atum, et tamen facere. Hoc non leve peccatum est,
ndurari contra conscientiam, et in peccato quasi
gloriari volentes et scientes.

Habemus jam, quantum ad hunc praesentem lo-
cum attinet, impiorum et Satanae affectum; ex eo
facile de verbis judicabimus. Non satis est impiae po-
steritati ipsius Ham peccasse, dum pios e sedibus
suis pellunt, sed etiam rident poenam, et ludos fa-
ciunt ex comminationibus, quas a parente Noah au-
diunt. Sicut Papistae nostri etiam suaviter rident,

cum minantur eis adventum Christi. Sic enim cogitant, si eo usque differatur res, bene secum actum iri.

Ad hunc prorsus modum impii hic faciunt. Audiunt ex patre Noah poenam dispersionis. Quid? inquiunt, sumusne dispergendi? Dispergamur igitur; sed prius aedificabimus civitatem et turrim, ut exstet memoria rerum a nobis gestarum. Neque credunt prorsus dispersionem futuram, nec prorsus securi sunt, tanquam non sit futura, et in contemtum piae ecclesiae accinguntur ad novam aedificationem. Itaque sunt haec superbissima verba Satanae et filiorum ejus contra Deum.

Prorsus similem rem videmus a Papistis agi. Impossibile est, ut Pontificum tyrannis longius possit durare; Roma enim sic omnis generis sceleribus inquinata est, ut non possit esse pejor, nisi fiat ipse infernus. Ad haec accedit horribilis idolomania, et inflammant reges et principes ad confirmandam impietatem, et veritatem opprimendam. In tantis peccatis cum metu poenarum, quarum nos quoque Prophetae sumus, carere non possint, sumunt tamen quasi cornua, et, ut Propheta (Ies. 48, 4.) loquitur, ponunt aëneam frontem, et simulant, se nihil metuere. Ideo quoque nihil de impietate sua minuunt, sed eam fortiter urgent et augent.

Ita semper impietas sui est similis: utrinque irridet Deum, dum sperat et dum metuit. Hos enim duos affectus videmus in impiis mixtos, sicut etiam in piis, et qui veram fidem habent, mixti sunt. Etsi autem pii plus timent, quam sperant, tamen superat tandem spes et fides. Contra in impiis, etsi quoque metuunt, superat tamen perfidia et malitia, quae metum excutit, et securos reddit, ut neglecto peri-

culo suo perrumpant. Sed evenit tandem, quod metuunt, et spes eos fallit. Sicut videmus, impiam posteritatem Ham miserabiliter dispersam esse, Noah autem cum suis servatum.

Itaque tota haec historia ad ecclesiae consolationem referenda est, quae etsi ab impiis varie vexatur, tamen triumphat tandem, impii autem pereunt, et sunt Prophetae suarum calamitatum. Sicut Caiphas (Ioh. 11, 48.): „Ne forte veniant Romani, et tollant gentem nostram". Et in Hosea quoque est: „Castigabo eos, sicut audiverunt in ecclesia sua," Hoseae 7. (v. 12.).

Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii hominum.

Quod metuebant impii, et tamen superante malitia (ut diximus), secure contemnebant, id nunc evenit. Est igitur theologicus hic locus, qui etiam ostendit tum piorum, tum impiorum affectus. Sic enim videmus ista geri: dum peccator in actu est et fervet, non videt, non loquitur, non sentit Deum. Sic enim judicat peccator, Deum non videre, nec sentire, quae faciat.

Adam cum pomum ori admovet, non animadvertit ad verbum. Itaque si ejus conscientiam introspiceres, non magis de Deo et verbo ejus videres sollicitum esse, quam si Deus esset res mortua et nihili: sicut impiorum cogitationes egregie pingit Psalmus 10. (v. 11.), cum dicit: „Dicit impius in corde suo: Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, ne unquam videat". Sic enim Cain cogitat, cum fratrem invadit et jugulat, Deum dormitare, nec inspi-

cere, quae agat. Fit autem hoc ideo, quia Deus est longanimis, nec statim punit, quae poenam merebantur.

Ad hunc modum pii quoque judicant, Deum dormire, et claudere oculos, dum clamant et gemunt pro liberatione, Deus autem liberationem differt. Inde illae voces crebrae in Psalmis sunt: „Vsque quo oblivisceris, Domine"? (Ps. 13, 2.). „Quare obdormis? Surge, evigila"! (Ps. 44, 24.). „Leva manum tuam" etc. (Ps. 10, 12.). Ac pertinent ad ecclesiae consolationem sententiae illae, in quibus Deus affirmat, se videre opera hominum, nihil a suis oculis absconditum, se esse Deum, qui nolit iniquitatem etc.

Loquitur igitur scriptura hic secundum affectum Dei, quo dissimulat peccata impiorum, et piorum preces. Hunc affectum postea nos arripimus, et vere putamus, Deum dormire, dum aut non statim punit peccata, aut preces non statim exaudit.

Sic descendere hic Deus dicitur, quasi prius non fuerit praesens. Nam dum ferveret iste impiorum contemtus, et Noah vaticinium rideretur, Deus abesse judicabatur, et ignorare, quae a filiis Ham tentarentur. Postquam autem completum peccatum est, descendit Deus, id est, tum demum sentitur adesse et irasci. Sic 1. Mos. 22. (v. 12.) est: „Nunc cognovi, quod timeas Dominum", quasi vero antea non nosset Abraham Deus.

Sic Papistae putant, Deum mortuum, non videre, non audire, non esse praesentem. Secure igitur grassantur in ecclesiam, et eam varie premunt; dicunt enim (sicut in Psalm. 73. (v. 11.) est): „Qui fiat, ut istos cognoscat Deus? quomodo curaret istos altissimus"?

Haec enim peccati natura est, ut cubet ad ten-

s, et quiescat, sicut supra in tertio capite diximus, m fervet dies, hoc est, dum concupiscentia et peccatum regnat, et homo a Satana oppressus et absorptus est, verbum Dei non curat, sed negligit, perinde ac si Deus dormiat, aut prorsus nihil sit. Sed b vesperam post aestum diei incipit Dominus in radiso ambulare, et auditur vox ejus, non amplius jucunda et suavis, sicut ante peccatum, sed rrenda, quam Adam sustinere non potest. Igitur abdit inter arbores, et cupit Deum neque auditum, neque visum; non tamen potest latere.

Finxerunt poëtae, latratu Cerberi terreri animas; sed verus terror nascitur, cum Dei irati vox auditur, hoc est, cum sentitur conscientia. Tum ius Deus, qui antea nusquam erat, est ubique, et ui prius dormire videbatur, omnia audit et videt, t ira ejus sicut ignis ardet, furit et occidit.

Hae sunt scripturae sanctae phrases, quibus oport assuefieri. Descendit Deus, non re seu substania (est enim ubique), sed desinit dissimulare, desiit esse longanimis, et incipit revelare peccatum, puire et arguere. Homines igitur securi, qui antea onge eum judicabant abesse, nunc praesentem esse ident, ac pavent.

Ad nos igitur terrendos haec pertinent, ut discamus peccatum cavere; non enim perpetuo id dissimulabit Deus; sed sicut adventu suo tandem terruit et occidit Adam, Cain et totum orbem terrarum liluvio: ita nos quoque opprimet aliquando, nisi per poenitentiam eum anteverterimus.

Piis autem descensus Domini laetissimus et gratissimus est; ideo eum summis et assiduis votis exposcunt. Sed facit eos quoque saepe dubitare caro;

nam Pontifex, Turca et alii hostes ecclesiae sic videntur stabilivisse potentiam suam, ut dejici nulla vi posse videantur. Sed descendet Deus aliquando, et utrunque disperget. Nam scriptura testatur contra nostram infirmitatem et impiorum securitatem, Deum tandem descendere, visitare, aperire oculos, aures, os. Hoc credunt pii, sed infirma fide, impii autem secure contemnunt.

Discamus igitur etiam hoc praesenti exemplo moniti; quanto Deus idolatriam et alia peccata diutius tolerat, et dissimulat longius, tanto postea intolerabilior ejus ira revelatur. Itaque magni beneficii loco nobis esse debet, cum non ita diu sinit nostra peccata impune abire. Ideo hortatur Psalmus trigesimus (v. 6.) ecclesiam ad gratiarum actionem, quod momentanea sit ira Domini, et quod vitam amet. „Per vesperam, inquit, durat fletus, sed mane redit laetitia"; et Psalmus 89. (v. 31. 33.): „Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, visitabo virga peccatum eorum, et verberibus delictum eorum". Haec est gratiae ira, cum poena festinat, et nos a peccato revocat.

Sed cum Deus dissimulat peccatum, et quasi connivet, tum sequitur intolerabilis ira, quae finem caret. Talis fuit diluvii, et haec, de qua Moses hoc loco commemorat. Sinit enim Deus, posteros Ham, etiam dum peccant, felices esse, et tam diu in peccatis sinit pergere, dum civitatem et turrim aedificant. Sed postea sequitur tanto major calamitas.

Itaque sentiamus, Turcam et Papam, qui tam diu felices sunt, horribilissimum manere judicium, quale a principio mundi nemo sensit. Nullius enim *impietatem* et summas blasphemias tam diu dissimu-

lavit.

it Deus; vincet igitur poena eorum poenam dilu-
, dispersionis et Sodomorum; erit enim aeterna ira.

Dicit autem Moses, non tantum descendere
um, sed descendere, ut videret. Hoc quomodo in-
ligendum sit, diximus. Ita enim se hactenus ges-
Deus, ac si non videret, et impii quoque certi
ant, Deum non animadvertere ista.

Insignem autem contemtum ostendit, quod vocat
os Adam, seu hominum filios illos tyrannos et
perbos aedificatores. Facit autem hoc ea ratione,
a supra (6, 2. 3.), ut differentiam faciat inter ve-
m et falsam ecclesiam, inter filios Dei et hominum.
m hominum filios vocat, qui carent verbo, qui
nt perditi et deplorati hypocritae. Hi, inquit, quid
ntant? Aedificant civitatem et turrim contra me et
clesiam meam; profecto ridicula res, cum sint ho-
inum filii.

Pertinet igitur hoc quoque ad consolationem ve-
e ecclesiae, quod Deus non solum videt molimina,
achinationes et consilia impiorum, qui adversantur
clesiae, sed etiam eos ridet, sicut Psalmus secun-
s (v. 4.) loquitur: „Habitator coeli ridet, et Do-
nus subsannat eos". Sed est Sardonius risus; se-
itur enim hunc risum furor, ira et dispersio. „Lo-
etur aliquando, inquit David (Ps. 2, 5.), in ira
, et in furore suo conturbabit eos".

Non igitur terreat nos, quod videmus, Papam
emplo Nimrod exstruere arcem ad opprimendam
clesiam, dum Turcam et mundum contra nos in-
at. Sine dubio ridet Dominus vana consilia, et
sum quoque conturbabit.

Consolatur igitur Spiritus sanctus veram ec-tiam, quae vexaretur ab ecclesia Diaboli, ne put se a Deo negligi. Videt, inquit, Dominus, quae ciant impii, et nunc parat se ad descensum, ut i quoque videant, non latere Deum ipsorum consil qui securi omnes minas rident, et sentiunt, pot tiam suam non posse infringi; sed falluntur.

Utitur autem Deus non arietibus, quibus mur concutiat, non aliis machinis bellicis: tantum co fundit labia. Haec profecto mirabilis ratio expugna darum urbium, et demoliendorum murorum e sed est omnium certissima et facillima, sicut Ch stus in evangelio quoque testatur: „Omne regn in se divisum desolabitur“, (Luc. 11, 17.). Si en linguae non essent confusae, etiam animorum con ciatio mansisset. Nunc ruit Babylon, ruit Nini ruit Hierosolyma, ruit Roma, in summā, regna o nia ruunt ex confusione linguarum, quae parit a morum dissociationem.

Et dixit Dominus: Ecce, populus est unu et labium unum est omnibus eis; coep runtque hoc facere, nec desistent a cog tationibus suis, donec eas opere compl verint.

Verbum זָמַם notum est; significat enim, ex c to proposito aliquid praesumere, et cogitare, sive b num sit, sive malum. Ita hoc in loco est: cons tuerunt hoc facere, obfirmarunt animum, nec se a instituto sinent abduci. Haec quasi querimonia D *est, admirantis* et dolentis de tanta hominum pra

mtione, quod securi auctoritatem Noah et pii Sem
ntemnebant, cum tanto suo malo.

Scribuntur autem haec ad consolationem nostram;
les enim infirma est, et quantumvis patienti, crux
t dura. Ideo sic fere cogitamus, cum videmus im-
orum consilia et tot grassantia scandala, quod rui-
ra sit ecclesia, et impietas occupatura omnia. Con-
a has cogitationes desperationis praesens locus va-
t, quasi dicat Spiritus sanctus: Ne hoc solum vi-
eas, quid homines cogitent; praefracti, obstinati, su-
erbi, securi sunt: sed tu paulisper desere terram,
t adscende cogitationibus tuis in coelum, et vide,
uid Deus faciat, et quomodo affectus sit. Profecto
on est otiosus, non dormit, sed cum dolore inspi-
it hanc hominum securitatem, et tam ei ista dolent,
uam vobis. Ne igitur dubitetis: veniet aliquando,
t hos זַמְזְמִים confundet. Sic enim vocant Ebraei
omines obstinatos, qui obfirmarunt animum ad ali-
uid faciendum. Igitur haec verba Dei singultus et
emitus piorum significant, qui terrentur et debili-
ntur ista impiorum obstinata sententia, quod certi
int, se, quae instituerunt, velle etiam invitis diis
erficere.

Videmus igitur, sanctos Patres etiam laborasse
a tentatione imbecillitatis in fide, postquam vide-
int tot scandala impiissimorum hominum blasphe-
antium Deum et verbum ejus. Alioqui non sic tre-
idassent, non sic ingemuissent, ut ad eorum con-
olationem Deus quoque coactus sit ostendere eis
ium dolorem, natum ex ista impiorum praesumtio-
e. Iam poena sequitur.

Age, descendamus et confundamus ib labium eorum, ne quisquam sermonem pro ximi sui intelligat. Dispersit itaque eo Dominus ab illo loco in universam ter ram, et destiterunt exstruere civitatem et vocatum est ideo nomen loci Babel quia ibi confudit Dominus labium univer sae terrae, et inde dispersit eos Dominu super faciem universae terrae.

Haec est descriptio horribilis poenae, ex qu bella, caedes et omnis generis mala per totum orbem terrarum nata sunt. Non enim existimandum est quod haec poena desierit: adhuc durat, et praeser tim ecclesia sentit tam grave incommodum. Quotie enim accidit, ut ob unam non magni momenti cae remoniolam dissiderent ecclesiae? Papa victor excom municavit omnes orientis ecclesias, quod ab occiden talibus differrent in celebratione diei Paschae. Nam orientales ecclesiae retinebant diem, quem Iudaei ad huc hodie observant; occidentales malebant uti liber tate Christiana.

Similia in politia accidunt; vere enim nulla reg nis et rebuspublicis nocentior pestis accidit, quam divisio. Nos Germani si conjunxissemus animos et studia, quid in nos potuisset, aut adhuc posset Tur ca? Nunc cum propter leviculos titulos inter nos dissidemus, paulatim carpit Germaniae vires, et unam regionem occupat post aliam.

Sic nos quoque plectimur confusione linguarum, et a tempore aedificatae Babel omnia regna hanc pestem senserunt. Verum enim est, quod Sallustius

g. 16.) dicit, concordia parvas res crescere, dis-
dia autem maximas dilabi. Et Graeci non inele-
nter fabulam Eridis commenti sunt, quae haud
o an non ex hac ipsa historia nata sit; nam ser-
nibus sacrae historiae etiam gentibus innotuerunt.
rebatur igitur proverbii locum Babylonicum ma-
a, cum volumus significare discordiam, nocentissi-
m rerum humanarum pestem, quae religionem, le-
, bonos mores, et quicquid haec vita boni habet,
nditus evertit, sicut exempla ante oculos sunt in
lesia, in politia et oeconomia.

Quod Moses hic plurali numero utitur, cum
ne Deus loquitur, supra in primo capite diximus,
od sit certum testimonium de sacrosancta Trinita-
quod credimus, unum Deum esse Patrem gene-
tem, Filium genitum, et Spiritum sanctum pro-
lentem ex Patre et Filio. Nec moramur cavillatio-
Iudaicas, qui nugantur, Deum locutum cum An-
is. Non enim sumus ad Angelorum similitudinem
diti, sed ipsi nobiscum sunt similitudo Dei. Quin,
ut verba ostendunt, statuimus talem pluralitatem
Deo, quae sit indivisae substantiae, et individuae
tatis. Non enim Angeli possunt confundere lin-
s; est hoc creatoris opus; is solus, sicut unita-
linguae dedit, eam mutare et tollere potest, crea-
a hoc non potest. Assumere linguam hominum
sunt Angeli, sicut exempla scripturae plurima te-
ntur; sed in homine eam nec creare, nec mutare
sunt.

Retineamus igitur veram sententiam, quod
us Pater, Deus Filius et Deus Spiritus sanctus,
est, ipsa una divinitas hic loquitur ad se, et di-

cit: „Descendamus". Igitur descensus ille est so Dei opus, cujus Angeli non sunt participes, post peccatum admissum impios terret et conteri

Ad hunc modum Moses pluralitatem personar in Deo ostendit, sed non explicavit, quanta et q lis esset; reservabatur enim id gloriae novi testam ti, quod personas expresse notat:, quod sit in I persona generans, persona generata et persona rata, ut sic dicam, quae a Patre et Filio proc Fuit igitur in veteri testamento articulus hic de nitate inclusus in generalem fidem, in qua sanct tres mortui et salvati sunt. Non igitur patiamu lia testimonia ab impiis et excaecatis Iudaeis eripi. Non enim tam aperta verba tamque pro posita depravanda, et ad absurdam sententiam torquenda sunt.

Linea majorum Christi a diluv usque ab Abram.

Hae sunt generationes Sem. Sem fuit c tum annorum, et genuit Arphachsad, bi nio post diluvium.

Haec undecimi capitis ultima pars videtur parvi momenti, quod nihil continet, quam genera nes Patrum. Sed revera necessaria narratio haec praesertim pro exemplo nostri temporis. Audi enim, post divisionem linguarum non solum pol et oeconomias, sed etiam ecclesiam varie esse tu tam. Ne itaque putaremus, tantum licuisse Sata ut lumen verbi tanquam solem e mundo penitus leret, et ecclesiam opprimeret, generatio sancto Patrum ideo proposita est, ut cerneremus, Dei

sericordia servatas reliquias, et ecclesiam non esse funditus exstinctam.

Sic post Seth fuerunt reliquiae ecclesiae Methusalah, et Noah cum sua familia. Post diluvium, cum subito impia Ham posteritas crevisset, et omnia impleret scandalis, Noah cum filio Sem et nepotibus gubernavit ecclesiam, ut appareat, articulum fidei nostrae verum esse, quod credimus, unam, sanctam et catholicam ecclesiam omnibus seculis a principio mundi usque in finem mundi. Semper enim reservavit Deus sibi populum, qui retineret verbum, et in mundo tanquam custos esset religionis et sanae doctrinae, ne omnia degenerarent in impietatem, et notitia Dei nulla esset inter homines.

Igitur hic Patrum catalogus docet nos de principali loco, quod Deus nunquam ecclesiam penitus deseruerit, etsi aliis temporibus copiosior, aliis tenuior fuerit; sicut etiam doctrina aliis temporibus purior, aliis obscurior est. Hac spe nos quoque sustentemus in tanta mundi et adversariorum verbi malignitate. Sicut Christus quoque (Matth. 24, 22.) nos consolatur, futurum, ut propter pios abbrevientur dies novissimi temporis, ut scilicet ecclesia conservetur, et Antichristus non involvat omnia erroribus et mendaciis.

Hi igitur nepotes Sem fuerunt heredes promissionis de Christo, quos Deus conservatos et defensos voluit, ut exsisterent personae, apud quas inveniretur ecclesia, seu verbum. Nam haec separari non possunt; ubi est verbum, ibi est ecclesia, ibi est Spiritus, ibi Christus et omnia, quantumvis impie

reclamet Papa, et neget, ecclesiam esse, ubi ipse non sit caput.

Ac Patres habuerunt carnalem successionem, sicut etiam postea in lege carnalis successio erat in sacerdotio. Sed in novo testamento nulla talis carnalis successio est. Non enim Christus genuit filios carnales; igitur ecclesia loco et personis vaga tantum ibi est, ubi est verbum; ubi verbum non est, etsi ibi sint tituli et officium, non tamen ibi est ecclesia, quia neque Deus ibi est.

Porro sunt similia exempla etiam posteriorum temporum, quae testantur, Deum singulari consilio et pro ineffabili sua misericordia non sic abjicere genus humanum tempore furoris et irae suae, quin conservet, sicut Esaias cap. 1. (v. 8. 9.) et 10. (v. 20.) loquitur, reliquias ecclesiae. Sic tempore Babylonicae captivitatis servati sunt Ieremias, Daniel et alii. Hos aluit et fovit promissionibus verbi, ut ipsi quoque ecclesiam ad posteros transmitterent.

Sic Romanis temporibus, cum iniquitates impiae synagogae completae essent, reliquiae ceu seminarium servatae sunt, per quas etiam gentes ad Christi cognitionem venerunt. Ita ecclesia semper conservata est divinitus in mundo per eum, qui serpentis caput contrivit.

Post hanc consolationem, quam praesens catalogus nobis proponit, ex annorum supputatione jucundum est faciem ecclesiae colligere, et videre, qui ejus gubernatores fuerint, et cum quibus vixerint.

Noah vixit post diluvium annos ter centum et quinquaginta. Quis autem enumeraverit, quantum

borarit in arguendis impiis Nimrodicis, et quantum arit in retinendis piis apud se, ne se cum impiis njungerent? Non abiit unus dies, quo non con- a scandala et nascentes haereses pugnaret bonus nex. Itaque supra dixi, hos Patres inter Martyres bere primum locum, quod tanta certamina et tam ngo tempore contra impios sustinuerunt.

Vidit autem Noah nepotes suos in generationem que decimam. Nam mortuus est, cum Abraham set annorum quinquaginta octo; Sem autem vixit tra Abraham annos triginta quinque. Itaque cum sac vixit annos centum et decem, et cum Iacob et sau annos quinquaginta. Quam pulchra haec fuit cclesia, a tot Patribus tam longo tempore una vi- entibus gubernata? Sic Deus in tanta scandalorum ultitudine haec lumina ecclesiae voluit lucere, ne mnia degenerarent in idolatriam.

Sed inter omnes excellit pius Noah, qui priorem undum tam longo tempore viderat, et sperabat, osteritatem ex se natam, admonitam horribili exem- lo diluvii, mansuram in verbo et timore Dei. Sed onus Pater fallitur; nam vix centum annis post di- ivium transactis, Nimrod invadit piam generationem, ellit eam sedibus, instituit novam ecclesiam et cul- is novos, imitatus patris sui Ham exemplum, qui c patre non tam vino, quam curis ebrio ludos facit.

Sic eadem ecclesiae facies et fortuna est ab ini- o mundi usque ad nos. Studemus quidem nos quo- ue occurrere et mederi scandalis; sed haec exempla os admonent, quod, sicut Christus (Matth. 18, 7.) icit: „Necesse sit venire scandala"; et Paulus (1. or. 11, 19.): „Oportet inter vos haereses esse".

Igitur paremus nos ad patientiam, et discamus ferre furias et ictus Satanae conantis ecclesiam Christi lacerare, et suam ecclesiam stabilire. Non sumus meliores Patribus; hi quoque multo sudore et labore vix hoc effecerunt, ut conservaretur verbum, et aliqui ex faucibus Satanae eriperentur. Nam et Abraham quoque Nimrodica ecclesia paene absorpserat; sed est revocatus voce Domini admonentis, ut impiam gentem desereret, et quaereret alias sedes. Hoc puto factum per ipsum Sem. Is enim quia erat gubernator ecclesiae, et habebat promissionem de Christo, a nepotibus in magno honore est habitus: vere enim ejus ministerium Dei ministerium fuit, et quod ipse jussit, tanquam Dei vocem acceperunt nepotes.

Itaque cum scribitur (1. Mos. 25, 22.), Rebecca consuluisse Dominum, existimo, quod ipsum Sem, quem Deus ecclesiae praeesse voluit, consuluerit. Mortuus enim Sem est, cum Iacob et Esau essent quinquaginta annorum. Tum enim Deus loquitur, cum sancti Spiritu sancto pleni loquuntur. Sub hoc tempus coepit Aegypti regnum; nam Abraham, sicut historia ostendit, in Aegyptum descendit.

Principalis igitur hujus capitis locus est, ut videamus, quo loco ecclesia illo tempore fuerit, et a quibus Patribus sit gubernata, qui denique Patres una vixerint.

Deinde admonet hoc caput, quod, postquam esus carnium homini concessus est, homines facti sint imbecilliores, et coeperunt citius tum generare, tum etiam mori. Qui igitur ex pomo prius comesto mor-

em voravimus, mortem acceleramus varietate cibo-um et luxu. Nam si uteremur simplicibus cibis, si-ne condimentis exoticis, quae gulam irritant, sine dubio longiore uteremur vita.

Me puero plerique, etiam qui ex ditioribus erant, potabant aquam, utebantur simplicissimis cibis et parabilibus; quidam vix trigesimo anno coeperunt gustare vinum. Nunc pueri fere assuefiunt ad vina, eaque aut exotica, aut sublimata, quibus jejuni utuntur. Quid igitur mirum est, si non dimidiant dies suos, et paucissimi quinquagesimum annum attingunt? Sicut igitur pomum voratum mortem attulit, ita nos, quod de vita reliquum habemus, luxu et varietate ciborum amittimus.

Vixitque Sem, postquam genuit Arphachsad, triginta quinque annis, et genuit filios et filias.

Mirabitur fortasse lector in hoc catalogo, cur *non* addiderit Moses, sicut in superiore (5, 8.), clausulam: „Et mortuus est". Sed facilis ratio est. Hac clausula Moses supra ideo voluit uti, ut tanto illustrius et conspectius esset exemplum resurrectionis et futurae vitae, quod Deus primo mundo in persona Henoch proposuit. Illud voluit Moses celebrare, ut etiam non attentus lector, cum de reliquis omnibus legit: „Et mortuus est", in uno Henoch resistat, de quo non dicitur: „Mortuus est", sed „Tulit eum Dominus," ac cogitet, quo eum tulerit, ubi sit, quid agat? Haec cogitatio enim etiam aliud cogitantem lectorem deducit ad certam spem immorta-

litatis, et ejus vitae, quae non coram mundo, sed coram Deo est.

Hic nascitur alia quaestio, quomodo Arphachsad nascatur biennio post diluvium, cum sit tertius filius Sem, sicut in superiore capite (v. 22.) Moses testatur. Nam primus filius Sem fuit Elam, a quo Persae sunt. Ad hunc regnum Babylonis pertinebat, sed est pulsus a Nimrod; Assur secundus numeratur, qui ad vitandam maledictam idolatriam Nimrod abiit ipse quoque in Assyriam, et aedificavit Niniven. Hos sequitur Arphachsad. Hunc dicit Moses natum biennio post diluvium, et tamen diserte dicit, anno Sem centesimo natum. Fuit autem Sem diluvii tempore centu annorum etc.

Alii hic alia afferunt; sed primum non magnum periculum in eo est, etsi ignorentur ista. Deinde, ut tamen aliquid respondeamus, nihil incommodi habet, si, quod Moses hic dicit biennio post diluvium, id referas ad diluvium, cum incepit, ut sit sententia: Biennio post diluvium inceptum, Arphachsad est natus. Duravit autem diluvium anno uno et decem diebus.

Sed objicitur, quomodo, si hoc verum est, Elam et Assur sunt nati ante Arphachsad; ita enim in unum annum inciderent tres partus? Respondeo: Ne id quidem impedit, si ponamus gemellos primo partu; sed, sicut supra dixi, non periclitatur fides nostra, si illa ignoremus. Hoc enim certum est, scripturam non mentiri. Itaque quae ad salvandam scripturae auctoritatem afferuntur, etsi non prorsus sint *certa*, tamen utilia sunt.

Arphachsad vero vixit triginta quinque annis, et genuit Salah. Et vixit Arphachsad, postquam genuit Salah, tribus annis et quadringentis, genuitque filios et filias.

Vides, Patres istos festinasse ad generationem post tantam calamitatem generis humani. Alioqui diutius abstinuissent moerore, sicut Adam et Heva post occisum filium Habel a fratre.

Porro Salah vixit triginta annis, et genuit Eber: vixitque Salah, postquam genuit Eber, tribus et quadringentis annis, et genuit filios et filias.

Vixit autem Eber triginta quatuor annis, et genuit Peleg; vixitque Eber, postquam genuit Peleg, triginta et quadringentis annis, et genuit filios et filias.

Vixitque Peleg triginta annis, et genuit Regu: et vixit Peleg, postquam genuit Regu, novem et ducentis annis, genuitque filios et filias.

Vixit autem Regu triginta duobus annis, et genuit Serug: vixit quoque Regu, postquam genuit Serug, septem et ducentis annis, et genuit filios et filias.

Vixit vero Serug triginta annis, et genuit Nahor: vixitque Serug, postquam genuit Nahor, ducentis annis, et genuit filios et filias.

Vixit autem Nahor viginti novem annis, et genuit Tharah: vixitque Nahor, postquam genuit Tharah, decem et novem atque centum annis, genuitque filios et filias.

Vixit Tharah septuaginta annis, et genuit Abram, Nahor et Haran.

Hic tandem pervenimus ad Eber, de quo supra (10, 21.) dixit Moses, et appellavit Sem patrem omnium filiorum Eber; diximus autem supra causam, fieri hoc primum propter reverentiam Christi, deinde, quia sub hujus aetatem incidit horribilis illa confusio linguarum. Sem igitur ejus familiam peculiariter complexus, eum praefecit ecclesiae, et quasi Pontificem constituit, ut sciretur propagatio ecclesiae et Christi. Itaque apparet, hunc Eber fuisse summum virum, qui purus et fortis in fide et promissione Patrum priorum permansit, turbante Nimrod ecclesiam Dei.

Haec ejus virtus meruit, ut auctoritate sancti Patriarchae Sem ecclesia ab eo appellationem sumeret, et Ebraei dicerentur, qui doctrinam et fidem Eber, sancti Patris, retinerent. Ac mansit haec appellatio ecclesiae usque ad Christi tempus.

Itaque rejiciamus commentum Rabbi Salomonis, qui Ebraeos contendit dictos a transitu Euphratis, et sequitur eum contradicendi studio Burgensis. Lyra rectius sentit, quanquam causam nominis non ita liquide ostendit, quod filii Eber retinuerunt sanam doctrinam et veram religionem, cujus sollicitus custos fuit Eber, ne a Nimrod et aliis apostatis depravaretur. Ex hac ecclesia Abraham quoque fuit, qui

per omnem vitam cum hoc Eber vixit; itaque ipse quoque dictus est Ebraeus, quod in promissione et fide Eber vixerit. Nam Eber anno LXIV. post Abraham mortuum decessit.

Habetis jam historiam primi mundi, a Mose fideliter ostensam, ut constaret de perpetua promissionis de Christo propagatione; si igitur hanc primae ecclesiae historiam appellas, non erraveris. Nam de impiis Spiritus sanctus non est sollicitus. Hi ex memoria hominum auferuntur, et sepeliuntur in infernum, sed veram ecclesiam videmus Deo curae esse, cujus propagationem ab initio mundi Spiritus sanctus tam diligenter ostendit.

Merito igitur ecclesia hunc librum semper fecit plurimi. Hoc enim amisso, quae ecclesiae ratio fuisset per duo millia annorum, ignoraretur. Nunc autem nos, qui tanto intervallo Patriarchas sequimur, merito admiramur istos sanctos gubernatores primae ecclesiae, Adam, Seth, Noah et Sem, et aestimamus eorum certamina ex nostris tentationibus, quas vitae brevitas facit tolerabiles. Illi enim multis seculis in acie constituti Satanae et mundi furorem et impetus fide in promissionem seminis de muliere vicerunt, ac tandem evocati ex hac statione, reliquerunt posteritatem bene institutam, et insistentem vestigiis majorum. Itaque, etsi nunquam quieta fuit ecclesia, tamen in saevissimis tentationum procellis duravit.

Hujus tanti beneficii memoriam Moses his undecim capitibus conservavit, ac nos quoque excitat in certam spem, qui sanam doctrinam et religionem puram retinemus, futurum, ut nostro quoque seculo impii cadant, ecclesia autem vincat et triumphet.

Pio lectori D. Martin. Luther.

Spero autem, piis hanc meam operam et profuturam alicubi, et gratam fore, quanquam quis non venia nos dignos videt, qui in hanc mundi senectam ac fere delirium incidimus, si non ubique assecuti sumus spiritum tantorum virorum, qui primum mundum gubernarunt, et religionis doctrinam cum vero cultu ad Abraham usque transmiserunt, qui tertii millenarii gubernator exstitit? Ejus historiam, Deo, juvante conatus nostros, etiam explicabimus. Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, una cum sancto Spiritu sit gloria et laus pro hoc et aliis ejus universis beneficiis in secula seculorum, Amen.

IN GENESIN

ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

SOLA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM, PER

VITUM THEODORUM.

TOMUS SECUNDUS

CONTINENS HISTORIAM S. PATRIARCHAE ABRAHAE.

Rom. XIV.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.

Hebr. XI.

Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, et praeter tempus aetatis peperit, quoniam fidelem credidit esse eum, qui promiserat.

TOMUS SECUNDUS

ENARRATIONUM

IN GENESIN,

QUI CONTINET HISTORIAM ABRA-IAE, PER REVERENDUM PATREM, OMINUM DOCTOREM MARTINUM .UTHERUM, IN SCHOLA VITTEM-BERGENSI.

Hic ordiemur tertium librum. Nam primus conti-et historiam primi mundi usque ad diluvium: se-ındus ea, quae post diluvium usque ad Abraham esta sunt, explicat. Brevis quidem historia, si res estas spectes, quales mundus solet admirari; sed in o omnes historias mundi, quantumvis magnificas, incit, quod ostendit, et Deum locutum cum sancto iro, et promissionem de futuro Christo factam Pa-riarchae Sem, cum ea conditione, ut Iapheth quo-ue ejus promissionis fiat particeps. Haec promissio anquam sol illis seculis praeluxit, ut viderent pii liem Christi ex longinquo, et in ea spe vincerent,

quicquid incommodorum ingratus mundus et sus hostis Satan objicerent.

Sequitur autem jam tertius liber, in quo solum generatio nova, sed etiam nova promissi tur. Quid enim prohibet eam novam generati appellare, cui novum verbum coelitus mittitur! igitur est insignis ornatus, quo Abrahamum ornat, quod cum eo loquitur, et promissione semine benedicturo omnes gentes ei proponit.

Hujus nihil simile profanae historiae h Quicquid enim in eis eximium est, hoc totum net ad illam gloriam et privilegium illud h datum, quo jubetur dominari piscibus maris, oribus coeli etc., hoc est, nihil aliud ostendunt riae profanae, quam res gestas ratione et ind hominum. Sed verbum Dei majus donum est: etiam Spiritus, quo piorum corda reguntur, donum est, quam sit ratio. Terrena igitur haec illa autem coelestia et divina, atque ideo a nobis rito magnifiunt, et in admiratione sunt.

Etsi igitur temporibus ipsius Abrahae multi huc Patriarchae fuere superstites (nam Abraham nos quinquaginta octo habuit, cum moreretur N Sem autem post mortem Abrahae vixit annos tri et unum, superstites quoque post eum fuerunt qui ex majoribus ejus), tamen recte dicimus, Abraha coepisse novum mundum, et ecclesiam vam: si quidem Deus in Abrahamo incipit ecclesiam suam discernere ab omnibus gentibu addit promissionem clarissimam de Christo, be turo omnes gentes.

Recte igitur hic ordimur novum librum nova lux de coelo exoritur, quae ex Abrahae

ritate ostendit Christum nasciturum, et concionatur suavissime de ejus ministerio, quod benedictionem sit allaturus mundo, hoc est, satisfacturus pro peccatis mundi, et reconciliaturus hoc modo nos cum Deo, ac donaturus aeternam vitam. Accedit ad haec etiam loci definitio, in quo nasciturus sit Christus; quia enim posteritati Abrahae promittitur terra Canaan, et Christus ex posteritate Abrahae nasciturus erat, certum est, in terra Canaan et ex Iudaeis nasciturum Christum. Hanc lucem ante Abrahamum ecclesia non habuit. Ideo nunc quasi nova ecclesia surgit, cum verbum novum incipiat fulgere.

Postrema pars undecimi capitis.

Istae sunt generationes Terah. Terah genuit Abram, Nahor et Haran. Haran vero genuit Loth. Et mortuus est Haran apud Thare, patrem suum, in terra, in qua natus est, in Ur Chaldaeorum.

Hic locus est inter obscurissimos totius veteris testamenti. Itaque varias peperit quaestiones, quas passim inveniet et apud veteres et recentiores diligens lector. Mihi autem recte videor facturus, etsi veram sententiam non attingo, ut Pauli sententia me tuear, qui et ipse in easdem difficultates impingens, dixit (1. Tim. 1, 4.), vitandas genealogias, quod infinitis quaestionibus praebeant occasionem. Accedit autem ad hoc aliud vitium, quod ambitiosa ingenia etiam ingentem laudem in eo putant positam, si de obscuris locis libere judicent, et postea pertinaciter suam sententiam defendant. Hic naturae morbus est, a quo cavere interpretes sanctae scripturae debent.

Habent et profani scriptores multos obscuros locos, et, sicut quidam appellare solet, cruces grammaticorum. Sed in iis sine periculo aliquo ludere ingeniosi possunt: in sacris autem literis nonnisi vera pertinaciter defendenda sunt: de obscuris et dubiis relinquendum judicium suum aliis est.

Hujus igitur loci haec prima quaestio est, an Abram, sicut primo loco hic numeratur, fuerit primogenitus, an non. Ac concurrunt inter se infestis quasi exercitibus Lyra et Rabi Salomon. Lyra negat, eum fuisse primogenitum, et adducit hanc arithmeticam rationem. Sara, inquit, fuit filia Haran: Abraham autem tantum decennio excessit uxorem aetate. Sic enim infra dicit 17. (v. 17.): „Putasne, centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet"? Impossibile igitur est, quod Abraham excesserit aetate fratrem Haran, cujus filia tantum decennio minor est Abraha. Haec arithmetica et firma ratio est. Nam si Abraham tantum decennio excedit fratris filiam, et fingitur major natu fratre, sequitur, fratrem Haran ad summum octo annorum fuisse, cum Saram gigneret. Sed hoc plane absurdum est.

Cur igitur, inquies, primo loco ponitur Abraham? Respondet Augustinus, attendendum esse non nativitatis ordinem, sed significationem futurae dignitatis, qua excelluit Abram fratres. Ponendus enim fuit tanquam caput et stirps generationis sequentis. Haec Lyrae sententia est, profecto irrefragabilis, si Sara fuit naturalis filia Haran. Sed potuit etiam vel a matre, quam Haran viduam duxit, adducta, vel ab ipso Haran adoptata esse, atque hoc modo recte dicitur filia Haran, sed non naturalis. Hac ratione si

uit Sara filia Haran, argumentum Lyrae non conludit.

Hanc supputationem Rabi Salomon negligit, et ecundum literam statuit, Abram fuisse primogenium. Id etsi facit communi studio, quod patrem udaeorum hoc honore ornat, tamen ego quoque in am sententiam fere descendo, ut existimem, fuisse rimogenitum.

Secunda quaestio longe difficilior est, quam tanen neque Lyra, nec alii scriptores attenderunt: uod in ipso Abrahamo nobis intercidunt anni LX. Iam facilis supputatio est, quam textus ostendit. 'hare est annorum septuaginta, cum gignit Abram, ibram autem anno aetatis LXXV. ex Haran, in qua 'hare mortuus est, egreditur. Hos annos si conjunas, habebis annos CXLV. Sed cum historia annos 'hare numerat, diserte dicit, mortuum, cum vixisset nnos CCV. Quaestio igitur est, quomodo hi anni itendi possint?

Absurdum autem est imitari audacia ingenia, uae, cum talis difficultas incidit, statim clamant, ianifestum errorem commissum, et alienos libros ne pudore emendare audent. Ego quid ad hanc uaestionem recte respondeam, nondum habeo, cum men diligenter subduxerim annos mundi. Itaque im debita et humili confessione ignorantiae (solus iim Spiritus sanctus est, qui omnia scit et intellit) sic conjicio, Deum certo suo consilio in Abraha is LX. annos voluisse intercidere, ne ex annorum undi certa ratione quisquam de fine mundi certi aliiid praedicere praesumeret. Ostendit quidem signa ivissimi diei, et ea exstare ac conspici vult, sed ınc diem non vult sciri, imo ne quidem annum, ut

pii perpetuo in expectatione hujus gravissimae lucis exercerent fidem et timorem erga Deum. Aliud de hac quaestione, quod dicam, nihil habeo.

Haec de duabus primis quaestionibus volui monere, ne vel nescire, vel non legisse talia nos aliquis existimet. Quodsi nos quoque in eo fallimur, quod statuimus, Abrahamum primogenitum esse, talis hic error est, qui non officiat fidei, nec damnet nos. Neque ego ex his disputationibus laudem capto *). Scio, Deum sib distribuere sua dona, non ut per ea dominemur aliis, aut contemnamus aliorum judicia, sed ut serviamus iis, qui in ea re nostra habent opus opera.

Quod de Haran textus dicit, mortuum eum עַל־פְּנֵי תֶּרַח, coram patre, in terra, qua natus est, facilis est sententia. Vult enim ostendere, Haran mortuum, antequam Abraham cum patre Terah discesserit ex Chaldaea. Nugas Iudaicas lubens omitto, quas etiam Lyra recitat, quod Haran in ignem conjectus perierit, Abraham autem salvatum in igne, quod haberet firmiorem fidem. Dignior fide testis est Iosua, qui diserte dicit cap. 24. (v. 2.). „Trans fluvium“, hoc est, in ipsa Mesopotamia „habitaverunt Patres vestri ab initio, Thare, pater Abraham, et Nahor: servieruntque diis alienis“. Hoc aliud elogium est, quam quod mendaces Iudaei Abrahamo tribuunt, cujus fidem tantum propter carnalem gloriam laudant, ut tali patre magis gloriari possint. Sed si volunt Abrahamum laudare, sicut scriptura laudat, fateantur oportet, eum fuisse impium idolatram; sic enim Iosua testatur.

---

*) Edit. princ. capito.

Itaque horribile hoc exemplum est, quod Nimrodica factio, seu haeresis in tantum in Babylone crevit, ut etiam sanctorum posteritatem veneno suo inficeret. Pius Sem retinuit verum cultum, et a sana doctrina non discessit: sed quam eum putabimus contemtum a Nimroditis: si quidem etiam Thare, Nahor, Abram ab eo discedunt, et se cum Satanae ecclesia conjungunt?

Sicut igitur admoniti hoc exemplo merito exuimus securitatem, et ambulamus in timore Dei, postquam non solum laterales Patres in errorem et idolatriam inductos videmus, sed etiam ipsam stirpem ecclesiae, Thare et Abraham: ita quoque insigne hoc misericordiae Dei exemplum est, quod hos idolatras non abjicit Deus, sed revocat ab errore, et reducit per verbum suum in viam. Papa ex suis sanctis facit meros Angelos, imo potius truncos et caudices, in quos nihil humani cadat. Sed scriptura etiam summos ecclesiae heroas ostendit homines fuisse, hoc est, saepe lapsos esse, saepe peccasse, et tamen a misericorde Deo iterum receptos in gratiam. Itaque haec exempla simul et ad instillandum animis timorem Dei, et alendam fidem, seu fiduciam misericordiae utilia sunt.

Acceperunt autem Abraham et Nahor uxores. Nomen uxoris Abram, Sarai, et nomen uxoris Nahor, Milca, filia Haran, patris Milca et Iisca. Fuit autem Sarai sterilis, nec erat illi proles.

Omnes interpretes fere in ea sunt opinione, ut existiment, Iiscam esse, quae supra Sarai dicitur, et ab Abraha ducta est in uxorem. Sed mihi ideo di-

serte hic Haran pater Milcae et Iiscae appellari videtur, ut ostendat Moses, Saram non fuisse naturalem filiam Harae, sed aut fuisse privignam, aut adoptatam. Non tamen impedio, quin quisque sequatur, quod simillimum veri judicat. Non enim in hoc periclitatur fides nostra.

Quod autem scriptura de Sara dicit, fuisse sterilem, ideo fit, ut videamus, etiam isto tempore commendari benedictionem generationis. Si quidem scriptura hanc tanquam insignem calamitatem Sarae commemorat, quod sterilis fuerit. Hac calamitate in isto peccati infernalis inferno punit, seu potius, tentat omnipotens Deus sanctum virum, ut, cum impii omnes numerosas familias habeant et magnam posteritatem, ipse solus habeat sterile matrimonium. Sed non tantum Deus Abrahamum hoc modo voluit tentare: pertinebat enim ad magnificandum miraculum, et misericordiam, potentiam ac veritatem Dei testandam, quod sterilis, et deinde etiam effetā Sara parit filium, ex quo tantus populus, et tanta posteritas propagatur. Merito autem hoc in loco id observamus, quod inter morbum naturae per peccatum vitiatae, et suum opus, hoc est, generationem, Spiritus sanctus discernit, nec tollit beneficium hoc propter naturam, sed etiam in vitiata natura, quae libidine et rabida concupiscentia, tanquam bellua fertur, donum generationis nobis commendat, tanquam insignem benedictionem. Hoc enim nisi esset, non meminisset sterilitatis in Sara, cum Abraha juncta.

Et tulit Thare Abram, filium suum, et Loth, filium Haran, filium filii sui, et Sarai, nurum suam, uxorem Abraham filii sui, et edu-

xit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Canaan; veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi. Fuerunt autem dies Thare quinque anni, et ducenti anni, mortuusque est Thare in Haran.

Hic secundus nodus est, sed paulo expeditior priore. Nascitur difficultas inde, quod Stephanus apud Lucam Actor. 7. (v. 2. 3.) dicit, Deum gloriae apparuisse Abrahae, cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Haran, et dixisse: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quamcunque monstravero tibi. Hic autem Moses dicit, patris auctoritate Abrahamum migrasse in Haran, et insequenti capite dicit, post defunctum patrem in terra Haran Abrahamum divina voce esse evocatum ex Haran. Sed si quis humiliter aspiret, et non nimium indulgere ingenio volet, facile conciliabit Mosen et Stephanum. Ac dicemus nos infra in cap. 12. nostram sententiam. Hoc in loco satis erit admonuisse, quod Thare a Nimrodica factione deceptus, cum sua familia discesserit a fide, et factus sit idolatra; admonitus tamen a sancto Patriarcha Sem, statuit, Nimrodicum sodalicium deserendum esse.

Est autem hic attingenda tertia quaestio, quae grammatica est, de Ur Chaldaeorum; nomenne id loci sit, an idoli Chaldaei. Nam vocabulum אור lucem, seu ignem significat, sicut inde appellationem habet אורים 2. Mos. 28. (v. 30.), quae fuerunt in pectorali Aaronis, unde responsa dabat Dominus. Etsi autem, qualis ea res fuerit, affirmari non possit, tamen a luce, seu fulgore nomen habere certum est. Ego in ea sententia sum, ut existimem, loci nomen esse, cui tamen, sicut solet, appellatio haec

ab idolatrico cultu contigit, qui ibi praecipue viguit. Nos in Germania similes locorum appellationes habemus, sed ex aliis rationibus impositas: Lichtenfels, Lichtenstein, Lichtenberg. Videtur autem huic cultui occasionem dedisse, quod Deus significationem gratiae Patribus per lucem, seu ignem coelitus demissum edidit, qui oblatas hostias hauriebat. Hoc enim signum erat, delectari Deum hoc cultu, sicut Eliae historia 3 Regg. (1 Regg. 18, 38.) ostendit. Ac in lege sacrum ignem perpetuo ali praecepit Deus 3. Mos. 6. (v. 12.), ex quo cremarentur hostiae. Suntque hunc cultum imitatae gentes, sicut historiae ostendunt. Ad eum prorsus modum existimo puram religionem Nimrodicam factionem imitatam, sibi suum peculiarem ignem consecrasse, ut Patrum cultus vilesceret, tanquam qui nihil haberent singulare et eximium. Ex hoc igni postea loco nomen impositum est, ut Ur vocaretur civitas, in qua cultus ille maxime vigebat, ad quam populi, sicut postea apud Iudaeos ad Hierusalem, et nostris temporibus ad Romam, magna frequentia concurrerunt. Ac Iosua (24, 2.) auctor est, ipsum Thare, Nahor et Abrahamum hanc idolatriam secutos esse, et probasse.

Ita docent exempla omnium temporum, fastidiri verbum veritatis et veros cultus a vulgo. Itaque cum novi doctores surgunt, afferunt ad eos prurientes aures, et vere, sicut Moses (5. Mos. 29, 19.) dicit, ebrius apprehendit sitientem. Doctores pravi ad docendum promtissimi, et vulgus ad audiendum avidissimum est. Hac ratione verbum et veri cultus amittuntur. Anabaptistae novum dogma afferunt, non *baptisandos* pueros, quod, sicut ratione carent, et

verbum non intelligunt, ita fidem habere non possint. Tale a nobis nihil audivit vulgus; itaque magno applausu eam sententiam excipit. Sacramentarii Zwinglius, Oecolampadius et similes pugnant, non hoc sentire Christum, cum dicit: „Hoc est corpus meum", quod cum pane vel sub pane det corpus suum; panem tantum sumi, et vinum bibi, non sumi corpus Christi, non bibi sanguinem ejus: hos doctores admiratur et sequitur imperitum vulgus. Nos autem, qui a verbis Christi nos non patimur abduci, judicamur Papistis nihil saniores, aut meliores. Sic solet mundus, verbum fastidit, et admiratur novitatem. Haec illam Ur, de qua Moses hic loquitur, fecit nobilem, ut prae caeteris Chaldaeae civitatibus ob novum cultum celebrraretur.

Vocabulum כַּשְׂדִּים significat Chaldaeos. Ego autem in ea sententia sum, quod ob novum cultum Ur vocata sit אוּר חֲסִידִים quasi dicas, sanctorum civitatem, sicut Romam appellarunt principem ecclesiam, et caput reliquarum ecclesiarum omnium. Sed Moses invertit appellationem, quasi dicat: Non estis חֲסִידִים, sed כַּשְׂדִּים: non sancti, sed Chaldaei. Nam Prophetae delectantur talibus allusionibus. Sicut Michas (1, 11.) שַׁאֲנָן vocat צַאֲנָן, et Hoseas (10, 5.) בֵּית־אֵל vocat בֵּית־אָוֶן.

Vestigia hujus idolatriae, sicut testantur historiae gentium, longo tempore manserunt in Persis. Nam rex Persicus sacrum ignem, quem historiae Orimasda corrupto vocabulo Hebraeo vocant, in vacuo equo ante se solemniter vehi voluit, sicut Papa in vacuo, sed egregie exornato equo, in solemni pompa, Christi corpus, ut vocat, ante se vehi sinit.

Sed imponit sibi et aliis; non enim Christi corpus, sed purus panis est. Non enim Christus voluit, corpus suum adesse, cum circumfertur panis in spectaculo, sed cum sumitur, seu manducatur in ecclesia, secundum institutionem suam. Et abutitur ea pompa Papa, ut confirmet errorem suum de altera specie.

Ita manet impietas et superstitio semper sui similis. Etsi enim exercitia et signa mutantur, seu cultus externus, tamen affectus et studia manent eadem. Non utitur Papa igne ad adorationem hodie, sed habet alia studia et exercitia impia, quae specie dissimilia sunt, sed habent eundem finem. Itaque Ur Chaldaeorum, sicut a principio mundi paene fuit, ita manet usque in finem. Relinquunt enim homines verbum, fidem persequuntur, et occupantur interim novis studiis. Haec sola verum cultum esse somniant.

Iudaei non loci nomen Ur esse judicant, sed fuisse ignem, in quem conjecti sunt, qui Nimrodicam idolatriam damnarunt, sicut narrant fabulam de Abraha et Haran. Sed non sequor eorum sententiam; loci nomen esse puto, ad quem undique concurrerunt homines, tanquam ad sanctissimum cultum. Sicut postea cultuum celebria loca fuerunt Ierusalem, Bethel, Sichem, ubi variis operibus se patefecit Deus Patribus.

Iactenus enim linea ab Adam per multos Pa-
is usque ad Noah deducta est, et inde usque
ahamum, sub qua ecclesia magnum accepit
quod impietas adeo creverat, ut etiam sanc-
posteritas in errorem abriperetur. Necesse igi-
, ut ostenderet Moses, quomodo in hoc tan-
culo ecclesia divinitus renata sit, ne tota cor-
et exstingueretur vera religio penitus.

; merito haec historia proponitur tanquam sin-
misericordiae exemplum, quo erecti statua-
Jeum nostro quoque tempore, ubi omnia re-
minantur interitum, ecclesiam servaturum. Ac
res historiae, etsi maximas res continent, ta-
rbreves sunt. In his autem, quae sequuntur,
t se Spiritus sanctus, et copiosius omnia per-
Itaque hactenus ecclesiam ceu rivulum vidi-
niter profluentem, qui nunc sumit incremen-
justi fluminis strepitu fertur, donec mirabili
tione Dei auctus populus sanctus, tanquam

pellavit eum cum sua generatione virum justum et integrum. Tali titulo hoc in loco non ornatur Abraham, sine dubio ideo, quia Abraham cum patre et fratribus, sicut Iosua (24, 2.) testatur, fuit idolatra, et non fuit justus coram Deo, sed coram Nimrod, cujus cultum imitabatur. Tacet igitur Moses de persona Abrahae, nihil in eo laudat. Nam idolatria reprehendi debet, non laudari. Dei autem misericordiam laudat, et nobis commendat, quod hunc idolatram non est passus in idolatria diutius haerere, sed eum evocavit ex ista impiorum ecclesia in alium locum.

Haec vocatio magnifica et digna laude est, ac commendat eam Esaias capite 41. (v. 2.): „Quis suscitavit ab oriente virum"? Quis vocavit, ut justitiam doceret, quocunque ambularet? Haec enim Hebraica phrasis est in voce לְרַגְלוֹ, et epistola ad Hebraeos (11, 8. 9.) dicit: „Fide cum vocaretur Abraham, obediit, ut egrederetur in locum, quem accepturus erat in hereditatem, et egressus est, nesciens, quo veniret. Fide quoque incola fuit in terra promissa, tanquam aliena"; et prorsus idem Moses hic significat, cum dicit, divinitus vocatum, ut egrederetur.

Hoc enim beneficium, quod ab idolatria liberatus est, non est propriorum meritorum aut virium, sed tantum miserentis et vocantis Dei. Sicut Moses etiam (5. Mos. 29, 13.) populum suum admonet, electum eum a Domino, non quia ita meruissent, sed quia Dominus eos dilexisset, et custodiret juramentum datum patribus. Hoc in loco videmus initia convenire cum fine. Quid enim aliud est Abraham, nisi auditor vocantis Dei, hoc est, persona mere passiva, et tantum materia, in quam agit divina misericordia?

Valet

Valet igitur hic locus ad confirmandam doctrinam gratiae, contra meritorum et operum dignitatem, quam ratio tantopere effert. Si enim quaeras, quid fuerit Abraham, antequam vocaretur per misericordiam Deum, respondet Iosua (24, 2.), fuisse idolatram, hoc est, meritum esse mortem, et damnationem aeternam. Sed in hac miseria non abjicit eum Dominus, sed vocat eum, et per vocationem ex eo, qui nihil est, facit omnia. Facile credo, Abrahamum, si quis civiles virtutes spectet, fuisse honestissimum hominem, et quantum natura fert, optimum virum, qui non indulsit libidini, avaritiae et aliis cupiditatibus foedis, sed moderatione vicit vel gubernavit caecos impetus vitiatae naturae.

Nam Babylonica religio Nimrodi fuit speciosissima, si quidem Deum coluerunt sub titulo lucis, quae optima forma seu figura divinae majestatis est: et ipsae sacrae literae Deum lucem appellant (1. Ioh. 1, 5. Ps. 104, 2.). Ad hunc cultum, qui pulcherrimam speciem habuit, accessit etiam vita et mores probati. Itaque amplexi hanc religionem sunt etiam sanctorum posteri.

Est enim superstitio pestilens imperatrix, quae omnibus seculis regnat in mundo, et mundus imperium ejus cupide amplectitur. Sed in hac lucida et splendente religione ipse Abraham est captivum Satanae mancipium, qui colit Deum non eo modo, quo ipse Deus se voluit coli, sed sicut eum videt coli ab illis, qui numero, dignitate, potentia sanctas reliquias piorum Patrum vincebant.

Est igitur Abraham, sicut supra dixi, nihil nisi materia, quam divina majestas per verbum, quo eum evocat, apprehendit, et format in novum homi-

num decus addere genti suae; sed turpiter mentiuntur, sicut eos aperte refutat dux et gubernator ipsorum Iosua (24, 2.). Idem solent Monachi, quorum conciones nihil sunt, quam prodigiosae laudes Francisci, Dominici, Augustini; has qui amplificare et extollere potest, optimus habetur concionator. Deus autem, quasi post principia stans, tandem etiam aliqua parte laudum afficitur, quod talibus donis ornarit tantos Sanctos.

Haec autem philosophica, rationalis et vere Turcica praedicatio est, quae judicat, per opera nobis contingere salutem et justitiam. Igitur Mosi exemplum sequamur, cum de Sanctis volumus concionari, nec obliviscamur Ur Chaldaeorum, in qua cum viveret Abraham, idolatra fuit, hoc est, doceamus, etiam summos Sanctos fuisse homines, qui et labi potuerunt in peccata, et saepe horribiliter lapsi sunt; quod autem servati, et postea donis variis ornati sunt, id totum Dei misericordiae est, per verbum suum vocantis, et non abjicientis nos.

Nam in hoc omnes Sancti Abrahae similes sunt, quod, dum vocatio divina abest, dum verbo carent, etsi in speciem boni sint et sancti, tamen sunt in morte et damnatione. Sed vocati et illuminati per verbum, credunt, Deo gratias agunt, sancte vivunt, et Deo placent, sic tamen, ut tum quoque remissione peccatorum eis sit opus. Itaque etiam cum sanctissime vivunt, tamen humiliantur, nec superbiunt.

Sed hic quaestio incidit, quomodo Abraham sit vocatus; an hanc vocem ex ipso Deo audierit? Ego prorsus sum in ea sententia, ut existimem, non immediate a Deo sine ministerio vocatum esse. Sicut infra (1. Mos 18, 2.) narratur, quod Deus eum in-

viserit, quod collocutus eum eo sit, imo etiam, quod conviva Abrahae fuerit; sed allatum ad eum judico hoc mandatum vel per ipsum Patriarcham Sem, vel aliquos a Sem missos.

Non enim hoc solum doluit pio Sem, Thare cum suis liberis perire in isto igni Chaldaeorum, hoc est, in idolatria Nimrodica: sed vidit per revelationem divinam, seu ex inspiratione divina, solum ex posteritate sua Abramum fore, ex cujus lumbis proditurus sit liberator generis humani: hac revelatione motus, non passus est, eum haerere diutius inter idolatras, praesertim cum pater Noah jam exstinctus esset. Nam sedecim fere annis post mortem Noah Abraham egredi ex Ur jussus est.

Dicitur autem Dominus eum evocasse, quia quidam sancti homines ex inspiratione Spiritus sancti eum evocarunt. Quicquid enim loquuntur homines ex Spiritu Dei, hoc ipse Deus loquitur; sicut Christus (Luc. 10, 16.) dicit: „Qui vos audit, me audit".

Porro verbum לֶךְ־לְךָ, quod noster vertit: „Egredere", in Hebraeo valde emphaticum est. Ad verbum si vertas, sonat: Vade tibi ex terra tua. Significat autem, totam istam religionem, in qua hactenus vixit Abram, esse impiam et detestabilem. Quasi dicat Sem: Si manebis isto in loco, non salvaberis. Igitur si cupis salvari, desere terram istam, desere cognatos tuos, desere domum patris tui, et quam longissime discede ab istis idolatris, in quibus nulla fides, nullus Dei timor est, sed tantum superstitio et caecus error, qui sequitur ignorantiam Dei. Nam nisi impius cultus fuisset in Babylone, Deus non jussisset Abrahamum, ut alio migraret. Igitur involvit hoc ipsum verbum primam tabulam; hanc audit Abraham, et

incipit Deum timere, hoc est, credit huic comm
tioni, et paret sancto consilio. Ideo sequitur po
tam magnifica promissio.

Sicut autem pius Sem ipsi Abrahae concion
est, ita David quoque concionatur suo populo F
mo quadragesimo quinto (v. 11.), cum dicit: „A
filia, et vide, et inclina aurem tuam, et oblivis
populum tuum, et domum patris tui“. Haec
gravis admonitio, ne Iudaei verbum evangelii ne
gant, sed ut legem et omnia huic doctrinae pos
nant, et simpliciter obliviscantur Patrum. „Hoc
quit (v. 12.), si feceris, concupiscet rex deco
tuum“, hoc est, te complectetur amanter per
tiam suam, et ornabit Spiritu sancto suo, justit
aliis donis. Hoc igitur verbi, seu ministerii prae
sum beneficium est, quod ostendit, seu revelat
catum illud, quod ratio per se non solum non
test agnoscere, sed judicat etiam, summam esse
stitiam et gratissimum Deo cultum. Idolatria e
tantum per verbum Dei agnoscitur.

Atque hic demum Iudaei, si vere patrem su
laudare cupiunt, incipiant ejus laudes. Vixit ho
mus in idolatria, nullam habuit veram cognitio
Dei, fuit sine fide, sine timore Dei, etsi in spe
non fuerit malus vir. Sed nunc, cum verbum p
facit verum Dei cultum, et damnat idolatriam,
facit sicut nostri Papistae, qui admoniti obsti
animo pergunt, et urgent contra conscientiam
pios cultus; sed acquiescit verbo. Cum jubetur
re de Babylone, ubi habebat instructam domum,
tim paret: non disputat secum, sicut solent im
Quid, si nos simus meliores istis, qui me hinc
cant? Sumus enim nos quoque Patriarchae s

nepotes: tamen etiam in hac terra erunt aliqui sancti: cur igitur solus ego hinc migrarem? etc.

Horum nihil cogitat; sed cum audit, damnari religionem, qua hactenus domus patris et cognatio tota usa erat, eam abjicit, et volens sequitur vocantem Deum, nulla habita ratione commodorum, quae jam in manibus et parata erant. Haec profecto insignis obedientia est, quam merito celebramus et admiramur. Nam quod paterfamilias relinquit domum, agros, caram patriam, caros cognatos, et abit in exsilium, incertus, ubi pedem figere possit, hoc profecto non exiguum obedientiae specimen est, quod pauci imitabuntur.

Sed illud longe est majus et difficilius, quod sibi persuaderi passus est, religionem, in qua educatus a parentibus erat, esse impiam et contra Deum, sicut experimur, omnium operum longe difficillimum esse, eos lucrifacere, qui educati sunt in Papistica religione, quae tamen palam impia et blasphema est. Imo nos ipsi, qui jam olim abjecimus Papae doctrinam, saepe ac multum sudamus, donec vincamus miseriam illam consuetudine duplicatam: si quidem et nascimur hypocritae, et postea etiam per impios doctores in hypocrisi confirmati sumus.

Merito igitur praedicamus Abrahamum, qui admonitus per sanctum Sem, ab eo discedit, quod et natura dederat, et auctoribus Patribus et consuetudine confirmatum erat. Etsi autem sine magnis certaminibus in conscientia haec res non est gesta, tamen vicit tandem fides et verbum. Itaque Monachorum patres Augustinus, Franciscus, Dominicus prorsus nihil sunt, collati ad hunc virum.

Sed Sarae quoque non obliviscamur, quae ma-

riti pietatem adeo strenue imitatur, relinquens ips quoque patriam et caros cognatos, deinde rem fami liarem sine dubio bene constitutam, ac sequens in certam spem. Non autem dubium est, quin cogn ti eam hortati sint ad deserendum maritum, praese tim cum profectionis consilium intelligerent. Se pia mulier magno animo blanditias, preces, mina contemsit, et maritum secuta est. Familia quoqu longe melior et obedientior fuit, quam nunc est, qua patremfamilias noluit deserere.

Monachi hanc magnam laudem putant, quo relinquant omnia, cum tamen plus inveniant in mo nasteriis, quam in domo parentum reliquerunt; se quem mihi cum hoc Monacho Abraha conferes, qu deserit patriam, cognationem, fundos paternos, do mum et omnia, et simpliciter sequitur in exsilium vo cantem Deum? Habet autem ex aliis sociam in ho suo monachatu piam Saram, quae non videt, quo prima nocte habitura sit hospitium, cum domi laut ac delicate posset vivere.

Non autem ex affectu conjugali tantum maritu sequitur, sed adjuta est per Spiritum sanctum, qu muliebre cor movit, ut neglectis omnibus, ipsa quo que sequeretur vocantem Deum, cupiens ipsa quo que salvari, et non cum idolatris damnari. Merit igitur hanc obedientiam Petrus praedicat 1. Pet. (v. 6.), et vult, imitari uxores hanc Sarae insigne virtutem. „Estis, inquit, ejus filiae, benefacientes et nullo pavore territae".

Hae igitur sunt verae laudes sancti Patriarchae quod patitur, se argui, et cognoscit, se esse idol tram et impium, ac pavet ob iram Dei intentatam deinde, quod egreditur nesciens, quo iret. Deseri

enim certam sedem, et sequitur incertam; in fide quidem certa fuit, sed in speciem incerta, imo possessione et usu prorsus nulla, sicut historia ostendit. Hoc magnifice commendat David, et tanquam memorabile exemplum proponit Psalmo 39. (v. 13.): „Sum, inquit, peregrinus et civis tuus, sicut omnes patres mei".

Quid igitur? inquies, nonne David rex erat, et dominus terrae, quae Abrahae semini promissa fuit? Denique ipse Abraham, etsi exsul fuit, tamen fuit in re lauta, et habuit maximas opes. Vera quidem haec sunt, et tamen fuerunt exsules, quia habuerunt haec, ac si non haberent. Sicut epistola ad Hebraeos (1. Cor. 7, 31.) testatur: „utentes mundo, tanquam non utentes".

Ad hunc modum omnibus temporibus in mundo vivunt; occupantur quidem oeconomicis et civilibus studiis, gubernant respublicas et familias, aedificant, colunt agros, exercent mercaturam, aut manuarias operas, et tamen agnoscunt, se cum patribus esse exsules et hospites: utuntur enim mundo tanquam diversorio, ex quo emigrandum brevi sit, non apponunt cor ad hujus vitae negotia, sed tanquam sinistra manu corporalia curant, dextram levant sursum ad aeternam patriam: ac, si quando accidit, ut turbetur aliquid, vel in republica, vel oeconomia, nihil, aut parum moventur. Satis enim est eis, utcunque in hoc diversorio tractentur, quod norunt aeternas mansiones a Filio Dei paratas.

Merito igitur scriptura fidem sanctissimorum hominum Abrahae, Sarai et Loth commendat, et proponit tanquam memorabile exemplum, in quod nos per omnem vitam intueamur. Sunt tamen haec ini-

tia fidei, et prima vocatio. Secunda autem vocatio quia major et augustior est, ideo quoque fides Abrahae nobis erit extollenda magis. Nunc tantum de victu et sede corporali agitur. Hanc difficultatem forti animo et magno spiritu vincit Abraham, et sequuntur Deum vocantem in exsilium, cujus nullum finem vident.

Ubi igitur manet otiosum et ignavum Monachorum genus, qui praedicant, se deseruisse omnia? Taceant Hieronymus, Augustinus, Gregorius; nihil sunt ad hunc nostrum peregrinum et exsulem collati, sequentem divina jussa, et haerentem magna fide in hoc uno verbo, quod Dominus ostensurus sit aliam terram, in qua melius habitet.

Et faciam te in gentem magnam.

Hic locus maxime insignis est, et unus de principalibus totius scripturae sanctae. Ideo non leviter attingendus, aut obiter percurrendus, sed diligenter inspiciendus, et sollicite evolvendus et explicandus est. Sicut autem reprehensionem idolatriae, in qua vixit Abram, recte transferimus ad doctrinam legis, qua arguuntur peccata, ita haec ingens seu consolatio seu promissio, merito evangelion dixeris. Quae autem hic summatim Dominus promittit, ea in sequentibus capitibus explicantur copiosius.

Primum omnium igitur statuas, ea, quae hic Dominus Abrahae promittit, si rationem sequaris, quia invisibilia sunt, etiam simpliciter impossibilia, incredibilia et ementita esse. Si enim Dominus tale aliquid de Abraha cogitat, cur eum non relinquit in terra sua et cognatione sua, in qua sine dubio Abraham non fuit nullius auctoritatis vel nominis? Num

facilior emergendi ratio est inter ignotos, ubi ne quidem, quo pedem figas, habeas, quam domi, ubi agri, amici, propinqui, cognati sunt, ubi denique res familiaris pulchre constituta est?

Magna igitur et excellens Spiritus sancti virtus in Abraha fuit, quod impossibilia, incredibilia, incomprehensibilia ista potuit animo complecti, et ea inspicere, quasi vera, et jam praesentia essent: praesertim cum jam accederet ad senectam. Nam fuit annorum LXXV., Sara autem decennio minor, et quidem sterilis erat.

Haec, quaeso te, quomodo conveniunt cum hac promissione: „Faciam te in gentem magnam"? Significat enim, fore posteros ejus magnum et ingentem populum. At unde nascentur posteri, cum matrimonium Abrahae sit sterile? Has ingentes infidelitatis moles, hos altissimos montes, oppressuros penitus fidem, sanctus Patriarcha fide vincit et transcendit, ac simpliciter haeret in hoc uno: Ecce, Deus hoc promittit; non igitur fallet te, etsi neque viam, nec modum, neque etiam tempus implendae hujus promissionis videas.

Posteritatem Abrahae vocat Dominus magnam gentem, non solum magnitudine temporali, seu corporali, sed etiam magnitudine spirituali; sic tamen, ut sit in hac corporali vita. Distinguendus enim hic populus est ab omnibus totius orbis, regnis et populis, quantumvis magnis et potentibus. Dat Deus etiam gentibus regna, ac constituit terminos eorum: sicut Daniel (2, 21.) concionatur. Sed dat ea occulto consilio, ignorantibus etiam illis, quibus ea dat; putant enim esse fortuitum quiddam, nasci aut fieri

regem: non vident, divinitus ista sic instrui et gubernari.

Igitur tam celebre fortunae nomen est inter gentes, cum tamen, quid fortuna sit, ignorent. Sed hic populus habuit prae omnibus mundi populis et regnis hanc praerogativam, quod Deus se patefecit in verbo suo, quod revelavit se multis et variis miraculis et signis, ac testatus est, se esse Deum hujus populi.

Itaque etsi Iudaici populi res gestae gentium triumphos non videantur aequare, et reliqua regna, Babylonicum, Persicum, Graecum, Romanum potentia et opibus judicentur longe antecellere: tamen, si spectes gubernatorem hujus populi, Deum, qui, ut apud Prophetam (Es. 31, 9.) est, focum suum habuit Hierosolymis, et quasi concivis fuit, sordebunt omnium regnorum et populorum victoriae et triumphi, et hae solum res gestae admiratione et praedicatione omnium hominum dignae judicabuntur, quas hunc patremfamilias gessisse constat, qui est Deus aeternus, conditor et servator omnium. Is enim etsi reliqua quoque regna gubernet, facit tamen id occulto modo, ignorantibus illis ipsis, qui haec beneficia sentiunt.

Sed in hoc populo revelat se, in hoc populo vult agnosci, celebrari, coli. Ideo eligit tabernaculum, jubet, exstrui templum, ut sedem certam in hoc populo habeat, cui se revelat verbo, signis, portentis, ritibus, ceremoniis, etc., ut ubique praesens esse agnoscatur, et tantum non manibus palpetur. Hanc praerogativam includit Moses in haec verba.

Sunt quidem gentes potentia et opibus superiores, et res ab ipsis gestae incurrunt in oculos, et

excitant admirationem. Sed nihil haec sunt ad hoc privilegium, quod Moses (5. Mos. 4, 7.) gravissime praedicat, quod habuit hic populus Deum appropinquantem, hoc est, habitantem in medio sui, patefacientem se in verbo, in cultu, in Prophetis sanctis, qui Spiritu sancto pleni, de voluntate Dei hunc populum docebant.

Haec sunt vera et solida bona, et quae mundus ne intelligit quidem, quia iis prorsus caret. Itaque Moses alia ratione, quam Cicero aut Demosthenes, populum suum vocat magnam gentem, quanquam etiam corporaliter magna fuit, si respicias ad originem, hoc est, ad solitarium Abraham, ex quo tantus populus propagatus est, ut arenae maris et stellis coeli compararetur (1. Mos. 15, 5.). Nondum loquitur Dominus de spirituali benedictione et aeterna vita, quae etiam huic populo promissa fuit. Corporalia haec beneficia sunt, quae in hac vita populus hic habuit, ut et numero non esset contemnendus, et haberet Deum habitantem in medio sui, loquentem, gubernantem, defendentem. Haec excellentia dona sunt, et quae satis commendari non possunt, quod Deus ad hunc modum in hunc populum se quasi conclusit, ut non solum habitaret in medio ejus, sed etiam ex eo vellet nasci homo. Sed hoc pertinet ad spiritualia dona et aeterna, de quibus paulo post.

Abraham igitur nihil horum vidit, imo etiam causas abunde habuit, ne crederet, si carnem voluisset sequi. Habuit enim sterile matrimonium, et quanquam postea Isaac ei natus est, et ipse ad annos fere quindecim Iacobum nepotem vidit, tamen quis non videt, haec initio *) ad tantam promissionem collata,

*) Fort. *initia.*

esse infirmissima? Insignis igitur fides fuit sancti viri, quod haec, ac si oculis jam cerneret coram, credidit, neque dubitavit de promissionibus factis.

Cum hac tanta fide conferamus nostram infidelitatem. Scimus, Christum in novissimo die venturum, et pessundaturum omnes hostes suos, Turcam, Iudaeos, Pontificem, Cardinales, Episcopos, et quicquid est impiorum, qui verbum aut persequuntur, aut superbe vel contemnunt, vel negligunt. Scimus quoque, Christum interim affuturum ecclesiae, et conservaturum sanam doctrinam et veros cultus.

Sed si haec, quae scimus, certo crederemus, putasne fieri posse, ut nos ulla perturbaret calamitas? putasne, oborituram animis securitatem, quam in nobis sentimus, ac si certi essemus, mille annis abesse diem Domini? Si igitur credimus, profecto infirma nostra fides est, et vere sumus ὀλιγόπιστοι, neque ullo modo cum sancto Abraha possumus conferri, qui invisibilia ista amplectitur certa fide, ac si jam teneret manibus, ac palparet. Audit a Domino: „Faciam te in gentem magnam", et tamen videt, se esse tanquam aridum stipitem; habet enim sociam tori sterilem, quae cum tandem ex promissione Dei, contra naturam, a marito impraegnatur, et filium parit, videt, in eo solo filio promissionem niti, qui mille casibus periculorum, si hujus vitae incertitudinem spectes, expositus erat. Ex Isaac quoque videt nasci promissionis heredem unicum Iacob. Hic nihil adhuc simile est, quod cum promissione consentiat, et tamen fides stat certa et inconcussa, numerosissimam posteritatem se habiturum. *Haec prima* promissionis pars est.

Impii Iudaei contumeliosum nomen esse ducunt גּוֹי. Sic enim appellant cultu a se differentes, quemmodum nos eos, qui extra ecclesiam sunt, prontiamus impios esse, et tamen non vident in hac atris sui promissione sic vocari veram ecclesiam. am tota posteritas Abrahae hoc nomine hic appeltur: „Faciam te לְגוֹי גָּדוֹל, in magnam gentem".

Et benedicam tibi.

Verbum benedicendi in scriptura augmentum gnificat, seu incrementum. Haec igitur promissionis irs eo pertinet, ut non solum credat Abraham, magim posteritatem se habiturum, sed etiam futurum, t in dies magis ac magis incrementa sumat, et aueatur.

Primum igitur donum est, quod Abraham erit in gentem magnam", hoc est, quod ejus posteritas t habitura regnum, potentiam, opes, leges, caeremoias, ecclesiam etc. Haec enim proprie vocatur gens.

Alterum autem donum est, quod haec gens sit uratura. Sicut Psalmus 89, (v. 31—34.) egregie oc explicat: „Si dereliquerint filii ejus legem meam, : in judiciis meis non ambulaverint, si statuta mea rofanaverint, et mandata mea non custodierint, visiibo virga peccatum eorum, et verberibus delictum orum; sed misericordiam meam non avertam ab eo, iec mentietur eis veritas mea".

Afflictus quidem saepe fuit populus ille. Tribus Benjamin paene occidione occisa est. Regnum Israel unditus eversum est. Tribus Iuda quoque per Babyonicos reges, deinde per Syrios et Aegyptios varie ittrita est, et tamen divinitus servatus est populus ille, dum promissio de Christo impleretur: ac ibi-

demum coepit vera benedictio et vera multiplicatio, quod paucorum Iudaeorum incredulorum loco, plenitudo gentium intravit, et vere Abrahae semen arenae maris et stellis coeli aequatum est. Itaque adhuc durat, et durabit usque ad finem mundi.

Talem benedictionem nullum mundi regnum habuit. Quantulum enim tempus est, quo durarunt Monarchiae quatuor? Semen autem Abrahae durabit in aeternum. Initia hujus benedictionis qui cupit videre, legat ordine historias Mosi, Iosuae, Iudicum, Regum etc., et videbit, vere magnam et benedictam hanc fuisse gentem.

Et faciam tibi magnum nomen.

Hoc est, longe lateque celebraberis etiam inter gentes; sicut Moses hoc explicat 5. Mos. 4, (v. 6. 7.): „Haec est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universi praecepta haec, dicant: En populus sapiens, et intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis, cui sic appropinquant dii, sicut Dominus Deus noster".

Sed non tantum celebris Iudaeorum populus fuit propter promissiones, propter cultum, propter eloquia Dei, quae ei credita fuere, sed etiam propter heroicos viros. Quem enim ex omni gentilitate opponemus Davidi, Ezechiae, Danieli, Iosepho, Samsoni, Gideoni, Iosuae et similibus, vel Prophetis, vel regibus aut ducibus? Itaque gentes admiratae sunt hunc populum, et beatum praedicaverunt. Naaman Syrus etiam terram Hierosolomitanam secum in Syriam devehit (2. Regg. 5, 17.). Nebucadnezar (Dan. 4, 31 seqq.), Darius (Ib. 6, 26.), Cyrus (Esra 1, 2.) *hujus populi* cultum et Deum commendant suis po-

pulis,

pulis, et quicquid aliorum Deorum et cultuum est, simpliciter damnant. Haec an non dicemus magna? Sed, inquies, non vidit haec Abraham, sed longe ante mortuus est. Verum hoc quidem est, sed tamen credidit, et ex animo gavisus est; ubi, si vixisset, hoc gaudium turbaturus erat Satan, tot scandalis ecclesiam et politiam deformans. Nunc de eo solide gaudet, quod certo scit, quicquid aliae gentes verae sapientiae sint habiturae, id accepturas a sua posteritate. Itaque merito gloriatur de magno nomine, quod non ipse, sed Dominus fecit.

Et eris in benedictionem.

Mira hic promissio proponitur, futurum, ut hic populus non solum in se auctus et benedictus sit corporaliter et spiritualiter, sed quod etiam in vicinas gentes et populos benedictio sit redundatura. Sic Pharao in Aegypto, sic Iob, sic rex Ninive, reges Babel, Nebucadnezar et Evil Merodech, reges Persarum, Darius et Cyrus, et infiniti alii, quorum historiae non exstant, participes sunt facti benedictionis Abrahae factae. Ac Abraham, etsi superstes tum non fuit, cum ista implerentur, tamen in spiritu ea vidit, et credidit.

Benedicam quoque benedicentibus tibi, et maledicenti tibi maledicam.

Ecclesia nunquam caret hostibus et adversariis. Odit enim eam Satan; ideo varie ei insidiatur, et omnis generis pericula excitat. Hoc cum Abrahae posteritas, tanquam vera ecclesia, esset expertura, minatur hic Dominus, futurum, ut ecclesiae hostes poenas dent; se enim in eos animadversurum. Sic

periit Pharao in Aegypto (2. Mos. 14, 28.); eum haec ipsa comminatio demersit in mare rubrum. Reges gentium Seon, Og etc. haec comminatio morti objecit, et perdidit regna eorum (5. Mos. 2, 33.) (ibid. 3, 3.). Imo totius mundi regna eversa sunt, quod ecclesiam laederent, Babylonicum, Assyrium, Graecum, Romanum etc.

Contra promittit ecclesiam foventibus benedictionem. Sic obstetricibus in Aegypto aedificavit Dominus domos, quod hunc populum non odissent (2. Mos. 1, 20.). Sic servatur Rahab meretrix (Ios. 6, 25.) cum familia per hanc promissionem. Exempla plura colligat studiosus lector, quomodo varie benefecerit illis Dominus, qui vel in ecclesiam, vel in praecipua ejus membra, doctores et Prophetas fuerunt benefici. Sic Sareptana (2. Regg. 4, 1—7.), sic Aethiops apud Ieremiam (38, 7.) et alii benedicti sunt.

Et benedicentur in te omnes familiae terrae.

Hactenus promisit Dominus corporalia beneficia. Nam etsi haec recte spiritualia dicuntur, quod Deus in hoc populo habitavit, quod se patefecit per signa per miracula, per verbum suum in Prophetis sanctis tamen hujus corporalis vitae beneficia fuerunt.

Sed nunc sequitur illa aureis literis scribendi et omnium linguis celebranda promissio, quae aeternos thesauros offert. Non enim potest intelligi corporaliter, quod, sicut superiores benedictiones, in hoc tantum populo mansura sit. Si autem, ut verba clare probant, effundenda haec promissio est in omnes *gentes*, seu familias terrae, quem dicemus alium hanc

dabit etc. Hanc promissionem Abraham pulchre
xit. Sic enim ratiocinatus est. Si omnes fami-
errae per me benedicendae sunt, necesse est
benedictionem non consistere in mea persona,
enim non vivam. Deinde ego per me non sum
lictus, sed mihi quoque contigit benedictio per
icordiam Dei: igitur propter meam personam,
mea virtute non benedicentur omnes populi. Hoc
a futurum est, ut ex mea posteritate enascatur,
per se benedictus afferat benedictionem tam lon-
et latam, quae ad omnes familias terrae pertin-
Hunc necesse est Deum esse, non hominem tan-
quanquam homo futurus, et carnem nostram
nturus sit, ut vere sit semen meum.

Ad has sancti Patriarchae cogitationes sine du-
respexit Christus, cum dicit, Ioh. 8, (v. 56.):
raham, pater vester, exsultavit, ut videret diem
n, et vidit, et gavisus est". Quod igitur dicit:
nes familias terrae", non in latitudinem tantum

que ad finem mundi, frustra renitentibus et furentibus portis inferorum, tyrannis et impiis.

Notandum autem imprimis est, quod non dicit, futurum, ut omnes gentes confluant ad Iudaeos, et fiant Iudaei, sed dicit, benedictionem, quam hic populus habiturus est, ex hoc populo in gentes transferendam, hoc est, in eos, qui non sunt circumcisi, qui Mosen et ejus statuta nesciunt.

Recte igitur opponimus benedictionem hoc in loco maledictioni, sub qua omnes homines sunt propter peccatum, quod per Christum sublatum est, et benedictio translata in omnes, qui eum amplectuntur, et credent in nomine ejus. Hoc illud memorabile beneficium, quod liberati a peccato, a morte et tyrannide Diaboli, associamur Angelis Dei, et participes efficimur aeternae vitae.

Ex hac promissione fluxerunt omnes Prophetarum conciones de Christo et regno ejus, de remissione peccatorum, de donatione Spiritus sancti, de ecclesiae conservatione et gubernatione, de poenis incredulorum etc. Nam has viderunt consequentias inde certo connecti: Si semen Abrahae hoc faciet, necesse est, ut sit naturalis et verus homo: contra, si etiam alios, et quidem omnes familias terrae benedicet, necesse est, ut etiam majus aliquid sit, quam semen Abrahae, quia semen Abrahae propter peccatum hac benedictione indiget.

Ita mysterium incarnationis Filii Dei in tam brevia et simplicia verba involvit Spiritus sanctus, quae postea sancti Patriarchae et Prophetae in concionibus suis latius evolverunt, quod per Filium Dei totus mundus liberandus, infernus et mors destruenda, lex abroganda, peccata condonanda, et aeterna

ita gratis credentibus in eum donanda sit. ies Christi, de quo concionatur in Ioanne quem Abraham oculis corporeis non vidit, spiritu, et gavisus est. Carni enim haec, impossibilia et ideo incredibilia erant.

ocus non solum utilis est ad docendum et um, sed etiam valet contra perfidiam Iudaeo- a enim Deus promittit Abrahae benedictio- oralem, quod posteri ejus sint magna gens si sane pronuntient de se, an hodie sint bene- magna gens. Quodsi ipsa res cogit eos pro- quod et afflicta et exigua turba sunt, quid hoc ipso loco potest colligi, quam quod sit mendax in promissionibus suis, aut i errent, nec sint verum Abrahae semen. statuere impium est; hoc igitur necessario Nam benedictio quid sit, notum est. le gens dicitur populus habens magistra- ublicas, leges, libertatem. Quid autem simil- habent hodie? Populus hinc inde disper- oppressus, et tantum non, ubicunque vivit, Somniant sibi nescio in qua Babel, et apud agnam potentiam, et dignitates ac opes. At, quod propter proditiones a Turcis foven- Iudaei, quicquid arcanorum consiliorum ex aulis Christianorum principum explorari tatim id Turcae produnt. Ac magna quo- rincipum non solum dementia, sed impie- uod Iudaeos tam familiares habent, et sic t. Sed si rem aestimes, etiam ipsis Turcis ant Iudaei, sicut certo cognovi ex iis, qui 1 Constantinopoli, sed in ipsa Damasco vi- i maxima Iudaeorum frequentia est.

Fateantur igitur infelices Iudaei, aut se non esse verum semen Abrahae, hoc est, versari in errore, et esse sub ira Dei, quod verae religioni adversentur: aut nos urgebimus eos ad blasphemiam, ut statuant, Deum mendacem esse: quid enim potest esse medium?

Sicut autem de benedictione et de magna gente, diximus, ita quoque dicimus de magno nomine, quod Deus promittit se facturum Abrahae. Quale enim habent nomen Iudaei hodie: an non sunt opprobrium omnium hominum? Nihil enim Iudaeis contemtius est, sicut Prophetarum conciones minantur, futurum, ut sint in opprobrium et risum omnibus gentibus. Ubi igitur manet magnum nomen? Nonne suo ipsorum testimonio se hoc amisisse dicent? Et tamen necesse est, semen Abrahae habere magnum nomen: non enim mentitur Deus.

Sed huc quoque respice, an benedicantur, qui Iudaeis benedicant, et se cum eis familiariter conjungunt? Exempla ante oculos sunt, non privatorum tantum, sed etiam magnorum principum, qui de benedictione hac, quam ob familiaritatem cum Iudaeis sentiunt, possunt testimonium dicere, quod et re, et corpore, et animo pereant.

Sed opponent fortasse Iudaei, quod in Psalmo (109, 11.) est: „Exsugat foenerator universa, quae habet, et alieni diripiant bona ejus“; et dicent, hoc non pati Iudaeos a Christianis, sed Christianos a Iudaeis; notum enim est, quantum damni dent reipublicae cum immodico foenore.

Sed respondeo: Primum ipsa ratio docet, foenus seu usuram esse contra naturam, et ideo vere esse peccatum. Igitur Christiani habent regulam: „Mu-

um dantes, et nihil inde sperantes" (Luc. 6, 34.). anc, qui Christi discipuli sunt, sequuntur, et a foenore tanquam a certo peccato cavent. Ac docet experientia quoque, hac ratione partas opes maledici a omino, et non durare. Si igitur Iudaei foenus seu uram benedictionem putant, fruantur sane ea. Pectum enim esse constat, et certa annexa est poena nic peccato, sicut scriptura passim docet, et ipsi idaei etiam suo ipsorum exemplo comprobant.

Vide enim, an non exsPenguntur? Dum per terunos corradunt opes, ipsi magno numero vectigalia, ibuta et sedium pretia pendunt. Ac clementer taen tractantur a Christianis magistratibus prae eo, uod a Turcis patiuntur. Hi ne quidem corporibus t vitae parcerent, nisi sentirent proditionis tanta ommoda, ad quas Iudaei instructissimi sunt odio Christianorum.

Sed utut sit, jactent sane opes, glorientur, se oenus non dare, sed accipere, quantulum hoc est d illud, quod amisisse se fateri coguntur? Ejecti nim sunt ex terra divinitus donata et benedicta, amiseunt regnum, amiserunt cultum, versantur in densissia caligine, sacrorum oraculorum intelligentiam non abent; ad summum, spem salutis nullam habent, nisi uod fingunt sibi aliquid de Dei clementia et bonitate, laec si non cogunt infelices homines, ut ter miseros esse e fateantur, sint sane beati hoc beneficio, quod aliis um foenore mutuum dant, et non accipiunt mutuum.

Quanto autem praestabat vicatim petere stipem, uam hoc modo cum peccato parare opes, quas taen postea alii iterum emungunt? Et sunt huic tam nsigni scilicet beneficio, quod tantopere jactant, nfinita et ingentia incommoda annexa. Nusquam ha-

bent sedes, in odio sunt omnium hominum et co temtu, misserime vivunt in sordibus et stercoribı Non admittuntur ad operas honestiores, et quis oı nes hostium Christi calamitates enumeret?

Potentissimum igitur hoc argumentum est ı confirmandam nostram religionem ac fidem, et pı fidiam Iudaeorum redarguendam, quod quae hic Abı hae promittuntur, omnia amiserunt, ac praeserti quod postremo promittitur, benedictio dimanatura (semine Abrahae in omnes familias terrae.

Urgentur sane hac ratiocinatione. Ideo nuga tur, impletam hanc particulam in Salomone, fi David; hunc dicunt benedictum gentibus, hoc ı celebrem fuisse, ac ab omnibus laudatum esse. ? quid hoc ad textum, quod ab aliis benedictus sit laudatus. Hoc enim verba significant, semen allaturum benedictionem ad omnes gentes. Quid tem contulit Salomo gentibus?

Ergo manifeste cogit hic locus, ut fateamur, siam seu Christum jam olim venisse et exhibitum se, qui attulit secum in mundum benedictionem ritualem et aeternam. Hanc cum increduli Iu abiicerent et nollent, translata in gentes est. Iud autem infelices et corporali et spirituali benedictio sunt spoliati. Sicut ante oculos stat eventus. Nu enim annis circiter sesquimille vivunt in ingentib calamitatibus, et perpetua captivitate, neque qui quam habent illarum promissionum, de quibus l Dominus concionatur. Si igitur Deus in promissi nibus suis verax est, necesse est, quod ipsi sint me daces, et per incredulitatem suam exciderint a pı missionibus his, neque amplius sint semen Abrah cui hae promissiones factae sunt.

In quo errore omnes Iudaei hodie versentur, notum est: exspectant Messiam, qui omnes gentes contundat, et Iudaeis corporale regnum restituat in omnes gentes: sicut Assuero (Esth. 8, 10.) factum est. Tum enim magna fuit Iudaeorum potentia et dignitas.

Sed hic praesens locus manifeste redarguit vanam hanc spem. Non enim dicit, a semine Abrahae opprimendas gentes, aut redigendas in servitutem: sed benedicendas, hoc est, adjuvandas contra mortem et peccatum. Sed valeat sane Iudaeorum glossa, quod hoc sit benedicere; ita enim apparebit, ipsos in summa benedictione esse, hoc est, a gentibus gravissime oppressos. Diabolus sic loquitur, ut dicat hanc benedictionem.

Deus, sicut bonus est, benedictionem proprie vocat liberationem a maledictione et ira Dei, ac promittit, hanc obventuram per Abrahae semen, non solum posteritati Abrahae, sed omnibus familiis terrae. Hanc benedictionem attulit ad nos Filius Dei, Iesus Christus, natus ex semine Abrahae, ex virgine Maria. Quia autem incredula Synagoga eam noluit, elongata est ab ea, et non solum hanc aeternam benedictionem amisit, sed etiam illas priores corporales, ut omnibus appareat, maledictam et sub ira Dei positam gentem esse.

Varie igitur hic locus nobis utilis est, atque ideo dignissimus, qui observetur a studiosis sacrarum literarum. Non enim solum graviter refutat pertinaces Iudaeos, nec solum pingit personam Abrahae, in quam omnes pii intueri debent, ut exemplo ejus discant credere: sed etiam cum Abrahamo successum et fortunam totius hujus populi, imo ecclesiae totius usque ad finem mundi describit. Quicquid enim in ecclesia geretur usque ad mundi finem, et quicquid in

ea, hactenus gestum est; virtute hujus promissi quae adhuc durat et vivit, est gestum, et geret

Igitur si paucis verbis historiam ecclesiae plecti libet a tempore Abrahae usque ad hunc d hos quatuor versus diligenter inspice: videbis b dictionem, videbis etiam maledicentes, sed his v sinf maledicit Deus, ut penitus perirent. Eccl autem aeterna benedictio mansit inconcussa. Co nit, igitur hic locus cum prima concione de sem conterente caput serpentis. Non enim ecclesia c hostibus; affligitur et gemit: et tamen per semen cit, ac triumphat tandem in aeternum contra o hostes suos.

Sicut autem supra de morsu serpentis pra nuit, ita hic admonet, futurum, ut semen Ab habeat, qui maledicant. Sed levis haec jactur si a mundo et Diabolo pungamur, cum hab Angelos, imo Deum ipsum benedicentem nos, e terentem adversarios. Sed haec hujus loci exp in Prophetis quaerenda est. Hic enim fons est de tum consolationes, tum comminationes omne serunt. Merito igitur admiramur divinam sapie quod tam magnae res, et omnium saeculorum, ad ecclesiam attinet, historia tam paucis verb in loco comprehensa est.

Nunc sequitur exemplum ceu corrolarium scholis vocant) hujus promissionis, quomodo ham vocanti Deo paruerit.

Abiit itaque Abram, sicut locutus era eum Dominus.

Promissio et fides naturaliter et inseparabi cohaerent. Quorsum enim attinet promittere aliq

non adsit, qui credat? Contra, quid profuerit fides, si desit promissio? relativa igitur sunt promissio et fides; ac ipsa naturae series postulat, postquam Moses promissionem descripsit, ut etiam doceat de credente Abraha, hoc est, apprehendente promissionem.

Habet promissiones suas Satan quoque, et quidem valde luculentas. Itaque acri judicio opus est, ut inter Dei et Satanae promissiones, hoc est, inter veras et falsas recte distinguas. Satanica adlubescit, et facile admittitur, et reddit homines securos, et negligentes sui et judicii divini, sicut Turcas, Iudaeos et apud nos falsos fratres videmus securissimo animo esse, et nihil minus facere, quam ut metuant iram et judicium Dei.

Sed cum Deus aliquid promittit, ibi multum agilis luctatur fides. Ratio enim, seu caro et sanguis simpliciter judicat, Dei promissionem impossibilem se; necesse igitur est, ut fides cum dubitatione, et contra rationem luctetur.

Hoc non vident sophistae; itaque, cum nos de fide docere audiunt, putant, de re levicula esse contionem. Non enim norunt, fidem esse mutationem, renovationem totius naturae, ut aures, oculi, cor ipsum prorsus diversum audiant, videant, sentiant ab omnibus aliis hominibus.

Est enim fides res vivax et potens: non est otiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aquae: sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida, sed calida et prorsus alia aqua est, ita fides, Spiritus sancti opus, aliam mentem et sensus alios fingit, ac prorsus novum facit hominem. Est igitur fides operosa, difficilis et potens res: ac si vere aestimare volumus, magis est

passio, quam actio; mutat enim animos et sen et cum ratio praesentibus soleat niti, fides abs complectitur, et ea contra rationem praesenti se judicat. Atque haec causa est, quod non, auditus omnium est, ita etiam fides sit omnium: ci enim credunt. Reliqua multitudo praesent rebus, quas tangit et palpat, potius, quam verbo niti.

Haec igitur nota est promissionum verarum divinarum, quod cum ratione pugnant, nec eas se admittere vult. Contra diabolicae, quia cum tione humana consonant, facile, et sine dubitat ratione admittuntur.

Mahometh promittit servantibus suam legem hac vita temporale regnum, ac post hanc vitam porales voluptates. Haec facile admittunt animi secure credunt. Continet igitur se domi suae M meth, nec vult cum Abraha egredi domo et co tione paterna, amplectitur praesentia, in iis acq cit. Abraham autem simpliciter haeret in voce vina, et pericula occursura negligit. Credit er Deum fore protectorem.

Sic Papa proponit merita et intercessiones S torum, praedicat dignitatem operum, quae admo speciosa commentus est. Haec rationi grata s quae vana est; et ideo delectatur mendacio, hoc suis laudibus, ac gloria virtutum; libenter au quod suis operibus possit mereri salutem, et im re legem, et consequi justitiam. Sed hoc non mortificare rationem, sed vivificare. Igitur caro cile hanc doctrinam admittit, et sine dubitatione promissionibus credit. Sed cum audit, quae aud *Abraham*: Egredere de terra tua, de cognati

tua, de domo patris tui in locum ignotum: ego, ero Deus tuus: ibi statim resilit, judicat, stultum esse relinquere praesentia, et sectari absentia, metuit pericula ac fugit, et captat securitatem. In summa: Satanae promissiones, etsi mendaces sunt, tamen, quia initio blandiuntur, gratae sunt carni. Sed promissiones divinae et verae crucem statim ostendunt, post crucem autem promittunt benedictionem. Utrinque igitur offenditur ratio: invisibila, et procul remota putat nihil esse, crucem autem aversatur, et fugit tanquam malum perpetuum, et nunquam finiendum. Atque haec causa est, quod, cum Deus prolixe promittat, tamen pauci credunt, isti nimirum, quorum corda Spiritus movet, ut sicut Abraham, neglectis omnibus periculis et curis, simpliciter haereant in voce vocantis Dei.

Ergo insigne exemplum fidei hoc in loco nobis proponit Moses, ac paucis verbis absolvit legendam seu historiam sanctissimi Patriarchae, cum dicit: „Abiit Abraham, sicut locutus ei erat Dominus“.

Unde abiit? Ex Ur Chaldaeorum, ubi certam domum, agros, familiam constitutam, cognatos, propinquos, amicos habebat. Haec omnia sine mora relinquens, incertas sedes sequitur. Nondum enim ostendit ei Dominus terram, quam esset habiturus. Hanc unam habebat spem, quod Dominus promiserat benedictionem, sed quando, ubi, quomodo benedicturus esset, hoc sane Abraham nondum vidit.

Brevia igitur haec sunt verba, et quae in speciem nihil docent: ratio enim vera bona opera, et veram obedientiam non videt, nec judicat, esse grata Deo: contra capitur fucosis officiis, et inani specie. Itaque Monachorum libri pleni sunt praeconiis

[illegible] praedicant mundum deseruis-
se [illegible] Christum. Sed si ad hanc obedientiam
[illegible] Franciscum, Dominicum, Bernhardum com-
[illegible] oculis tantas res judices, vi-
[illegible] vulgus pueris esse similes, qui
[illegible] nucum testas pro auro as-
[illegible]. Quid enim praeter speciem
[illegible] habent? Imo totum ipsorum vitae
[illegible] faciunt, nihil est, nisi fucus ina-
[illegible] Monachum, in vera fide
[illegible] conferas.

Sicut igitur de pomis ad lacum Asphalticum, ubi Sodoma et [illegible] mersae sunt, scribunt specie esse [illegible], sed si aperias, et cinere et foetore ple-[illegible] ita hypocritica ista obedientia Monachorum [illegible] Dei et verae religionis conjuncta [illegible] tamen mundus eam admiratur ac commendat. Haec autem summa opera, et Deo gratissimos cultus, fidem et obedientiam in Abraha tam insignem, ducit leve et exiguum quiddam esse, et contemnit. Aliud mundus non solet, nec novit.

Fateor sane, non defuisse sua dona Francisco, Dominico, Bernhardo et aliis, qui primi instituisse collegia Monachorum dicuntur: ac antefero omnibus Bernhardum; habuit enim religionis optimam cognitionem, sicut ostendunt ejus scripta; sed ista dona personalia sunt, et sic debent laudari, ne tamen detrahatur gloriae Christi, et misericordiae Dei. Sed quid accidit? Personalia ista dona eo transtulerunt posteri, ut instituerent sectas, et tantum non Christi nomen extinguerent. Non enim in eo posuerunt fiduciam stulti et miseri homines, quod Christiani et baptizati essent, sed quod hic Francisco, ille Domini-

eo dedisset nomen. Haec putabatur compendiosissima ad coelum via.

Merito igitur reprehendimus monasticen, et illa scandala juxta viam veritatis et fidei posita removemus, ac proponimus Christum, qui et peccata expiavit sua morte, et Spiritum sanctum nobis promeruit. Haec est vera justitiae via, quae non nostris meritis nec operibus nititur, sed Filio Dei et mera ac gratuita misericordia in verbo proposita.

Putant Monachi, se in eo beatos, quod monasterium ingrediuntur. Atqui nos ne quidem Abrahamum dicimus justificatum, quod ex Ur Chaldaeorum egressus, reliquit omnia: jam antea justificatus erat, cum crederet promissioni Dei, per sanctos Patriarchas ostensae. Nisi enim fuisset justus, nunquam egressus esset, nunquam paruisset vocanti Deo. Audivit igitur verbum, et verbo credidit, ac per hoc justificatus, justus etiam operator postea exstitit, ambulando et sequendo Christum vocantem.

Hic enim verus ordo est, quod obedientia externa sequitur obedientiam internam. At Monachi invertunt haec. Primum verbum nullum habent, quod sequantur, sed vere, sicut Anselmus vocat, vivunt in fictitia religione, quae sine verbo, humano arbitrio est instituta. Deinde statuunt, hanc externam mutationem hoc effecturam, ut mutetur cor et totus homo; hinc necesse est sequi hypocrisin. Cum enim corda impura sint, somniant justitiam.

Illud autem quis non videt, quam male ad Abrahae exemplum conveniat? Abraham deserit domum, agros, cognationem, et ambulat, nesciens, quo. Monachi autem sic a suis discedunt, ut, cum domi apud parentes vix atrum panem habeant, in monasteriis

omnium rerum copiam se sciant inventuros. Quid enim ad victum, et quidem lautissimum porcis illis deest, nihil nisi saginam venantibus? Et tamen plenis buccis jactant, se reliquisse omnia, et secutos Christum.

Non sic deliciatus est Abraham inter gentes, quae, sicut historia ostendit, varie eum exercuerunt. Itaque si Benedictum, Franciscum et alios Monachorum patres cum eo compares, videbis, mera stercora esse ad illas pretiosas gemmas nostri Monachi. Odiosae quidem sunt hae collationes, sed tamen necessariae, non hominibus solum, sed Deo quoque, postquam in eum abusum monastica venit, ut ab impiis hominibus etiam Baptismo aequata sit.

Offert autem hic se occasio disputandi de obedientia, quae in monasteriis quoque ita celebrata est, ut nullus tam indoctus fuerit Monachus, qui non de ea aliquid reliquerit scriptum. Et Pontifex in decretalibus suis nihil perinde urget, quam obedientiam erga suas leges. Hinc Samuelis concio omnibus in cathedris sonuit: „Melior est obedientia, quam victima: inobedientia majus peccatum est, quam incantatio" (1. Sam. 15. 22. 23.). Huic certae propositioni subjunxerunt consequens: Ergo nullum vitae genus melius est monastica. Bella profecto consequentia, quae, ut in scholis olim dicebatur, valet a baculo ad angulum. Ita apparet, quid obedientia sit, totum Papatum ignorasse. Obedientia enim vera est, non facere, quod tu elegeris, vel tibi imperaveris, sed quod Dominus per verbum suum te jusserit. Haec definitio ex hoc ipso Mosis loco sumitur, cum de Abrahamo dicit: „Abiit itaque Abraham, sicut locutus erat ad eum Dominus". Hic obe-

obedientiam dialectice descriptam habes, quod requirit verbum Dei. Itaque ubi Deus non loquitur, sed tacet, ibi nulla potest esse obedientia.

Deinde non satis est, Deum loqui, sed requiritur, ut tibi loquatur. Sic verbum Dei erat ad Abrahamum, ut mactaret filium. Vera igitur obedientia et digna laude fuit, quod Abraham verbum illud voluit exsequi: sibi enim id dictum erat. Sed quod posteri Abrahae hoc ipsum imitabantur, etsi opus idem esset, tamen non fuit obedientia. Non enim jussi erant ipsi, hoc ut facerent, sicut Abraham erat jussus. Sic jubetur adolescens in evangelio, omnia vendere, et Christum sequi, ac pulcherrimum fuisset obedientiae opus, si paruisset. Monachi gloriantur, se idem facere, ac putant hanc veram obedientiae laudem; sed non est obedientia, quia non ipsis hoc mandatum dedit Christus.

Diligenter igitur notanda haec descriptio est: „Abiit Abraham, sicut ad eum locutus est Dominus". Dominus, inquit, locutus est, et locutus est Abrahamo, ut egrederetur. Ergo haec egressio fuit sanctissimum opus, et Deo gratissima obedientia.

Notabis autem, Dominum nobis loqui etiam per homines. Sic, etsi opera in speciem levia et vilia videntur, cum parentes aliquid imperant liberis; sed, cum liberi obediunt, non tam hominibus, quam Deo obediunt. Iussit enim Deus, parentibus obediendum esse. Haec vox divina est verum diadema, quod in divorum capitibus solet pingi, et obedientiam perficit.

Vos, qui hic discitis, vestrorum auctoritate parentum hic vivitis; hi volunt, ut et in discendo seduli, et praeceptoribus obedientes sitis. Huic paren-

tum voluntati cum pro virili conamini sati Deo sacrificatis gratissimam victimam. „Melio obedientia est, quam victima" (1. Sam. 15, 22

Sic cum magistratus ex officio convocat c militiam ad retinendam pacem et depellendan riam, Deo praestatur obedientia. Sic enim di bis Dominus: „Omnis anima sit subdita pc bus." (Rom. 13, 1.). Sed inquies: Periculosa dientia; potest enim fieri, ut occidar. Resp sive occidas, sive occidaris, perinde est; vadit sicut dixit Dominus ad te. Igitur sanctum e opus est, etiam occidere adversarium, sic ma jubente.

Idem de generali vocatione sentiendum, c caris ad ministerium docendi. Reipublicae voc stimabis Dei vocem esse, et parebis: non fac cut insulsus ille Monachus, quem tamen histc partita ut sanctum virum laudat, qui voca Episcopi officium, praecidit sibi aurem, ac i quoque est, se etiam linguam sibi praecisur tius, quam ut Episcopi munus suscipiat. Ho solum insanus, sed impius quoque, cum ita tur, Deo gratissimum, et hominibus summe rium et utilissimum officium negavit. Cur non accepit ministerium, et cum Paulo (1. Cor. dixit: „Vae mibi, si non evangelizavero"? A ture in ecclesiam superstitio invecta est.

Meminerimus igitur hujus brevis sen „Abiit Abraham, sicut ad eum locutus est Do et scribamus eam super omnia negotia nostra gerimus, sive domi, seu foris, sive in bello, ce, sive in peste, seu alio periculo. Tum fi etiamsi moriendum sit, tamen nos ipsos cons

quod in Dei obedientia steterimus. Etsi enim eventus videbitur tristior, tamen summa consolatio est scire, quod Deo sis obsecutus. Ab eo igitur exspectabis opem, et praemium multo majus, quam si res ex sententia cecidisset.

Atque hae sunt verae laudes obedientiae, quae tantum est vel promissionum, vel praeceptorum divinorum. Haec enim si non adsint, non meretur dici obedientia, nisi forte velis Satanae obedientiam dici. Nam Deo et ejus verbo non obedire, est Satanae obedire. Igitur praecipua nobis verbi, seu vocationis cura sit. Haec enim sola facit veram obedientiam, et Deo gratum cultum: quem si praestamus, non solum tueri testimonio conscientiae nostrae nos possumus, sed etiam exspectare a Deo opem, cujus vocem etiam in certis periculis sequimur.

Ac si quis in omnibus actionibus suis observet hanc particulam: Dominus dixit, is perpetuo laetus et plenus spe viveret. Sed impedit nos Satan, invidens nobis hanc felicitatem, et mirabili specie a vera hac obedientia vocat ad suam obedientiam, hoc est, ad talem obedientiam, quae non habet mandatum Dei, qualis Monachorum est etc.

Papa, sicut supra dixi, in omnibus suis decretis urget obedientiam. quia vult esse summus Pontifex et Christi vicarius, ac addit horrenda fulmina, futurum, nisi quis obediat, ut vergat in periculum animarum talis inobedientia. Promissiones quoque addit splendidas: qui currunt ad numina divorum Petri et Pauli, habituros plenariam remissionem omnium peccatorum. Talibus promissionibus ornat omnia sua opera, cultus sanctorum, invocationes sanctorum, Missas etc., ut invitet simplices ad obedientiam. Ac

invenit sane populum, proh dolor, nimis obedientem. Quot enim hominum millia in hac obedientia, dum se recta via ad coelum ire judicabant, demersa sunt in infernum?

Etsi autem impii doctores horribile judicium Dei ob has imposturas sentient, tamen turba, quae eos secuta, non est ideo excusata. Debebant enim circumspicere, num in talibus mandatis esset, quod hic Moses dicit: „Sicut Dominus dixit". Ubicunque enim hoc non est, ibi non est Dei, sed Satanae obedientia. Ad hunc modum implevit Papa mundum Satanica obedientia: praecepit enim non, quae Deus jussit, sed quae ipse excogitavit. Inde accidit, ut tota ejus religio non vera, sed factitia et electitia, ac mera hypocrisis esset.

Meminerimus igitur mandati in Apocalypsi (18, 4. 5.), ubi dicitur: „Exite de medio Babylonis, popule meus, ne participes vos faciatis peccatorum ejus, et plagarum. Nam peccata ejus usque ad coelum pertingunt, et meminit Deus iniquitatum ejus". Quomodo autem exibimus? Sic nimirum, si non patiamur, nos tanquam ursum duci naribus; sed, cum aliquid Pontifex mandat, non statim obsequamur, verum prius interrogemus, et dicamus: Domine Pontifex, audio, te hoc praecipere, sed ostende mihi verbum, an etiam Dominus dixerit: tum parebo libens. Sed si Dominus non dixit, et mandatum tuum cum Dei verbo pugnat, sicut cum vota impia dicis valere, cum praecipis abstinere a conjugio, a cibis etc., non parebo. Habeo enim aliud mandatum Dei, id sequar etc.

Sed inquit: Sum ego dominus ecclesiae, ac dictum est: „Qui vos audit, me audit" (Luc. 10, 16.). Scimus sane, Pontificem utrunque affectare, ut et ec-

:siae et mundi dominus sit. Sed hoc Christus ma-
:este ei negavit, cum dixit Apostolis (Luc. 22, 25.):
Reges gentium dominantur eorum, vos autem non
:". Et Petrus dicit: „Non dominantes in clerum"
. Pet. 5, 3.). Illud autem, quod ecclesiae dominus
, probet ipse verbo Dei, et credemus ei.

Nos autem scimus aliam Christi sententiam:
Qui major est inter vos, sit minor, et serviat aliis"
Matth. 23, 11.), ut scilicet totum dominium non
:nes homines, sed simpliciter et tantum penes ver-
ım sit: illud regnare in ecclesia debet. Hic enim
ıbemus manifestum mandatum de coelo: „Hunc
ıdite" (Matth. 17, 5.).

Quod igitur Pontifex etiam dominus verbi vult
sse, quod vult ligare et solvere omnia ex arbitrio,
oc est, leges ponere et mandare (sic enim Christi
erba filius peccati (Matth. 16, 19.) falso interpreta-
ır), hoc sane apud nos non obtinebit. Imo anathe-
ıa sunt omnes isti, apud quos hoc obtinet. Non
nim a Christo eam potestatem accepit, sed impu-
:enter et impie eam sibi arrogat.

Quam barbarus hic fastus est, quod etiam reges
d pedum oscula bestia cogit? Id tamen si rogaret
x caritate, ad augendam auctoritatem suam in ec-
lesia fieri, fortasse tolerari posset. Scimus enim,
ontemtum ministerii esse nocentissimam pestem. Sed
quod hoc jure petit, et sub articulo fidei et damna-
ionis, hoc simpliciter pugnat cum verbo Christi.

Similia, imo perniciosa magis sunt, cum indul-
gentiarum auctoritatem, suffragia sanctorum et alia,
tanquam ad remissionem peccatorum necessaria, man-
dat. Merito igitur pugnamus non tanquam contra

Papam, sed tanquam contra hostem et adversarium Christi, quia constituit articulos pugnantes cum evangelio Christi, quia simpliciter tollit fidem, et hoc tantum agit, ut stabiliat suam tyrannidem, non communi modo, sicut tyranni insidiantur bonis et corporibus: sed Papa etiam animas perdit, et tradit Gehennae.

Ad hunc modum exemplum sancti Patriarchae, ante tot annorum millia mortui, adhuc ecclesiae praelucet, ac praemonet contra hypocrisin. Scribenda itaque haec erant verba aureis literis, non tantum in parietibus, sed in omnibus nostris dictis et factis: „Sicut dixit ad eum Dominus". Docent enim, veram obedientiam esse audire et sequi verbum Dei, quod tibi dicitur. Ubi igitur verbum non est, ibi aut nulla est obedientia, aut est Satanica obedientia. Ideo in omni vita, in omnibus actionibus respiciendum est ad verbum: non tantum in ecclesia, sed etiam in oeconomia et politia. Si verbum habes, et sequeris, etiam habes obedientiam. Sunt enim correlativa. Destructo autem altero relativorum, verbo scilicet, necesse est, et obedientiam destrui, ac nullam esse.

Abiit quoque Loth cum eo.

Vide mirabile Dei consilium. Promissio pertinebat tantum ad Abrahamum, et non ad Loth: et tamen Deus hunc tanquam proselytum addit socium Abrahae, ac movet cor ejus, ut malit cum avunculo exsulare, quam manere in patria apud idolatras. Fit autem hoc ideo, quia promissio ad Abrahamum facta, non tantum pollicebatur, futurum, ut Abraham benediceretur cum sua posteritate: sed etiam, ut esset *ipse benedictio*, hoc est, ut per eum alii participes

enedictionis fierent, etsi promissio ad eos proprie on pertineret.

Sicut multae historiae in sacris literis exstant, ae similia exempla ostendunt. Rex Aegypti non rtinebat ad sanctum populum, et tamen, cum reli-ionem Iosephi amplecteretur, particeps reddebatur romissionis, seu benedictionis. Rex Ninivae, quia lem Ionae assumit, etsi non esset ex populo Dei, men promissionem populo Dei factam consecutus t. Huc annumeremus Hioben, reges Babel et Per-s. Horum non tantum singularis fortuna fuit (be-edixit enim Dominus imperio eorum propter reli-ionem); sed etiam aeternae benedictionis facti sunt cii per fidem.

Hodie quoque accidit, ut etiam, qui evangelion on habent, tamen, quia socii sunt vitae nostrae, hoc st, nobiscum habitant, et nos inter ipsos, partici-ant cum benedictione nostra, et fruuntur pace, am Dominus propter verbum suum ecclesiis donat. ives enim Deus est misericordia, et vult, plurimos ui suis donis: itaque benedictionis socios addit. Si-it Ruth, quae filia Loth fuit, ad socrum suam di-t (Ruth 1, 16.): „Populus tuus populus meus, et eus tuus Deus meus"; hoc est: Deus tuus, etsi on sim de populo tuo, tamen me non abjiciet, aget ci curam, et dabit, ne vidua vivam, etc.

rat autem Abram annorum septuaginta et quinque, cum egrederetur de Haran.

Haec distincta, clara et diserta sententia est, Ab-am non egressum de Ur, seu de Haran, cum esset annorum LXXV. Itaque duplicem ponamus egres-ionem, necesse est. Primo, cum Thare pater egrede-

tur cum filiis Abraham et Loth ex Ur Chaldaeoru
Fuit autem ea quoque profectio instituta in terr
Canaan: sed casu quodam impediti substiterunt
Haran, et ibi aliquandiu commorati sunt, sicut
tus supra clare ostendit. Mortuo itaque ibi p
Thare, tum secundo movit Abram sedes, et ex
ran in terram Canaan est profectus.

Quaestionem, an Abram fuerit primogen
supra attigi. Ac quanquam Lyra id constanter
quod non observat, intercidere in Abram LX a
tamen ego in ea sum opinione, fuisse eum pri
nitum, ideo quod textus hic clare testatur, fuiss
annorum LXXV, cum de Haran egrederetur.
tamen aliam sententiam retinere volet, cum e
pugnabo; is autem mihi magister erit, qui hos
septuaginta quinque cum aetate Thare, qui
CCV vixit, poterit concordare.

Illud quoque hoc in loco monendum est,
tempus datae legis post promissionem, de qu
lus dicit, Galat. 3. (v. 17.) supputare volet, a
anno Abrahae, qui est LXXV ejus aetatis, f
dum esse initium. Nam ab hoc anno sunt pr
anni quadringenti et triginta usque ad exitum
rum Israel ex Aegypto. Numerantur enim usqu
descensum in Aegyptum anni CCXV; totidem
que annis in Aegypto populus Israel vixit. It
si jungas hos annos, nascitur numerus, quem
ses, Exod. 12. (v. 40.) et Paulus, Galat. 3.
dit, anni scilicet CCCCXXX.

Observet autem lector Pauli sententiam
ter: „Lex quadringentis triginta annis post
sionem Abrahae factam data est". Sequitur
legem non justificare: si quidem Abraham tar

pore, antequam lex data est, imo etiam, antequam circumcisus est, antequam altare excitavit, justus fuit. Haec insolubilis est consequentia.

Probat autem idem locus Pauli, promissionem Abrahae datam, et Abraham vocatum ad egressionem, non cum in Ur viveret, sed cum in Haran moraretur. Ideo scriptura supra (11, 31.) dicit, „Thare tulit Abram et Loth filios", hic autem dicit: „Tulit Abram Sarai uxorem" etc.

Sed cum hac sententia pugnat locus, Actor. 7. (v. 2.), nec Stephani auctoritas elevanda est, haec ipsa verba repetentis, et clare dicentis, in Mesopotamia ad Abraham dicta haec verba esse. Pugnant igitur Moses et Stephanus. Hos quomodo conciliabimus? Uterque enim fide dignus est testis, et tamen inter se non conveniunt.

Responderi solet, bis vocatum Abrahamum, semel in Ur Chaldaeorum, fortasse per Patriarcham Sem, et postea in Haran; Mosen autem contentum esse recitatione posterioris vocationis in Haran. Ita non pugnabunt hi testes. Nam Mose posteriorem, Stephanus priorem recitat.

Mihi tamen sic videtur, accuratam rei gestae narrationem a Mose texi, non a Stephano, qui profecto hujus historiae cognitionem tantum ex Mose hausit. Saepe autem fit, cum obiter recitamus aliquid, ut circumstantias omnes non ita observemus diligenter, sicut qui in eo sunt, ut historiam rei gestae relinquant posteris scriptam. Mose igitur historicus est. Stephanus, cum historia apud Mosen sit, de circumstantiis parum sollicitus, hoc tantum agit, ut intelligant auditores, patrem hujus populi neque legem, nec templum habuisse, et tamen Deo gratum

fuisse ac placuisse. Hoc caput negotii est, Stephanus urget, ut appareat, Deum non pr templum, non propter circumcisionem, non pr legem; sed tantum propter semen promissum, supra *) synagoga occiderat, justificare, peccat mittere, et aeternam vitam donare.

Et tulit Abram Sarai, uxorem suam Loth, filium fratris sui, et omnem subs tiam illorum, quam possederunt, et mas, quas fecerunt in Haran.

Haec Moses recitat ad amplificandam Abrahae, quae profecto magna et admirabilis Nam longa et difficilis peregrinatio cum tam sa familia, in terram ignotam et ad homines tos, quantum molestiarum, periculorum et modorum habeat, facile discemus nostro ex Sed vicit haec omnia sanctus vir patientia e ganimitate. Credidit enim, quantumvis lab et periculosa res esset, tamen affuturum Deu nedictione sua, et, quod promisit, suo tempor to impleturum.

Pertinent autem haec ad nos consolandos in nibus tentationibus, hoc est, pertinent ad confir dam fidem nostram, ut, cum aliquid incommod cidit, non statim frangamur animo, sed erect spem, oremus et exspectemus auxilium. Opus e est perseverantia, nec satis est bene coepisse. Q bene coeperis, urgendum est gnaviter.

Vide enim Abrahamum. Relinquit Ur Chald rum, ubi patria; domus, possessiones, cognati, cini erant, cum quibus consueverat, et exsula Haran, et quasi novam oeconomiam instituit.

*) *Ita in* edit. princ. in aliis impia.

eam aliquandiu moram egit, etiam istinc jubetur porro migrare in Canaan, quae quanto erat remota magis, tanto periculorum et difficultatum plus sustinendum fuit.

Quodsi Abram fuisset solus, etsi periculis cariturus non erat, tamen minus laborum et molestiarum fuisset. Nam qui solus est, non alligatus uxori et liberis, ei etiam voluptas est varia peragrare loca. Habet enim tantum unum ventrem, quem curet: itaque si haec domus, hoc oppidum non placet, quaerit aliud. Sed noster peregrinus non est solus; trahit secum magnum numerum animarum, inter quas quaedam conjunctissimae et carissimae sunt, uxor Sara, ex fratre natus Loth, et ex eo natae filiae. Item aufert secum substantiam omnem, hoc est, facultates: eae non fuerunt, ut nunc, aurum, argentum, pretiosa suppellex, sed jumenta et pecora. Nam Mesopotamia celebratur propter pascuorum ubertatem, et pecoris ac jumentorum copiam. Ac habet nomen regio, quod inter duos maximos fluvios est posita, Tigrin et Euphraten, qui Babylonem quoque includunt: ac fere semper Mesopotamia et Babylonia ab uno rege gubernata est. Est autem Haran quoque pars Mesopotamiae, quanquam immutatum non nihil nomen, et post Aram dicta est.

Porro pecorum cura requirit multos ministros. Itaque dicit Moses: „et cum animis, quas fecerant in Haran". Hic non tantum includit filias Loth, quas tum fuisse natas existimo: nam ab anno egressionis ex Haran ad interitum Sodomae sunt anni XXV: sed etiam reliquam familiam, servos et servas, et vernaculos ex illis natos. Nam etiam

sequentia ostendent, habuisse Abrahamum numerosam familiam: si quidem ex eis trecentos armat.

Saepe autem dixi: vocabulum נֶפֶשׁ proprie significat corpus animatum, seu vivum. Tantam multitudinem hic paterfamilias secum trahit in ignotam regionem, ad homines differentes religione, et ideo infestos huic exsuli. De periculis igitur, de molestiis et laboribus nemo dubitet, quin infinitis sint objecti. Nam si uxor ejus toties periclitata est, quid putabimus passos familiam et pecora?

Exemplum igitur fidei hoc in loco Moses vult nostris oculis proponere singulare, ad quod si nos conferemus, nos nostri pudebit. Quis enim dicet, se decimam harum tentationum et periculorum partem expertum? Nos enim cum familiam ad alia loca transferimus, non ad ignotos, sed ad amicos migramus, aut, si ignoti sunt, saltem lingua et religione nobis conjuncti sunt; sed longe alia hujus nostri exsulis migratio est. Merito igitur a sancto Paulo, Galat. 3. (v. 9.) vocatur „fidelis", quod cum tanta turba profectionem hanc suscepit sola suffultus fiducia misericordiae Dei, qui promiserat, se ei benedicturum.

Sed comites quoque hujus profectionis merita sua laude non sunt frustrandi. Non enim exiguum quiddam est, quod Sarai et Lothi uxor maritorum auctoritatem et consilium secutae sunt. Nam mulierculae ad peregrinationes admodum sunt timidae, et aegerrime discedunt a suis.

De servis autem et ancillis miror; hi enim si nostrorum fuissent similes, nusquam tulissent pedem. Unde igitur tanta obedientia, et tam promta voluntas ad sequendam auctoritatem patrisfamilias? Ni-

virum et uxores et servitia, audientes Abrahamum de promissione Dei concionantem, assensi sunt verbo ejus, et optarunt ipsi quoque participes futurae benedictionis per Christum fieri.

Non igitur familiam simpliciter, sed veram et sanctam ecclesiam hos Abrahami comites appellabimus, in qua Abraham fuit summus Pontifex, docens eam de misericordia Dei, exhibenda per Filium, qui primum gubernaturus sit ac benedicturus posteritatem Abrahae, et omnes, qui cum ea se conjungunt; deinde suo tempore assumturus carnem, et iram ac maledictionem a suo populo in se translaturus, ut ipsi, peccatis omnibus exuti, etiam mortis aeternam poenam evadant. Huic praedicationi Abrahae credidit Sarai, uxor Loth, filiae Loth et utriusque servitia. Itaque summa cum voluptate sanctum patremfamilias secuti sunt, potius inopiam, pericula et damna omnia passuri, quam tantarum promissionum possessionem amittant, quae tamen nondum in re, sed in nuda spe erat.

Atque hoc modo Dominus etiam ipsum Abraham consolatus est. Nam revera benedictio Dei fuit, quod potuit invenire exsilii sui comites, et quidem tam bonos et pios, qui ipsi quoque verbum magni faciebant et sequebantur.

Recte igitur Psalmus (39, 13.) celebrat hunc nostrum peregrinum, cum dicit: „Peregrinus sum apud te, sicut omnes patres mei". Respicit enim David ad fidei imaginem. Etsi enim rex erat, tamen in periculis variis constitutus, sicut Abraham in ignota terra, sola promissione se sustentabat, in hac sola acquiescebat.

Ac nos quoque debemus hoc exemplum nobis amplificare, non tantum ad confirmationem et consolationem nostri, sed etiam ad obscuranda portentosa opera nostrorum sanctorum, quae in Papae ecclesia jactantur, cum revera foetidum stercus sint, collata ad nostri peregrini seu exsulis opera et fidem.

Verbum עָשׂוּ, fecerant, non solum propagationem liberorum, sed etiam curam et educationem tum liberorum, tum pecoris significat.

Egressique sunt, ut venirent in terram Canaan, et pervenerunt in terram Canaan.

Observabis hoc in loco, quod jubetur exire Abraham, et habet promissionem benedictionis. Sed nondum ostensus est ei locus, quem petere debeat; itaque incertus adhuc est, quanam parte terrae eum Dominus habitare velit. Quod autem recta ad terram Canaan tendit, non ideo facit, quod certo sciat, terram Canaan posteris suis tradendam: nam haec promissio postea sequetur; sed quod Patriarcham Sem sequitur, qui in Salem morabatur, a quo fortasse etiam ex Ur erat evocatus. Hujus vel consilio vel consolatione, si quidem promissio de semine in eo posita erat, volebat uti, dum Dominus designaret locum, in quo viveret.

Ergo haec peregrinatio in fide facta est: nondum enim locum habitationis norat. Primum ex Ur Chaldaeorum, quae patria fuit, migrat in Haran: ex Haran deinde in Canaan. Ibi non uno in loco moratur; saepe vicinorum improbitate, saepe Domini verbo cogitur mutare locum, donec tandem in Aegyptum secedit. Ex Aegypto iterum migrat in Ca-

sem, nec tamen uno in loco subsistit: jam Hebron, jam Bersaba, jam mons Moria ei sedes est. Quodsi infirmus fuisset in fide, impatientia fractus, abjecisset verbum, et vagationum constituisset modum. Admirabile igitur hoc fidei exemplum est, quod sanctus vir non fatigatur, sed assiduo se consolatur Domini verbo, in eo sperat, nec judicat vanum esse, quod Deus semel promisit. Sic simpliciter in nubibus, seu coelo haeret spe sua, neque a se *) patitur dimoveri.

Pertransivit autem Abram terram usque ad locum Sichem, et usque ad planitiem More. Erat autem tum Cananaeus in terra.

Haec quoque pertinent ad amplificandum exemplum hoc, quod Abraham cum tanta turba hominum et pecorum tam longinquam profectionem suscepit. Mirum autem est, si non aliqui, succumbentes tentationi, impatientiae voces emiserunt, ut indignati sint, quod non potius vel in Haran, vel aliquo alio loco substiterit.

Sichem ex Iosua nota est. Quando enim filii Israel trajecerunt Jordanem, venerunt regia via primum ad Hiericho, deinde Hai, ac tandem Bethel. Sichem autem a Bethel septentrionem versus est, non longe a duobus notis montibus, Ebal et Garizim: neque Hierusalem procul distat. Fuit autem hisce in locis admodum superbus populus posterioribus temporibus, sicut historiae et Prophetarum conciones ostendunt, quod Patriarchae ibi habitarunt. Sicut Romanus Pontifex mirabiliter superbit, quod Petri sedem [illegible]cat.

Vocabulum [illegible] alii quercum, alii campestria seu planitiem vertunt. Sed perinde est; nam sententiae

*) Vert. [illegible]

nihil adimit. Sed More montis nomen est, cujus mentio fit Iudd. *) 7, (v. 1.). Cum enim Gideon castra locasset ad austrum, Midianitae ad aquilonem in convalli apud petram More castra metati erant. Incertum autem est, unde hanc appellationem sortitus locus sit; significat enim מוֹרֶה doctorem. Ego in ea sum opinione, fuisse eo in loco sacerdotem aliquem, qui instituit eo in loco viciniam de religione et cultu Dei. Est appellatio eadem in Psalm. 9. (v. 21.): „Constitue eis legislatorem". Item: Ps. 84. (v. 7.): „Benedictionibus induetur doctor". Sed hoc in loco proprium est loci, in quo Abraham primo substitit.

Quod autem Moses addit, Cananaeum fuisse in terra, id eo pertinet, ut admoneat nos miserabilis exsilii, in quo sanctus Patriarcha vixit. Non enim inter amicos, sed in medio inimicorum, inter homines cultu et religione differentes habitavit. Destinata quidem voluntate Noah ea regio erat pio Sem; sed filii Nimrod, ex utraque Arabia effundentes se, vi eam occuparant: ut videas, omnibus seculis eandem esse ecclesiae fortunam: praedae est impiis, et tamen Dominus eam mirabiliter conservat, etiam contra portas inferorum.

Apparens autem Dominus Abrahae dixit: Semini tuo dabo terram hanc.

Satis diu et varie vexatus et afflictus inter Cananaeos exsul Abram, ne vinceretur tandem impatientia, in tentatione summam consolationem invenit. Verum enim est, cum arripit nos tentatio, nisi tum abbreviarentur dies, et succederet consolatio, non fieret

---

*) *Edit. princ.* Iosuae.

ret salva omnis caro (Matth. 24, 22.). Qui igitur perdurat in fide, in fine certo experietur, quod Deus suos non deserat. Differt quidem consolationem, et nervum ita intendit, ut jam rupturum existimes; sed opportune adest, et tum auxilio suo nos sublevat, cum videmur corruituri. Ideo Psalmus 9. (v. 10.) Deum hoc titulo ornat, et vocat eum „adjutorem in opportunitate".

Quo anno haec revelatio sit facta, textus non ostendit. Sed circumstantiae indicant, jam paene fatigato Abraha isto duro exsilio et perpetuis migrationibus. Igitur priusquam venit ad Sem, consolatur eum Deus, ut in hac quoque parte hujus Patriarchae exemplum ecclesiae utile et consolationi esset: ac nos quoque in tentatione positi disceremus, fidem firmiter retinendam: Deum enim certo affuturum, et consolaturum nos.

Locus igitur nunc demum indicatur certus, in quo posteritas Abrahae consistat. Observa autem, quam proprie et dialectice verba sua ponat Dominus. Abraham, cum haec dicuntur a Domino, nec semen nec terram habet. Post cum nascitur ei semen, tamen nondum habet terram; imo sicut Stephanus (Act. 7, 5.) dicit: „Ne vestigium quidem pedis habet". Convenit igitur haec promissio cum illa priore, quae promittit, futurum, ut habeat Abraham magnam posteritatem; non enim ipsi, sed semini promittitur terra. Hac promissione contentus est Abraham, nec queritur de suo exsilio, modo norit, posteritatem non exsulaturam.

Est autem promissio haec vere corporalis. Nam justi etsi fide vivunt, et spe futurae vitae praesentes calamitates vincunt, tamen in hac vita et tanta

carnis infirmitate, etiam corporali consolatione indigent, ut respirare a malis, et quasi vires resumere possint, quas quotidianae calamitates attenuant.

Et aedificavit ibi altare Domino, ubi apparuerat ei.

Hic primum vides sanctum Patriarcham, etsi exsulem et peregrinum, tamen propter promissionem semini ejus factam cogitare de certa sede. Nunc enim primum Domino, qui ei apparuit, aedificat altare, hoc est, constituit certum locum, in quo conveniat ecclesia, auditura verbum Dei, factura preces, laudatura Deum, sacrificatura Deo; hoc enim est altare aedificare.

Ac Abraham aedificat altare, hoc est, ipse est Pontifex, seu sacerdos, ipse docet alios et instituit de vero Dei cultu. Hic enim finis unicus tum altarium, tum templorum esse debet, ut ibi convenientes audiant verbum Dei, ut orent, Deo agant gratias, Deum laudent, et quos praecepit cultus, exhibeant. Ubi haec non sunt, ibi altaria et templa nihil sunt, quam officinae idolatriae, quibus Papatus plenus est. Veri enim cultus negliguntur, et interim omnis cultus ponitur in blasphemum et impium Missae sacrificium.

Sed hic quaeritur, an licuerit Abrahae hoc facere, cum non jubeatur id certo Dei mandato? Nam cultum instituere ex electione, et non ex jussu Domini, idolatria est. Respondeo: Abraham non elegit suo consilio hunc locum altari, sed ipse Dominus, qui ibi apparuit Abrahae, eum elegit. Ipse enim Dominus est primus fundator: ideo enim se ibi ostendit, quia ibi vult coli, et praedicari promissionem suam.

Sic Iacob infra (28, 17.), cum vidisset Angelos

in scala adscendentes et descendentes, dicebat: „Haec est domus Dei, et porta coeli“. Dominus igitur, quia primus ibi commoratur, et verbum suum spargit, vere dedicat locum, seu consecrat, ut non profanus, sed sanctus sit, et sanctis serviat usibus; verbum enim est, quo consecrantur omnia. Annunciatur autem verbum hoc in loco non ab homine, sed ab ipso Deo.

Hoc igitur primum templum est, quod Patriarcha Iacob aedificat, non quidem nostris simile, sed acervus lapidum in campo, ad quem conveniebat ecclesia auditura Dei verbum, et sacra factura. Dedit autem posterioribus seculis occasionem infinitis idolatriis hic locus: sicut testantur Prophetarum conciones, ac inter caeteros praecipue Hoseae, qui contra regnum Israel vaticinatur.

Tuetur quoque religionem suam Samaritana mulier in evangelii historia exemplo Patriarcharum, cum dicit: „In hoc monte adorabant patres nostri“ (Ioh. 4, 20.). Loquitur enim de hoc ipso monte Garizim, quem puto aut fuisse petram More, aut non abfuisse longius. Ac ratio quidem hoc laqueo capta est, nec se inde expedire potest. Cum audit: Abraham hoc fecit, ac placuit Deo factum, statim concludit: Ergo ego quoque faciam idem, et etiam placebo Deo. Sed cum Prophetae negarent, hanc consequentiam esse veram, vapulabant et occidebantur.

Ac Sichimitarum praecipua fuit insolentia et superbia: sicut Sirach ideo vocat stultos. Quia enim norant, ab Abraha in monte More altare aedificatum, hoc agebant tempore Alexandri Magni, ut in monte Garizim aedificarent sumtuosum templum, ita permittente Alexandro, sicut Iosephus auctor est li-

bro 11. cap. 8. Hanc impietatem praevidens Moses non ad exempla Patriarcharum sequenda, sed ad verbum Dei revocat pios Deut. 16, (v. 5. 6.) dicens: „Non in quovis loco sacrificabitis, sed in loco, quem elegerit Dominus“. Hanc particulam ea una in concione non semel, sed multoties repetit. Quia enim futurum erat, ut locus tabernaculi saepius mutaretur, donec tandem templum aedificatum est, vult Moses, ut istum locum observent, in eo conveniant, et sacra faciant, quem Dominus voce sua designat.

Sed frustra videmus monuisse sanctum Prophetam. Tabernaculum enim et templum contemtum est ab idolatris, et quaesita alia cultuum loca. Sicut apud nos quoque factum est: pluris enim fecimus Petri Basilicam Romae, quam omnia alia loca, in quibus verbum, Sacramenta et legitimus clavium usus fuit: cum tamen constet, ubi haec sunt, ibi Deum adesse praesentem et propitium.

Et movens inde in montem, qui erat ab oriente respectu Bethel, extendit tabernaculum suum: ita ut esset Bethel ab occidente, et Hai ab oriente. Et aedificavit ibi altare Domino, et vocavit in nomine Domini.

Haec nova peregrinatio est in locum vicinum. Nam Bethel ac Hiericho non longe absunt a monte Móre, et sunt omnes positae in regia via. Causam autem si quaeras, cur non manserit diutius in More, nihil est, quod possimus causari, nisi vicinorum, apud quos vixit, odia et injurias, quas non solum ideo passus est, quod inquilinus erat, sed quod novae religionis erat auctor, et habebat suos singula-

res conventus, nec sequebatur ipsorum, apud quos habitabat, idolatriam.

Sicut autem supra de More apud Sichimitas diximus, ita ex Prophetis patet, hanc occasionem arripuisse idolatras, ut in Bethel templum et altare erigerent. Fuit enim augustum nomen Bethel: significat enim domum Dei; itaque idolatrae opportunum judicabant cultibus divinis: sicut Hieroboam ibi vitulorum cultum erigit (1. Regg. 12, 28. 29.). Infra (28, 19.) monebit Moses, Bethel prius vocatum Lutz, sed a Iacob Bethel appellatum, quod ibi apparuisset ei Dominus.

Observabis autem hic quoque sancti Patriarchae pietatem. Etsi qui apud More habitabant, propter religionem potissimum eum incipiebant odisse, tamen non ideo abjicit religionis studium Abraham: sed etiam in hoc monte, qui medius inter Bethel et Hai est, erigit altare, et exercet pontificale suum officium, hoc est, docet ecclesiam suam de voluntate Dei, hortatur ad sanctimoniam, confirmat eos in fide, alit spem eorum de futura benedictione, etiam orat cum eis. Haec enim omnia Hebraeum verbum includit.

Ego malui relinquere verba, ut in Hebraeo sunt posita, quam sequi nostrum interpretem, qui tantum de invocatione exponit. In ea significatione apud Ioelem est cap. 3. (v. 5.): „Et erit, ut omnis, qui invocaverit nomen Domini, liberetur“, sive evadat.

Sed hic de toto ministerio loquitur Mose: sicut etiam invocatio ipsa totum ministerium includit. „Quomodo enim invocabunt, in quem non credunt? Quomodo credent, si deest doctor“? etc. (Rom. 10, 14.). Sententia igitur est: Vocavit in nomine Domini, hoc est, de nomine Domini docuit suos, ut disce-

rent, Deum esse misericordem, et bene velle generi humano; si quidem promittit semen, per quod ira tollatur, et reddatur benedictio aeterna, in Paradiso per peccatum amissa. Hanc Dei notitiam etiam sequitur invocatio, ut in omnibus periculis ad tam clementem Deum respiciamus, rogemus opem, invocemus eum etc. Hic Pontifices et Episcopos nostros interroga, quis unxerit Abrahamum, ut hoc pontificale officium exerceret inter suos? . .

Abraham autem migrans inde profectus est, et profectus est meridiem versus.

Haec tertia in ipsa terra Canaan migratio est. Itaque apparet, quam gratus fuerit hospes ejus terrae hominibus. Etsi autem locus hic non nominatur, tamen Hebron fuisse verisimile est. Quae cum esset civitas regia, in qua sacerdotes quoque Cananaeorum erant, non potuit Abrahae ibi locus esse. Admirabilis igitur animi magnitudo, et insignis perseverantia in fide hic ostenditur, quod in tot migrationibus, sive tanta hominum malitia et perfidia, non tamen succubuit Abraham, sed et retinuit spem factae promissionis, et nomen Dei sui non tacuit, sed praedicavit publice, toties expertus, eam unam rem infinitis odiis et injuriis praebere occasionem.

Hoc exemplum excellentis fidei Spiritus sanctus hic nobis ob oculos ponit. Supra de Caini peccato et poena diximus, quod oportuit eum vagum esse in terra. Sed Abraham sanctus est per fidem, habet deinde promissionem excellentis benedictionis. Haec confer ad fortunam ejus, et videbis, similem Caini poenam sustinere, ac tanquam maledictum vagari in terra sibi promissa, neque id solum, sed

cum uxore, cum nepote ex fratre et tota familia. Sic „Dominus mirabiliter ducit sanctos suos" (Ps. 4, 4.), qui si in fide perseverant, quod credunt, tandem accipiunt. Igitur nos quoque ad talia certamina paremus, et constanter perseveremus in fide. Hic enim finis est, cur has historiae sint propositae.

Erat autem fames in illa terra. Descendit igitur Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi. Nam fames magna erat in terra.

Nulli fuerunt neque lectores, neque doctores, quos non praesens locus offendisset, etiam inter Iudaeos. Ita est admirabilis, quaestionibus et scandalis plenus, praesertim si recte intelligatur: tum enim scandala fidei et morum sese ostendunt. Terra Canaan est promissa semini Abrahae; itaque sine dubio concepit firmam spem, se ibi mansurum. Sed vide historiam, et dices, omnia geri et evenire contra fidem ejus et promissionem. Quod igitur pertinaciter in verbo haeret, nec se contrario eventu inde patitur dimoveri, hoc an non est per spem superare spem, seu, ut Paulus (Rom. 4, 18.) loquitur: παῤ ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι πιστεύειν, sine spe credere in spem? Sicut Iacob infra 32, quando contra Angelum luctatur.

Vagans enim est in terra, nusquam invenit locum, in quo possit manere diutius. Tandem ea incidit calamitas, ut deserere promissam hanc terram cogatur, et famis causa cum familia sua tota migrare in Aegyptum. Haec an non vehemens fidei tentatio fuit?

Discamus igitur, quale regimen habeat Deus noster in terra, infirmum et stultum videlicet, si sequaris ra-

tionis judicium. Antea abundavit haec terra varia benedictione Dei: nunc cum sanctus vir venit in eam, portans secum infirmissima fide promissionem Dei, continuo talis fames oritur, ut, nisi alium locum quaerat, periculum vitae certum sit. Similes famis calamitates postea passi sunt Isaac, Iacob, Ioseph, Elias, Elisaeus et alii Prophetae: Paulus quoque sub Claudio. Et hodie audimus, passim impingi evangelio hanc culpam, quod annona carior, et minus uberes proventus sunt.

Sic solet Deus, eo modo gubernat hanc vitam, ut plena sit scandalis et offensionum, non tantum in impiorum, sed etiam piorum oculis: quanquam pii cum sancto Abraha fide eas vincunt. Florente enim religione et sanctis Patriarchis, Prophetis ac Apostolis gubernantibus, omnis generis calamitates nascuntur. Quomodo conveniunt haec cum promissionibus Psalm. 37. (v. 19.): „In diebus famis saturabuntur"? Item 112. (v. 7.) „Non timebit ab audito malo". „In die mala liberabit eum Dominus" (Ps. 41, 2.). Item (Ps. 37, 25.): „Non vidi semen justi quaerere panem" etc. An non Abraham panem quaerit, cum ex Canaan in Aegyptum usque famis fugiendae gratia migrat?

Respondeo: Fiunt haec certo Dei consilio, ad probationem fidei in sanctis. Fiunt autem ad tempus, et sequitur postea non solum compensatio corporalis, sicut Abraham valde ditatus est: sed etiam fidei incrementum et sensus major misericordiae Dei. Itaque Paulus (Rom. 5, 3.) dicit, etiamsi gemunt, querulantur, ejulant sancti in cruce, tamen de cruce, seu tribulationibus etiam gloriantur, sentientes mirabilem Dei gubernationem.

Ad hunc modum tentatur hic quoque Abraham, non cum suo incommodo, sed cum magno suo bono, sicut sequentia ostendent. Probat enim Dominus fidem ejus hac ipsa tentatione, quae profecto non exigua fuit. Sic enim, cum ex Canaan migrandum esset, potuit cogitare: Ubi nunc est promissio mihi de hac terra facta, ex qua nunc, nisi fame perire cum meis velim, mihi exeundum est? Siccine Deus facit, quod promittit, siccine mei curam gerit?

Sed sanctus homo primum intuetur in promissionem spiritualem de aeterno regno per Filium Dei; hac se consolatur. Deinde non abjicit fiduciam de corporali promissione. Scit, si hoc anno ob famem inde migrandum est, quod alio tempore licebit redire. Itaque patientia et exspectatione futurae benedictionis hanc tentationem superat.

Idem nos quoque faciamus, cum experimur eadem incommoda. Vulgus, ut supra dixi, hoc tempore querulatur de variis incommodis annonae, pestilitatis, bellorum etc. ac verum est: sunt ea plura et frequentiora, quam superioribus annis. Sed (ut nihil etiam dicam de peccatis et summa ingratitudine, quae Deum ad poenas provocat) meminerint pii, fieri hoc ad tentationem credentium, nec vulgi sequantur stultum et impium judicium, quod existimat, si revocetur vetus Pontificis impietas, si Missae fiant pro mortuis, si indulgentiae redimantur, si supplicationes circa agros fiant, corrigi haec mala posse. Sicut Iudaei apud Hieremiam (44, 17.) de regina coeli dicunt. Quanto hoc est veri magis simile, nunc nos istius impietatis pendere poenas, praesertim cum quidam, contemto verbo, eam adhuc tam pertinaciter urgeant?

Insigne igitur hic exemplum vides, quomodo tentetur fides in sanctis, et tamen sanctus Abraham non succumbit, sicut impii, qui statim offenduntur ad primum tentationis sensum, et resiliunt. Abjiciunt enim verbum, sine quo impossibile est consistere. Sed pii verbum apprehendunt, et eo tanquam baculo nituntur contra tentationem, ne opprimantur.

Etsi autem textus dicit, Abrahamum propter famem hanc septimam et difficillimam profectionem suscepisse, tamen quis non credat, impios Cananaeos sua importunitate eum coëgisse, dum hunc inquilinum, novam religionis formam invehentem, causam hujus calamitatis clamitabant, propter quem Deus terram alioqui benedictam coeperit maledicere? Hoc enim semper de piis judicium mundi fuit. Bonus igitur vir volens cedit invidiae, et exponit se periculo.

Atque hic non prorsus verbo, sed ratione quoque sua ducitur Abraham. Hoc ex certo habebat, quod non liceret ei redire, unde egressus erat: jussus enim divina voce erat, ut egrederetur de Ur et Haran. Igitur pergit in Aegyptum, loci fertilitate invitatus, quod sperabat, ibi viliorem annonam fore. Nam in corporalibus periculis ratio suum locum habet, ut videre aliquid et consulere possit.

Prudens igitur paterfamilias in periculo constitutus ratione gubernat fortunam, et tamen fidem non abjicit. Credit, etiamsi egrediatur necessitate coactus de terra promissa, eam tamen posteris suo tempore donandam. Interim Aegyptum ceu diversorium petit, unde commodo tempore in Canaan redire possit. Id Moses diserte ostendit, cum dicit, eum *migrasse* in Aegyptum. לָגוּר שָׁם, ut esset ibi pe-

regrinus, non ut ibi firmas sectaretur sedes: cogebatur enim necessitate, quam sciebat non fore perpetuam, sed unius aut alterius anni.

Qui inter Cananaeos mitissimi fuerunt, hoc forte ei consilium dederunt de adeunda Aegypto, quod judicarent, eam tanta familia tali tempore Abrahamum reliquis vicinis oneri fore. Sed major pars odit religionem ejus, et judicarunt, eum hujusmodi mali causam esse: non viderunt, quod Deus contemtum verbi et religionis, fame et aliis incommodis punire soleat.

Et factum est, cum appropinquasset, ut intraret in Aegyptum, dixit ad Sarai uxorem suam: En scio, quod tu sis mulier pulchro adspectu; fiet itaque, cum viderint te Aegyptii, ut dicant: Haec hujus uxor erit; interficient igitur me, te autem in vita conservabunt. Dic, obsecro, quod sis soror mea, ut bene sit mihi propter te, et ego vivam tuo beneficio.

Hic locus gravissime offendit Patres et doctores omnes, quod non tantum mentitur Abraham, sed cogit etiam ad mendacium uxorem. Sed mendacium fortasse excusari potest. Illud autem excusari non potest, quod uxorem volens et sciens exponit periculo adulterii, et hoc mendacio invitat ad adulterium Aegyptios, qui fortasse sibi temperaturi erant a maritata. Nunc cum liberam audiunt, putant, sine peccato eam posse rapi.

Non solum igitur quaestiones multas, sed etiam scandala varia hic locus peperit: si quidem Abraham pluris facit vitam suam, quam pudicitiam uxoris et

aliorum salutem. Sed primum de mendacio dicemus, de quo disputant inter se Hieronymus et Augustinus. Ac Augustinus triplex facit mendacium, jocosum, officiosum et perniciosum.

Iocosum vocat, qualia sunt poëtarum seu histrionum in scena, quos scimus mentiri, cum representant aliquid tanquam rem gestam: et tamen mendacium sine incommodo, et gratum etiam est, quod delectat, et risum movet. Potest igitur vocari grammaticum peccatum.

Alterum est officiosum, cum boni alicujus causa mentimur, sicut Michal mentitus, cum dicit (1. Sam. 19, 17.), Davidem intentasse mortem; et recitat Augustinus exemplum de quodam Episcopo, nolente prodere confugientem ad se. Tale Chusai Arachitae mendacium est, 2. Sam. 15. (v. 34.), et mulierculae apud fontem Rogel 2. Sam. 17. (v. 20.). Officiosum vocatur hoc mendacium, quia servitur non solum alterius commodo, qui alioqui injuriam aut vim passurus erat, sed etiam impeditur peccatum. Improprie igitur mendacium vocatur; potius est virtus et insignis prudentia, qua et furor Satanae impeditur, et servitur honori, vitae, commodis aliorum. Vocari igitur potest pia sollicitudo pro fratribus, vel, ut Paulus loquitur, zelus pietatis. Proprie autem mendacium est, cum fallitur proximus a nobis in suam perniciem, et in nostrum commodum. Hoc discrimen etsi non satis sit proprium, tamen propter Patrum reverentiam retineo.

Quod igitur ad Abrahae factum attinet, statuamus, eum non esse mentitum, vel saltem dicemus, officiosum esse mendacium, et dignam laude providentiam. Iudaei quasi Stoici, hoc est, septies asini, adeo interpretantur hoc factum duriter, ac Abraha-

mum tanti peccati reum faciunt, ut dicant, captivitate Aegyptiaca id punitum esse in posteris. Abfuit enim ab hoc ejus consilio peccatum, et, quantum potuit, prudentia gubernavit fortunam tam inclementem.

Ex vocatione Domini venerat in terram Canaan. Sed et vicinorum, cum quibus habitabat, improbitate et injuriis, deinde temporum difficultate cogitur, ut mutet locum. Quia autem non libebat regredi ad loca, ex quibus egressus erat, Aegyptum petit fertilitate celebrem. Fieri autem potest, ut Aegyptus jam esset infamis apud vicinos propter tyrannidem; habebat enim potentissimum regem. Ubi autem magistratus verbo Dei non gubernatur, fere ad tyrannidem abutitur potentia; sicut quidam dicebat, bonorum regum nomina in uno annulo posse scribi. Haec igitur tentarunt animum Abrahae, ut sibi metueret, et de periculi ratione vel corrigendo, vel vitando cogitarit.

Quid igitur, inquies, num labascit fides ejus? Num dubitat de Dei promissione, quod conservaturus et adjuturus sit in periculo? Ego sane non nego, quod fides aliquantulum laboraverit. Nam exempla ante oculos sunt, quod etiam summi viri sunt lapsi. An non vehementi tentatione percutiebatur Moses ad aquas contradictionis? (Num. 20, 12.) Et notus est Davidis horribilis lapsus (2. Sam. 11, 4.).

Ad hunc modum, cum verbum ex oculis et animo dimisisset Abraham, et rationi indulgens de periculis cogitaret, vacillare coepit; sed non penitus victus est; imo fides laborans tandem triumphavit. Nam in ipso periculo, quod metuebat, constitutus, non tamen defecit fide, sed obtinuit apud Deum oratione, quod voluit.

Ostendit ipse Abraham apud Abimelech, cum denuo hoc periculo tentaretur, infra Cap. 20. (v. 11.) hujus consilii sui rationem, cum dicit: „Forte non est timor Dei in loco isto, et occident me“. Hic profecto indicat non leve certamen conscientiae suae, quae duro hoc telo in ipso exsilio vulneratur, ut cogitet: Vide, solus es, peregrinus es, quocunque venis; peregrinam et novam tecum adfers religionem. Tune solus sanctus? Tune solus Deo curae es? et tot gentes ac populi a Deo sunt abjecti?

Similia nos quoque hodie patimur, cum adversarii plenis buccis nobis objiciunt augustum ecclesiae nomen, et interrogant, num, qui praecesserunt nos, et Papae religionem secuti sunt, omnes damnati sint? Ac Abraham quidem tueri se potuit in hac lucta, quod norat, se habere promissionem et verbum, gentes autem illas esse sine verbo; ideo Deo non esse curae. Sed corda admodum infirma sunt, et non facile hanc sententiam admittunt.

Pronuntiare igitur possumus, in tanta periculorum multitudine Abrahae fidem cessisse aliquantulum, et quanquam hoc peccatum sit, tamen esse peccatum infirmitatis. Ac in hanc sententiam fere de hoc facto judicant, qui mitiores sunt, et non cum Iudaeis insaniunt.

Mihi autem alia subit cogitatio, ut non solum non peccasse, nec labasse fidem Abrahae statuam: sed hoc ipsum consilium ex fide firmissima, et ex Spiritu sancto fuisse profectum, judicem. Quomodo hoc, inquies? Abraham plenus fide, etsi pericula varia videt, tamen in solam promissionem respicit. Hanc scit sibi et suo semini factam, et, ut sic dicam, in suo corpore positam. Etsi igitur statuit, Deum

facturum, quod promisit, etiamsi in Aegypto occidatur, tamen sentit, Deum non tentandum. Quaerit igitur media omnia salutis seu vitae defendendae, quasi dicat: Non defugio mortem hujus corporis, si Domino sic videbitur, et tamen promissio non est per incuriam negligenda, die sol nicht verwarloset werden. Si possum eam obtinere cum vita, bene est; sin, vita profundenda erit in impia hac gente, Dominus, qui promissionem benedictionis dedit, etiam mortuum me facile excitare poterit. Sed non ideo aliqua salutis via negligenda est. Igitur, mea Sara, ne dicas, me esse maritum tuum: dic, esse fratrem: ita vivam tuo beneficio. Tu autem ne dubita; senties Domini auxilium, ne quid patiaris indignum te, et ego quoque, quantum potero, ea in re te adjuvabo apud Deum verum precibus, qui se promisit clementem fore etc.

Haec sententia mihi magis placet, quia consentit cum scriptura, et simile exemplum infra proponitur, cum Isaac mactandus est. Nam ibi quoque, sicut epistola ad Hebraeos (11, 19.) testatur, hac se spe erigit Abraham, quod Deus possit reducere in vitam etiam mortuos.

Quia autem scriptura non uno loco Abrahamum nobis proponit tanquam patrem credentem *), et perfectum fidei exemplar: ideo malo in hanc sententiam pronuntiare, ut hic quoque magnitudo fidei ostendatur, quam quod aut peccarit, aut fides succubuerit in tentatione.

Quanquam enim hoc humanum est, tamen hic peculiare exemplum proponitur, de quo possumus pronuntiare, quod nullus sanctus ad hunc modum se cum in vita, tum in morte gesserit, sicut Abra-

*) Fort. credentium.

ham. Perinde enim ei est, sive moriatur, sive vivat; haeret enim in Deo promissore, et tamen vitam non temere profundit. Exponit periculo familiam, substantiam, tandem uxorem quoque, ut vitam suam redimat: non quidem propter se, sed propter promissionem, quae in corpore ejus nitebatur. Dictum enim erat: „In te benedicentur omnes familiae terrae". Hoc verbum, hanc sollicitudinem, hanc curam servandae vitae excitat, ut omnia potius, quam vitam suam periculo exponat.

Non igitur levis aut exigua res est, propter quam periculo exponere videtur conjugem suam Abraham. Non enim simpliciter hoc facit propter vitam corporalem obtinendam, sed propter Deum ornandum, ut is maneat in sua promissione verax, quam sanctus vir familiae suae toties commendarat, qua toties eam consolatus erat in variis periculis. Ad hunc modum tractatus hic locus neminem offendet. Quae enim fiunt ad gloriam Dei, et verbum ejus ornandum et commendandum, haec recte fiunt, et merito laudantur.

Sentiamus igitur, Spiritum sanctum etiam hoc in loco voluisse proponere excellentissimum fidei exemplum, quo admoniti nos quoque disceremus firmiter inniti promissioni Dei, et urgere eam. Si enim totus mundus reclamaret, si omnia in speciem contraria obvenirent, si denique exstinguereris ipse, tamen, modo fides nitatur promissione, evenient, quae Deus tibi in Baptismo, in verbo, in coena sua, in absolutione promisit; non enim potest Deus mentiri. Ergo fides, quae nititur verbo, etiam mentiri aut fallere nequit, potius coelum rueret, potius lapides pa-

nis

nis fierent, potius ex lapidibus excitaret Deus Abrahae filios.

Sed Abraham, inquies, plurimorum scandalorum auctor fuit? Non omnes intellexerunt hoc ejus consilium: sed viderunt omnes, in certum periculum adduci conjugem. Hoc certe cum Pauli regula (Ephes. 5, 28.) non convenit, qui praecipit, diligendas uxores, sicut nos nostra corpora diligimus etc.

Respondeo: Nihil hoc ad Abrahamum. Ipse enim recte facit, et non peccat. Nos quoque docemus verbum Dei, et docemus cum singulari fide et diligentia; sed multi inde scandalizantur. Quid autem hoc ad nos? Si sunt scandala, sunt passiva, et non activa. Cur igitur sustineremus inde conscientiam? Sic Abraham fecit, quod potuit, et, ut firma maneret promissio, ne quidem uxoris periculo motus est. Haec insignis fides est, et aedificantur exemplo hoc, qui id recte considerant. Si qui autem offenduntur, quid hoc ad Abrahamum?

Sed Sarae quoque eximia fides est, quod haec suadenti marito morem gessit, neque suo periculo mota est. Potuisset dicere: Non faciam. Cur enim prodam pudicitiam meam? Inanis hic praetextus est: quia sterilis sum, me abjicis, et captas occasionem ducendae aliae. Sed nihil tale ex ipsa audis. Monenti marito obsequitur, et in pura fide ambo se misericordiae Dei commendant. Hos conjuges quis non laudet? quis non admiretur? quis non imitari excellentem eorum fidem et obedientiam optet?

Insignia igitur haec exempla, et notabiles historiae sunt, quas tamen fere otioso animo transcurrimus, tanquam ad nihil utiles. Sed inspicienti eas diligenter et evolventi, tandem aperitur nucleus, et sa-

lutaris doctrina patefit, quae praelucere piis in omni vita et omnibus actionibus debet.

Quotusquisque est, qui, cum legit verba haec, quibus Saram conjugem Abraham compellat, cum consilium suum ei ostendit, qui putet, inde aliquid posse disci? Sed sacrarum rerum studiosus nihil putabit tam esse exiguum, si quidem Spiritus sanctus id literis voluit mandari, quod non prosit saltem ad vitam et mores regendos.

Itaque hic quoque oeconomicam doctrinam ostendit Spiritus sanctus, cum commemorat, Abrahamum tam amice collocutum cum Sara sua. Primum rogat: deinde addit ista de dono formae. Nihil hic audis tyrannicum, nihil imperiosum; blanda et suavia sunt omnia, sicut inter bene junctos esse debent. Non enim, sicut Salomo dicit, „maritus in domo sua leo sit" (Sir. 4, 35.); sed etsi maritus dominium habet in uxorem, debet tamen id non ejusmodi esse, sicut Plutarchus (Conjug. praec. p. 142. ed. Francf.) erudite monet, quale esse solet in mancipia: sed quale est animae in corpus, quae naturali benevolentia cum corpore juncta est, et afficitur corporis tum commodis, tum incommodis.

Sed etiam tertia quaestio hoc in loco explicanda est, an excusari possit Abraham, quod de Aegyptiis nondum notis sic male suspicatur? Quia enim omnis suspiciosus detractor est in corde suo, detrahit hac cogitatione Abraham regi et toti Aegyptiorum nationi. Statuit enim, eos esse tyrannos, libidini deditos, et paratos ad caedes. Nisi enim haec metueret, non institueret hoc consilium.

Magnum autem peccatum est detractio, et notum est proverbium: Melius inter bestias agi vitam,

quam apud homines suspiciones. Paulus quoque numerat suspicionem inter capitalia peccata, 1. Timoth. 6, (v. 4.). Est enim fons, ex quo promanat detractio, discordiae, lites etc. Itaque Christus docet contrarium, et jubet, ne quenquam judicemus aut damnemus. Nam omnis suspiciosus constituit se judicem super alios, et damnat alios."

Damnarunt autem philosophi quoque suspiciones, tanquam venenum amicitiarum, sicut exstat erudita disputatio Ciceronis, sub persona Laelii flagellantis notum Biantis dictum: Ama, tanquam osurus (de Amic. 16.). Vere enim dicit, amicitias consistere non posse, ubi suspicionibus indulgetur. Suspicio autem est, statuere, quod, quem nunc diligis, osurus aliquando sis. Huic affine est, quod Aristoteles veritatem vocat matrem amoris. Non enim vel oeconomiae, vel politiae consistere possunt sine mutua fide. Quantum enim incommodorum etiam de rebus leviculis suspiciones inter conjuges excitant? Graviora autem mala sequuntur, cum haec pestis invaserit respublicas.

Et tamen Abraham suo exemplo docet nos suspiciones alere. Imo, quod plus est, scriptura sancta jubet et consulit, ut simus suspiciosi, si quidem diserte pronuntiat, „omnes homines esse mendaces" (Ps. 116, 11.). „Inimici hominis, inquit Propheta (Micha 7, 6.), domestici ejus". „Nolite igitur credere amico" (Sir. 6, 7.). „Nolite confidere in duce" (Ps. 146, 3.). „Ab ea, quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui" etc. (Micha 7, 5.). Et Christus dicit: „Non veni mittere pacem, sed gladium" (Matth. 10, 34.).

Haec manifesta sunt verba scripturae: et tamen, si ea sequeris, qualis erit nostra vita, si in ista diffidentia, in suspicionibus et cogitationibus malis inter se vivent uxor cum marito, subditi cum magistratu, familia cum hero? Deinde ubi manebit praeceptum Christi: „Nolite judicare; ne consideres festucam in oculo fratris“ (Matth. 7, 3.)? Qualis denique erit ecclesia, quae poenitentiam peccatoribus proponit, et monet, de peccatoribus ne desperemus prorsus? Non igitur valet in ecclesia illa celebris jurisconsultorum regula: Qui semel malus, semper praesumitur malus; cum Christus etiam septuagies septies vult condonari offensam fratri. Haec ex diametro pugnantia quomodo conciliabimus?

Quod ad Biantis sententiam attinet, quam adeo flagellat Cicero, prorsus in ea sum opinione, ut existimem, Ciceronem non intellexisse, quid vellet Bias. Sententia enim Biantis non est propositio, ut vocant, de inesse, sed modalis, hoc est: Bias non hoc vult, quod amans certo constituat, se osurum, quem amat: sed quod, cum jam amet, possibile sit, ut posthac oderit. Sicut Augustinus quoque loquitur, saepius contingere in vita, ut, quem oderis antea, eum ames. Sed philosophicam quaestionem relinquamus philosophis excutiendam. Nos theologica illa videamus, et quid fecerit Abraham, et quid scriptura vetet fieri. Prohibet judicium, hoc est, prohibet, ne simus suspiciosi: et tamen jubet, ne cui confidamus. Haec quomodo conciliari possint, videbimus.

Tota res in eo est posita, ut distinguas inter has duas sententias, quas sacrae literae proponunt. Prima *mandat*, ut diligamus non tam amicos, quam

inimicos. Secunda mandat, ne ponamus in hominem fiduciam; fieri enim posse, ut fallat.

Sicut autem plenam prioris sententiae causam non videt ratio (nam inimicitias geri contra eos, a quibus laesi sumus, justum existimat): ita multo minus causas videt, cur omnibus hominibus ex aequo sit diffidendum. Intuetur enim singulorum vitam, et ex moribus judicat, hos bonos, illos malos esse. Bonos autem censet amore dignos, malos autem odio. Hoc rationis judicium est, altius non potest adscendere. Deinde non solum statuit amore dignos bonos, sed etiam fide. Hinc nascitur fiducia in homines, quam tamen in totum sacrae literae damnant: quia non solum periculosa, sed etiam impia est. periculosa, quia fallit, impia, quia fiducia haec debetur non creaturae, sed creatori.

Sacrae literae igitur proponunt primo, ut ex aequo omnes homines diligamus, ut omnibus benefaciamus, non bonis tantum, et quos ex moribus judicamus dignos, sed etiam malis. Sic enim Deus solet: effundit bona sine discrimine, et revocat nos ad hoc exemplum ipse Christus (Matth. 5, 45.).

Deinde aliud de hominibus judicium docent, quam quod ex moribus tantum sumitur. Hoc enim propter hypocrisin incertum est, et fallit. Quoties enim amicitiae dissiliunt? quoties, quem bonum judicabas, deprehendis iniqua conari? Celebrant gentilium literae ex omni numero antiquitatis nescio quot paria amicorum. Hoc ipsum an non satis magnum et evidens argumentum est, falli nostrum de hominibus judicium, quod ex moribus sumitur?

Sacra igitur scriptura non ad mores simpliciter respicere jubet, sed ad verbum et ad timorem Dei.

Haec ubi deprehendimus, hos bonos esse dubium non est: et tamen fieri potest, ut etiam hi cadant. Nota enim naturae infirmitas, et hostis nostri potentia est hoc agentis, ut a vero nos abducat, et timorem Dei nobis excutiat. Quare ne hic quoque firma fiducia esse potest, futurum, ut semper sui similes sint. Quanto igitur minus in his ponenda est fiducia, qui sunt sine timore Dei?

Philosophia igitur hunc fontem mali non videt, quod natura tota corrupta est: etsi igitur certis officiis simulat amorem ad tempus, tamen non est firmus amor, et facillime excutitur.

Ut igitur ad propositum negotium redeam, Abraham proficiscitur ad Aegyptios; hos non odit, et tamen diffidit eis. Ratio est: videt non solum, naturam per se malam esse, et indulgere cupiditatibus, sed videt, Aegyptum destitutam quoque verbo et vera religione. Hic cur periculum non metuat?

Se igitur et vitam suam committit Deo, et tamen non negligit media, quibus eam tueri posse sperabat. Ita incedit in regia via. Neminem odit, et tamen nemini fidit: si quid ab aliis benefit, hoc pro lucro habet, et eo fruitur, sed ita tamen, ut, si beneficium desinat, aut aliquid incommodi accidat, non ideo indignetur, aut odisse hominem incipiat.

Tales amicitias nescit philosophia, quia hominis naturam non satis habet perspectam; putat, inveniri posse sic bonos, qui nunquam obliviscantur officii. Ita dum amicitias quaerit, incidit in inimicitias, plane, ut Graeci vocant, ἀσπόνδους, quae sanari non possunt.

Sed eruditi sacris literis vident, quid sit in homine; et ideo in Deum, non in hominem perfectam

fiduciam ponunt, et tamen ex aequo omnes diligunt, omnibus benefaciunt, etiam inimicis. Norunt enim, Deum ita velle.

Atque haec demum est firma amicitia et constantissimus amor, qui nascitur non ex nostro judicio, sed ex Spiritu sancto, qui mentes ad verbum sequendum incitat.

Sicut autem diffidentia illa necessaria est, propterea quod humana omnia sunt incerta: ita vicissim caritas, sicut Paulus (1. Cor. 13, 4. 7.) dicit, non est suspiciosa, sed bene sperat etiam de malis. Utrunque enim statuit accidere posse, ut et ruant, quos bonos esse judicat, et emendentur, qui mali sunt.

Qui igitur ad hunc modum in hominem non ponit fiduciam, non est ideo suspicax, nec, ut sacrae literae loquuntur, judicat aut condemnat proximum. Nam suspicio seu judicium hoc est sine spe emendationis. Caritas autem, etiam cum videt; quod improbandum est, tamen sperare nondum cessat: ideo ad ignoscendum facilis est, neque septies, sed septuagies septies ignoscit. Utrunque enim scit verum esse, quod omnis homo, quantum in se est, sit mendax, atque ideo in nullum hominem fidit; et quod Deus bonus sit, qui ignoscit peccata, et gaudet conversione peccatoris, ac destinavit ad id verbum suum, cui Spiritus sanctus adest. Hinc nascitur spes, ut etiam de malis non in totum desperet.

Philosophicum igitur judicium explodendum est, quod statuit, ex moribus hos malos, illos bonos esse, et tenenda est haec sententia universalis: „Omnis homo mendax" (Ps. 116, 11.). Item: „Prospexit Dominus de coelo super filios hominum, ut vide-

ret, num esset aliquis intelligens et requirens Deum: sed omnes declinant, inutiles sunt, non est, qui faciat bonum, ne unus quidem" (Ps. 14, 2. 3.). Haec est nostra natura, quam nobiscum afferimus ex utero matris, et retinemus, donec Spiritus sanctus eam emendet. Igitur homini, in quantum homini, nihil fidendum est, etsi, quod ad mores attinet, non habes, quod reprehendas. Et tamen abesse debet odium, ut, quamvis malum judices, non tamen ideo deseras, aut desperes de emendatione.

Porro hic nihil dicimus de singularibus vocationibus, quae in speciem dilectionem videntur tollere. Non enim dilectionis speciem habent plagae, quibus in liberos aut familiam paterfamilias et parentes utuntur; et ira videtur, quod magistratus nocentes gladio punit et occidit. Sed jubentur hoc facere, et peccarent, si vocationem suam ad hanc communem regulam de diligendis ex aequo bonis et malis accommodarent, cui tamen parere debent ipsi quoque, cum sunt extra vocationem.

Ad hunc modum etiam ad Michae (7, 5.) sententiam respondendum est, cum praecipit: „Ab ea, quae dormit in sinu tuo, custodi claustrum oris tui". Hoc profecto non vult Propheta, ut conjuges suspicionibus indulgeant, quae nunquam abeunt sine dissensione et turbis; sed vult, amari conjugem, sicut Paulus hoc ipsum praeceptum in epistola ad Ephesios (5, 25.) pulchre explicat.

Et est inter primas laudes uxoris haec, quod cor mariti in ea confidit, hoc est, quod maritus eam complectitur amanter, nihil sinistre de ea cogitat, persuasum habet, se amari, et suis commodis serviri *ab uxore*. Ideo Augustinus quoque non inerudite tria

numerat conjugii bona, fidem, prolem et sacramentum. Ac sane, si fides abeit, nunquam coalescent animi, nunquam amabunt vere inter se. Nihil autem hic mundus hac animorum conjunctione inter conjuges habet pulchrius. Sicut etiam Sirach concionatur: „In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, amor vicinorum, et conjuges inter se consentientes" (25, 1. 2.).

Itaque Propheta non suspiciones, non odia vult esse inter conjuges, sed summum amorem et benevolentiam summam, quae sine mutua fiducia non potest exsistere: et tamen vult, hujus fiduciae esse modum, quia accidere potest, ut fallat. Est enim homo, et quamvis Deum timet et verbum observat, tamen, quia habet Satanam hostem ubique insidiantem, et natura per se infirma est, potest labi, et fallere alicubi spem tuam.

Hoc cum animo ita praevisum est, facilior eris ad ignoscendum, et minus dolebis, si quid contra, quam speraras, acciderit. Constabit igitur amor, nec turbabitur concordia. Nam nihil accidit inopinatum, et caritas ad ignoscendum paratissima est. Rarum sane donum, sed tu, quia Christianus es, memineris, hoc tibi praestandum.

Quid mundus soleat, notum est. Fratrum quoque gratia rara est, inquit poëta (Ovid. Met. 1, 145.): et videmus, de levissimis rebus, et, ut Germanice dicimus, de stercore columbino moveri inter vicinos turbas. Hic igitur suspiciones et odia regnant. Sed Christianus, etsi nulli homini fidit, tamen nullum hominem odit, et quanquam statuit, neminem hic firmum esse, quin possit everti vel a cupiditatibus suis,

vel Satana, tamen optime sperat de omnibus, etiam de malis. Ita servat amorem castum, purum et firmum, etiam erga amicos. Fiduciam autem omnem habet positam in solius Dei bonitate.

Haec non discimus ex philosophia gentili, quae probat odium contra inimicos, et semel malum semper praesumit malum, ideo fugit et odit, ac arctissima amicitiae vincula solvit. Sed sacrae literae diversum docent. Fiduciam tollunt, amorem autem mandant. Sic Abraham metuit periculum ab Aegyptiis, sed non ideo eos odit. Bene sperat, et cogitat, quod velit eorum bonis frui, quibus potest. Si quid tamen accidat adversi, hoc neque inopinatum accidit, nec concitat ad odium. Hoc modo sacrae literae docent ethicam, seu officiorum rationem longe melius, quam ulli Cicerones vel Aristoteles.

Factum itaque est, cum venisset Abram in Aegyptum, ut viderent Aegyptii mulierem. Nam erat valde pulchra. Viderunt quoque eam principes Pharaonis, et laudaverunt eam apud Pharaonem, et transtulerunt mulierem in domum Pharaonis.

Haec est admodum mirabilis historia, si eam consideramus propius. Nam Sara tantum decennio minor est Abraha: fuit autem Abraham septuaginta quinque annorum, cum egrederetur ex Haran in terram Canaan, ac usque ad hanc peregrinationem in Aegyptum fortasse anni decem intercesserunt. Itaque Sara annos habuit plures, quam septuaginta, et jam anus fuit. Mirum igitur videtur, quod non solum praedicatur ejus forma, sed etiam rex eam amare incipit, et transfert in suam domum.

Iudaei suo more fingunt aniles fabulas de Sara conclusa in arcam, et a telonariis inventa ac adducta ad regem. Sed inerudita haec, et Iudaeis auctoribus digna relinquamus. Neque hoc satis est, quod, cum Aegyptii fusci sint, candidiora orientalium fuisse corpora, atque ideo Saram Aegyptiis placuisse. Nam aetatis major, quam formae commendatio est, et probatur aetas, etiamsi forma minus probata sit.

Itaque, tam praestans forma in vetula Sara, vel est miraculum, quo Deus regem Aegypti voluit conciliare Abrahae, ut hac occasione innotesceret etiam inter gentes promissio de futuro semine (nam Abraham nusquam non docuit: sicut Esaias de eo dicit, quod, quocunque pedem tulerit, justitiam praedicaverit); vel, quod magis credo, adeo degeneravit nostra aetas; ut tum sexagenaria femina et forma et vigore aequaret eam, quae hodie est triginta annorum.

Fuit enim natura tum vivacior et robustior, quam nunc in isto quasi senio mundi est. Sicut enim paulatim accrevit malitia, ita decreverunt dona ista, quibus ornat Deus pios. Adjuta autem Sara quoque est a natura, ut formae decor maneret integer; sterilis enim fuit; necdum doloribus, tum laboribus partus, qui formam et vigorem corporum admodum debilitant, exhausta fuit.

Ostendunt autem aliae istius aetatis historiae, his annis amplius ter mille perdidisse naturam, ut minimum, triginta annos. Nam quinquagenariam apud nos parere, paene miraculum est. Et Moses in oratione sua (Ps. 90, 10.) dicit: „Anni nostri septuaginta sunt; quodsi quis robore excellit, octuaginta, quod postea accedit, est labor et dolor“. Sed si respicimus nostrum seculum, profecto, quadraginta an-

nis impletis, paulatim vigor animi et vires corporis deficiunt. Adeo propter peccatum degeneravit natura. Deprehenderunt autem prudentes viri, etiam alias creaturas paulatim corrumpi, sicut Virgilius erudite disputat de seminibus.

Sed de Abrahamo quid hic dicemus, qui novo et acerbissimo incommodo feritur, quod videt, uxorem suam, castam et sanctam matremfamilias, gubernatricem totius domus, abripi in aulam regiam? Sine ingenti dolore haec non vidit, et tamen fide se erexit, Deum non abjecturum curam sui, et etiam inter infideles servaturum uxorem, ne quid turpe patiatur. In hac fide acquiescit, hac spe mitigat curas et lacrymas, et precatur ardentibus votis, ne spes haec eum fallat.

Sicut igitur superiora pericula tam variae et longae peregrinationis fidem exercuerunt, ita hic quoque exercetur fides ejus, ut merito, tanquam fortis miles, qui non in una pugna, sed in multis et variis periculis strenue se gessit, proponatur ecclesiae tanquam perfectum fidei exemplum.

Iudaei scribunt, quod regio more non statim ad regem admissa Sara, sed aliquandiu adservata sit, sicut de Persarum rege, Assuero (Esth. 2, 2.) legimus, puellas, quas rex vellet, non statim ad regem admissas, sed totis mensibus sex unctas oleo myrrhino, deinde aliis sex mensibus aliis aromatis, et tum demum deductas ad lectum regis. Quodsi eo more etiam Aegypti reges sunt usi, magna istarum gentium moderatio fuit, nec, sicut apud nos, furiosa libidine praecipites acti sunt.

Ut autem credam, etiam cum Sara haec ita gesta esse, non solum exemplo regum Persarum indu-

cor, sed etiam auctoritate ipsius Mosi. Quia enim plaga certa secuta est (v. 17.), necesse est, aliquantulum temporis intercessisse: et tamen interim Sara non petita ad concubitum regis.

Graecorum et Romanorum principes in libidines admodum fuerunt praecipites. Itaque apud Aegyptios sanctior disciplina et honestas major fuit, quam apud alias gentes: quanquam enim polygamiae licentiam usurparent; tamen castius vixisse apparet, quam qui monogamiam retinuerunt. Sicut etiam infra capitalis poena a Palaestinorum rege Abimelech statuitur, ne quis Rebeccam violet. Haec arguunt, etiam stante polygamia, singularem istarum gentium fuisse honestatem.

Iudaei fabulantur, interim, dum Sara in aula versaretur, Abrahamum docuisse Aegyptios astronomiam. Ac Iosephus valde in eo multus est, ut ostendat, Iudaeos omnibus gentibus antecelluisse cognitione mathematicarum artium et politicarum rerum. Sed rectius faceret, si hos populi sui majores commendaret, non ab istis donis, quae naturae sunt, sed ab aliis majoribus, quae sunt Spiritus sancti, quod Abraham docuit Aegyptios de voluntate Dei, de vero cultu Dei, de invocatione vera. Haec excellentiora dona sunt, quam scire motus siderum, significationes astrorum et similia. Quanquam haec quoque judico divinitus ostensa Patribus. Et celebrant gentium literae tum Chaldaeos, tum Aegyptios, quod harum artium studia diligenter excoluerint. Sive igitur Abraham Aegyptios docuit de his artibus, seu ipse, sicut Moses, de quo Stephanus (Act. 7, 22.) testatur, eruditum eum fuisse in omni sapientia Aegyptiaca, ab Aegyptiacis haec didicerit, nihil refert.

Hoc autem certum est, summum hunc virum, etsi naturae studium, in quo Dei praeclara opera utiliter considerantur, non neglexit, tamen potius habuisse studium propagandae notitiae Dei et veros cultus, timorem ac fiduciam plantandi inter gentes. Hoc enim summum caritatis opus est, et invitantur ad id omnes sancti, etiam ratione confessionis.

Et ais quidem benefecit Abrae propter illam. Fuerunt enim ei oves et boves et asini et servi et ancillae et asinae et cameli.

Haec particula admodum necessaria est. Pertinet enim non tantum ad laudem et gloriam Dei, non deserentis suos: sed etiam ad commendationem fidei Abrahae. Hic enim vides, credentes Deo esse curae, ac servari in praesentissimis periculis. Non solum enim Abraham in gratia est apud regem propter sororem Saram (nam sororem rex esse credebat); sed Aegyptii quoque reverentur eum, qui tamen, ut infra scribitur, a pastoribus ovium abhorrebant.

Ostenditur autem hic quoque gentis Aegyptiorum singularis humanitas, quae in peregrinum hunc tam est officiosa et benefica. Quanquam enim rex propter Saram erga Abrahamum tam est beneficus, tamen apparet, ipsum affinitatis vinculum, quod credebatur intercessurum, a rege magni aestimatum. Quia autem nullum regnum tam est constitutum bene, quin habeat aliquid tyrannicum, ideo timuit Abraham sibi.

Praecipuus igitur hic locus est, ut discas, Deum esse protectorem sperantium in se, nec deserere suos, *etsi tentari sinit.* Sicut hanc ipsam historiam egre-

gie tractat, et pro dignitate amplificat David, Psalm. 105. (v. 12—15.): „Cum essent numero pauci, et prope contemti, et in ea terra peregrini, et migrarent de populo ad populum, ex uno regno ad alium populum: non tamen permisit, aliquem nocere eis, sed corripuit propter eos reges. Nolite tangere christos meos, et in Prophetas meos ne sitis injurii" etc. Vide, quomodo singulas circumstantias Propheta exaggeret, ut nobis ostendat, Deum certo misertum eorum, et eis benefacturum, qui sperant in ipsum.

Est igitur hic locus veluti fons, ex quo praeclarae illae Prophetarum conciones manarunt, quibus invitant ad retinendam spem et fiduciam misericordiae Dei; ac consolantur, futurum, ut Deus tandem liberet ac benedicat. „Beati omnes, qui confidunt in eo" (Ps. 2, 12.). „Cum quaererem Dominum, respondit mihi, et eripuit me ex omnibus pavoribus meis" (Ps. 34, 5.). „Cum hic pauper clamaret, audivit eum Dominus, et ex omnibus afflictionibus liberavit eum" (ibid. v. 7.). „Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me" (Ps. 50, 15.). „Multae afflictiones justi, sed ex omnibus his liberat eum Dominus" (Ps. 34, 20.). Sed quis vel ex uno Psalmorum libro similes sententias omnes meminisse potest? Taceo de reliquis Prophetis.

Apparet igitur, intellexisse eos, quod haec a Spiritu sancto non propter Abrahamum literis mandata sunt, sed ut nos quoque erudiremur in fide talibus exemplis, et in periculis non desperaremus, si quidem Deus hoc in loco ostendit, se fore fidelem protectorem omnium, qui credunt in ipsum, et qui sperant in misericordiam ejus.

Tentari *quidem* sinit suos, sicut haec profecto

ingens tentatio, et paene non ferenda fuit: sed in tentatione non deserit. Differt auxilium, sed non ideo aufert; sed suo tempore adest, et liberat, ne quidem magnis regibus, potentia et opibus suffultis, parcens.

Videmus, summos doctrina viros, cum et bonorum pericula, et malorum successus viderent, ista quasi iniquitate sic offensos, ut negarent, providentiam aliquam Dei esse aut curam de hominibus, et statuerent, omnia temere ferri.

Ac sane rationi hoc insuperabile scandalum est, quo etiam pios videmus non nunquam moveri, sicut in Psalm. 73. (v. 2. 3.) est: „Pedes mei labi coeperant, ac velut in lubrico paene concidissem: quia excandescere coepi adversus securos, quando impios videbam fortunatos esse". Nam ratio categoricam tantum videt, quod bonis male est, et malis bene; hypotheticam non videt, quod Deus ex malo liberat justos, et malos percutit indignatio.

Spiritus sanctus autem hypotheticam (sicut in scholis vocant) ostendit, cum dicit Psalmus 34. (v. 20.): „Multae afflictiones justi, sed ex his omnibus eum liberat Dominus". Itaque sancti cum vident se afflictos, tamen non ideo discedunt a mandatis Dei: sed huic minori subjiciunt conclusionem fidei, ac statuunt, se quoque liberandos ab istis incommodis et periculis.

Hae sunt revelationes Spiritus sancti, quas philosophia non videt; ideo offensa negat providentiam, judicat, Deum humana non curare, sed omnia casu et temere ferri. Cicero cum de finibus, item de Deorum natura disputat, in hunc ipsum scopulum impingit. Non audet dicere, quod Deus aut injustus

sit,

sit, aut hominum non curet, et tamen non videt causam, cur tam iniqua hujus vitae conditio sit, ut mali floreant, boni autem etiam in honestissimis conatibus et consiliis concidant.

Hujus caecitatis quae causa est? Haec nimirum, quod ratio tantum intuetur in praesentia incommoda; his vincitur et obruitur; promissionem autem de futuro prorsus nescit. Spiritus sanctus autem jubet, praesentia negligi, et intueri in futura. „Exspecta, inquit, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum" (Ps. 27, 14.). Pertinent igitur hi loci ad fidem et spem docendam ac confirmandam, et saepe in hac Abrahae historia principalis hic locus repetetur.

Et percussit Dominus Pharaonem plagis magnis propter Sarai, uxorem Abrahae.

Hic demum est laetus eventus tentationum: non solum liberantur pii conjuges periculo et metu, sed etiam rex cum sua domo involvitur malis, et percutitur. Haec consolatio per totam scripturam a Spiritu sancto inculcatur, et comprobat eam eventus; et tamen quasi caeci et surdi, cum in tentatione sumus, eam non admittimus, non credimus, eam veram esse.

Considera enim, quid soleat fieri. Nonne constituti in periculis judicamus, nullum finem malorum fore, et nobis succumbendum esse? Ad eum modum, cum videmus, impios florere, statuimus, eorum fortunam perpetuam fore, ac si non esset Deus, qui vel laborantes respiceret, vel abutentes successu puniret. Sic utrunque vincitur scandalo *). Accidit au-

*) Fort. utrinque vincimur.

tem hoc propter peccatum orginale, quod nos ad desperationem pronos, contra ad fidem et spem tardos facit.

Abrahae igitur exemplum diligenter erat considerandum, et imitandum quoque, qui, cum in praesentissimo periculo esset, tamen statuebat, impossibile esse, ut Deus deserat credentes in se. Non igitur abjiciebat spem: sed quanto periculum erat gravius, tanto credebat Deum citius liberaturum se et Saram, ac respondit tandem eventus.

Idem nobis quoque eveniet, si modo non patiemur, nobis excuti fidem. Ego sane propria experientia in multis gravissimis periculis idem expertus sum.

Sed caro plerunque nos captivat, sicut Paulus quoque de se queritur: „Video aliam legem in membris meis" (Rom. 7, 23.). Spiritus quidem promtus est, admittit verbum Dei, erigit se in periculis, et cupit etiam in cruce gaudere et exsultare: sed vincitur a carne, quae pro suo more tantum in praesentia intuetur, tantum praesentibus afficitur et movetur: absentia autem, de quibus verbum docet, quia non videt, putat nihil esse. Utrinque igitur impingit, et cum laetae, et cum adversae res sunt. In laetis nullum servat modum, quia non videt mala impendentia: in adversis quoque non potest erigi, quia liberationem, quam verbum promittit, nusquam videt.

Et tamen in piis relinquitur gemitus, qui quasi in imo pectoris residet; is aliquo modo, quamvis admodum debiliter, repugnat diffidentiae et desperationi et impatientiae, quae in carne est, ne fiamus blasphemi. Hunc respicit Dominus, et reliqua ignoscit.

Abrahamum quoque movit tantum periculum in cara conjuge, et sine dubio sensit quoque carnis *motus*, inclinantes ad desperationem, ut cogitaret:

Quid si nunc ademta uxor ad te nunquam redeat? Quid si perpetuo ea carendum sit? Has cogitationes autem secutae sunt lacrymae et alia suspiria, ut non dubitem, totas noctes egisse insomnes. Et tamen, dum his carnis cogitationibus exercetur (est enim homo), spiritus eum reducit ad verbum, ut cogitet de promissione facta. Hac in his curis et lacrymis se erigit, et sperat, Deum suo tempore redditurum uxorem, et curaturum, ne quid indigni patiatur. Sicut autem sperat, ita evenit. Verum enim est, quod spes, quae Deo et verbo ejus nititur, non confundit.

Igitur proponamus nobis hanc historiam, et adsuefaciamus nos quoque ad alendam spem, et erigendos animos in tentatione. „Vae illis, inquit Sirach (2, 15.), qui amiserunt sustinentiam". Quid enim reliquum est amisso verbo, quam desperatio? Igitur scriptura passim hortatur, ut exspectemus Dominum, hoc est, ne frangamur animis, aut abjiciamus spem, sed erigamus nos spe futurae liberationis: ne nobis accidat, quod incredulis Israelitis in deserto, de quibus dicit Psalmus 78. (v. 33.): „Defecerunt in vanitate dies ejus", hoc est, moriebantur, „non adsecuti propter infidelitatem promissiones, et varie affligebantur per omnem vitam". Et Psalm. 107. (v. 11.) scribitur: „Non sustinuerunt consilium ejus", hoc est, noluerunt credere, noluerunt sperare: ideo paulatim absumti sunt.

Inculcemus igitur haec nobis. Si enim sumus Christiani, multa cogemur ferre adversa. Hodie videmus, quanta Episcoporum et quorundam principum tyrannis sit. Angimur itaque animo, et optamus, maturari poenas impiorum, ac liberationem ecclesiae. Multi impatientia franguntur, et tantum non deficiunt.

Sed exemplo Abrahae exspectemus et sustineamus Dominum. Certo enim veniet, et nisi amiserimus sustinentiam, tyrannos aget praecipites, ecclesiam autem suam servabit. Haec enim ejus natura est, ut, sicut in Esaia (54, 7. 8.) est, tentet suos, et ad modicum deserat, sed postea in magna misericordia suscipiat.

Sicut autem ecclesia et pii spe debent se erigere: ita, qui florent, et ecclesiam vexant, debent timere poenas; etsi enim eam *) differt Dominus, tamen non differet perpetuo. Neque tanta ullius regis aut monarchae potentia unquam fuit, qui non tandem dederit impietatis poenas, et corruerit. Quo autem tempore, quo modo, quo loco id futurum sit, hoc pii exemplo Abrahae Deo permittant.

Caeterum hic quaeritur, qualis plaga fuerit, qua Dominus Pharaonem et domum ejus afflixit. Nam id textus non ostendit, sicut etiam, quomodo hujus plagae causa Pharaoni revelata sit, non commemorat. Nam de Abraha certum est, quod non ostenderit, si quidem fefellit in eo regem, quod diceret, Saram sororem, non uxorem esse. Ac rex eam ob causam videtur esse innocens: non enim rapuit ut uxorem alterius, sed ut liberam, nec voluit ea ut scorto abuti, sed pro conjuge retinere.

Iudaeos autem odi, qui, cum de hisce dubiis rebus disputant, insulsissimas et ineptissimas rationes fingunt. Hoc in loco dicunt, poenam fuisse morbum, quem medici γονόῤῥοιαν appellant, cum genitale semen ultro fluit.

Infra (1. Mos. 20, 18.) cum Rebecca a Philisti-

*) Fort. eas.

norum rege Isaaco erepta esset, scriptura dicit, consecutam talem poenam, ut omnium mulierum vulvae clauderentur, ne vel concipere, vel parere possent. Tale aliquid hic quoque accidisse puto. Quia enim alienam mulierem rapit rex, muliebri poena punitur, ut mulier non possit esse mulier, hoc est, ut parere non possit, sed abortiat, et alia partus pericula sustineat. Usitatum enim est, ut, per quae quis peccat, per eadem etiam puniatur, sicut in Sapientiae libro scribitur (11, 17).

Porro hic iterum commendantur Aegyptii, quod habuerunt aliquam cognitionem Dei, et illam calamitatem agnoverunt non temerarium casum, aut usitatum aliquod malum esse, sed poenam a Deo propter certum peccatum inflictam. Non enim levis haec calamitas est, quia inter omnia mortis genera tristissimum spectaculum judico, cum extinguitur mater cum foetu.

Haec igitur cum acciderent post raptam Saram frequentius, cogitavit rex, Spiritu sancto ita movente cor, de causa mali, et, quia una cum Sara plaga haec immigravit in aulam, ut aut laborarent, aut morerentur in partu aulicae et regiae mulieres, compellavit Saram, quae esset: ibi intellexit, non sororem, sed uxorem Abrahae, et maritatam esse, atque ita eam dimisit. Haec de poena ego conjicio, quia dicit textus: magnis plagis percussum Pharaonem et domum ejus. Ita enim convenit poena cum peccato.

Quod vertimus „propter Saram" in Hebraeo est עַל־דְּבַר, propter verbum Sarai. Usitatum autem est in Hebraeo, ut nomine דָּבָר latissime utantur, sicut in vocabulo rei. Non enim verbum tantum significat, sed etiam causam, negotium, factum, rem. Itaque etiam in historia evangelii Hebraismo hoc

saepe utuntur Evangelistae: ut, cum dicunt de Maria: „Servavit verba haec in corde suo“ (Luc. 2, 19.), non solum de sermonibus, sed de tota re gesta loquuntur.

Exponunt autem Iudaei verbum hoc loco active pro Angelo, qui custodierit corpus Sarae, et ad Sarae jussum, quoties ipsa ita imperaret, percusserit Aegyptios. Sed commentum Iudaicum hic esse, quis non videt? Capiunt enim omnes occasiones, ut majores suos gloriosos, et coram mundo magnos faciant.

Fuit autem Sara melior femina, quam ut cuperet hominibus nocere. Et existimo, hanc plagam Sara et Abraha ignorantibus ingruisse. Hoc certum est, quod non posuerint spem in eo, si affligerentur Aegyptii: sed omnis spes eis fuit posita in promissione divina, quod crediderunt, Deum servaturum ipsos, et gubernaturum sic omnia, ut appareat, eum secundum promissionem esse benedicentem Deum. Abjiciamus igitur Iudaicum commentum, qui omnia inflectunt ad gloriam operum et gentis suae, cum potius Dei potentia et misericordia nobis hic praedicanda, et fides sanctorum hominum in promissionem consideranda sit.

Hic autem considerandum est evidens argumentum, quod et honestissime*) constituta apud Aegyptios politia, et severa in adulteros judicia fuerint: si quidem ipse rex statim, cum audit, Saram uxorem Abrahae esse, eam marito reddit.

Oritur autem hic gravis quaestio, cum certum sit, Pharaonem peccasse ignoranter, cur tamen punitus sit, et quidem tam gravi poena, ac priusquam aliquid conaretur cum Sara?

---

*) *Edit. princ.* honestissima.

Respondent autem tum theologi, tum jureconsulti per distinctionem, esse ignorantiam duplicem: aliam juris, quae neminem excusat, aliam autem facti, quae excusat. Ius autem hic definiendum est dialectice, non de omnibus opinionibus doctorum (hae enim et infinitae sunt, et plerunque inter se pugnantes, si quidem de apicibus juris jureconsulti disputant, ac raro conveniunt) sed de lege promulgata inter cives, aut usu et consuetudine recepta. Qui igitur ignorat, quae publice promulgata, aut usu recepta sunt, non excusatur. Discere enim id licebat ex vicino. Et ideo promulgantur leges, ut ceu lux praelucеant in genere omnibus, et qui contra faciunt, se deliquisse sciant, et exspectent poenam.

Sed nescire, quid in quolibet casu Bartholus, quid Baldus judicet seu concludat, haec non est juris ignorantia vocanda. Ius enim est, non opiniones doctorum et quaestiones, sed scientia publice proposita.

Ignorantia autem facti est, cum jus scio, et factum nescio, ut cum paterfamilias domi furem alit, quem tamen nescit furem esse. Hic jus scit, quod furare lege prohibitum sit, factum autem nescit: ideo sine periculo suo alit furem, quem nescit esse furem, et nec consilio, nec auxilio adjuvat. Haec distinctio utilis est, et ideo eam recito, ne quorundam intempestiva sapientia decipiamini, qui sobrie et utiliter dicta, ac docendi causa inventa, nimio rixandi studio suggillant.

Theologi in scholis alias ignorantiae species numerant. Prima est, quam vocarunt invincibilem, confictam ad excusanda peccata, quod nulla industria vel diligentia vinci aut emendari possit. Sic Cicero est invincibiliter ignorans Dei. Nam cum ejus disputa-

tiones de natura deorum, de finibus bonorum et malorum legis, videş; nihil ab eo omissum, quod humana ratione et totis viribus ab homine potest effici, et tamen, quid Deus velit, quae ejus de nobis sit sententia, ignorat. Ratio hujus ignorantiae est, quia non est rationis natae videre Deum, sed Spiritus Dei, illustrantis mentes nostras per verbum. Hoc cum destitueretur Cicero, invincibili ignorantia laborare eum necesse fuit.

Sed hoc ipsum exemplum evertit celebre illud Scholasticorum dictum: Homo cum facit, quod est in se, Deus infallibiliter dat gratiam. Fecit enim Cicero, quod in se fuit, et tamen non consecutus est gratiam. Imo hoc suo studio in altiores tenebras incidit, ut prorsus de Deo dubitaret. Ita enim necessario accidit, qui sine verbo de tantis rebus cogitat, tantum fretus rationis lumine, eum errare magis ac magis necesse est.

Hujus igitur ignorantiae excogitandae causam theologi nullam habuerunt; non enim patrocinia peccatorum quaerenda sunt, sicut in Summa Angelica, ubi de docendis conscientiis agitur, saepe fit. Is enim auctor hujusmodi politica et oeconomica dicta cum magno scandalo in theologicas disputationes invexit.

Itaque cum ego recens theologus eam ob causam eum librum legerem, conscientiis consulere in confessione ut possem, saepissime graviter offensus sum, quod, quae ad Dei judicium et ecclesiam pertinebant, forensi et judiciali modo tractabat.

In politicis negotiis potest esse locus invincibili ignorantiae, ut cum quis impeditus morbo, aut mente captus aliquid peccat. Sed haec ad res sacras et

conscientiae negotia transferenda non sunt. Sumus enim nati in caecitate peccati originalis; id malum invincibile est, adeo, ut etiam renatos captivet; sed non ideo excusabile est, sicut Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quae simpliciter a toto excuset (sic enim loquuntur), id est, peccatum prorsus tollat. Hoc si statuamus verum esse, sequetur, etiam sine Christo homines salvari, si faciant, quod in se est. Tanta caecitas est in Papae scholis et ecclesiis.

Sed intuere in Pharaonem; is moraliter est in ignorantia invincibili: nescit, Saram esse uxorem Abrahae, et audit ex ipso Abraha, quod soror tantum sit, et tamen Deus immittit ei gravissimas poenas. An non vides hic, falsam esse istam celebrem Scholasticorum sententiam de ignorantia invincibili, excusante a toto?

Sic Christus cum inquit (Matth. 11, 23. 24.): „Si in Sodomis factae essent virtutes, quae in te sunt factae, mansissent usque in hodiernum diem; sed dico vobis, quod tolerabilius erit Sodomis in die judicii, quam tibi". Hic statuit ignorantiam in Sodomis, si conferas ad Capernaitas; sed tamen dicit, non excusari ideo Sodoma a toto. A tanto (ut loquuntur in scholis) excusari dicit, quod propter istam ignorantiam mitius punientur.

Sed quid multa? Quisquis invincibilem hanc ignorantiam excusationem mereri statuit, evertit scripturam sanctam, et tollit e mundo Christum, „justitiae solem" (Mal. 4, 2.), revelatum ideo, ut hanc ignorantiam tolleret. Vere enim aliud nihil est, quam peccatum originale, quod qui excusatione dignum statuit, nihil sacrarum rerum tenet.

Secundam ignorantiae speciem vocarunt supinam seu crassam ignorantiam, qualis est, cum tepide et frigide verbum audis, quod posses discere, si velles. Hanc recte statuunt inexcusabilem.

Tertia est ignorantia adfectata, quando studiose cavemus, ne quid cognoscamus aut discamus. Hanc recte duplicem poenam mereri docent, ut cum hodie, qui in aulis Episcoporum et impiorum principum vivunt, studio abstinent a libris nostris, et eos legere nolunt, ut compellati a suis principibus liquido jurare possint, se ignorare doctrinam nostram.

Sic apud Hioben dicunt Cap. 21. (v. 14.): „Scientiam viarum tuarum nolumus.“; et in evangelio: „Nolumus, hunc regnare super nos“ (Luc. 19, 14.). Hanc vocant affectatam ignorantiam.

Si quaeras, quo in loco Papa cum pontificiis sit, aut dicemus, eos in hoc postremo ordine esse: multa enim impugnant et damnant, quae sciunt bona, et verbo consentientia esse: aut ponemus eos simpliciter inter persecutores et adversarios sanae doctrinae, sicut ideo Pontifex Antichristus dicitur.

Quid igitur respondebimus ad propositam quaestionem de Pharaone? Aliud nihil, quam quod ipsa historia secum adfert. Ignorantia nota est: et tamen, quia Deus infligit poenam, sequitur ex ipso facto, ignorantiam non excusare. Utrunque igitur statuamus, et errorem esse factum Pharaonis, et malum errorem: alioqui nulla sequeretur poena.

Quodsi quis existimabit, poenam hanc immissam, non quod mali aliquid designarit Pharao, sed ut a malo, quod secuturum erat, nisi poena intercidisset, prohiberetur, is videat, ne, dum excusat errorem, *patrocinetur* peccato. Nam etiam ignorans Pharao

factus esset adulter; adulterium autem semper peccatum est, neque valet hoc in loco illa juris et facti ignorantia, quae in foro valet.

Vocavit igitur Pharao Abram, et dixit: Cur id fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quod uxor tua est? Quare dixisti: Soror mea est, et accepi eam mihi in uxorem? Nunc igitur, ecce uxor tua, tolle eam, et vade.

Primum, ut supra quoque admonui, observemus hic insignem consolationem, quod Deus agit suorum curam, et constitutos in periculis non derelinquit, modo non deficiant in fide; sicut Petrus quoque consolatur 1. Pet. 5. (v. 6. 7.): „Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore opportuno: omnem curam vestram projicientes super eum, quoniam ei curae estis“.

Deinde etiam occasio, quam hic mirabiliter Deus quaerit, observanda est. Sicut enim supra (v. 2. 3.) promisit: „Magnificabo nomen tuum, benedictus eris, et benedictio“ etc.: ita hic re comprobatur promissio. Innotescit Abraham apud regem; rex discit, eum Deo esse curae, et sine dubio per Abrahamum ipse quoque benedicitur, hoc est, venit ad cognitionem Dei. Nam hoc in loco tantum initia colloquii a Spiritu sancto ostensa sunt, quae sane duriuscula fuerunt. Apparet enim, regem valde commotum, quod videt, se a peregrino ita deceptum. Sed Abraham cum ostendit causas sui consilii, sine dubio de Deo, de promissione sibi facta, de futuro semine concionatus est, et placavit regis animum.

Videntur autem haec quasi praeludia esse futurorum casuum. Sicut enim Pharao hic timens Dei dimittit Abrahamum, ne plus accipiat plagarum: ita postea in Aegyptò totus populus ab impio Pharaone, non timente Deum, dimissus est, non benigniter, sed metu graviorum periculorum.

Non igitur mitia haec verba sunt: „Quare fecisti mihi hoc"? Urget enim circumstantias, ostendit, se regem esse, Abrahamum autem hospitem. Quod igitur rex ab hospite decipitur, et in tantas calamitates conjicitur cum suis, id sine dubio aegerrime tulit, ac nisi divina clementia intercessisset, capitale hoc Abrahae fuisset. Reges enim impatientes sunt contemtus. Facile autem fuit, hanc fraudem contemptum interpretari. Sed mitigatur ira regis oratione Abrahae, ostendentis causas consilii sui, ut agnosceret rex, se huic mendacio sua tyrannide praebuisse occasionem; si enim tutum fuisset dicere, quod res erat, profecto Abraham non esset mentitus. Nunc autem, cum officioso mendacio saluti suae consulit, ostendit, certum in eo fuisse periculum, si veritatem diceret.

Nam hoc commune regum peccatum est, quod, dum auctoritatem suam stabilire conantur, plerunque in tyrannidem incidunt, et nimium sunt asperi. Multum autem inde nascitur malorum in imperiis.

Narrat Augustinus, quendam Antiochiae praefectum magis in terrorem reliquorum civium, quam quod res ita postularet, civem quendam conjecisse in vincula, ac statuisse magnam pecuniae vim liberationi. Dum igitur uxor ejus anxia circumcurrit, et de argento conficiendo sollicita est, incidit in praedivitem quendam civem. Is sic promittit pecuniae

summam, si cui corporis potestatem ei faciat; erat enim mulier egregie formosa. Circumventa igitur necessitate, capto marito sese omnino exponit, atque ejus consilio et hortatu (cupiebat enim liberari ex vinculis) conditionem accipit. Dives cum explevisset libidinem suam, dimittit mulierculam, dans ei in manus saccum, non auro, sed arena plenum. Mulier cum se deceptam videt, praefecto rem omnem exponit. Ibi tum praefectus, indignitate facti permotus, agnoscit; sua temeritate, dum jure suo nimis acerbe utitur, huic peccato datam occasionem: Hoc, inquit, meum peccatum est. Igitur et captum maritum gratis statim dimittit, et ei istius divitis, qui miserae mulierculae ita illuserat, omnes fortunas donat.

Sic solent reges et principes. Ex consuetudine tyrannidis saepe peccant. Haec peccata occulta sunt, nata ex consuetudine tyrannidis, nec ea vident aut animadvertunt magistratus, sed putant, ista potentiae quasi praemia esse; sed Deus tandem, sicut hic in Pharaone videmus, ea revelat, et severe punit.

Pertinet igitur hic locus eo, ut statuamus, omnes nos, praecipue autem reges, principes et alios magistratus inferiores plenos esse peccatis. Nam aut connivere solent ad peccata subditorum, et negligere officium suum, aut abutuntur sua potentia, et nimium sunt asperi, ut auctoritatem suam et dignitatem tueantur. Haec publica peccata esti Deus aliquandiu dissimulet, tamen, sicut dixi, punire tandem et revelare solet.

Pharao, quod ad Abrahamum pertinet, plane fuit innocens; nam etiam hoc, quod peccavit, peccavit inductus ab Abraha. Sed non fuit innocens coram Deo; igitur Deus punit eum, et docet, imo co-

git eum hoc modo, ut timeat Deum, nec porro incedat in suis affectibus, sed ut faciat officium. Officium autem est, ut malis terrori, bonis autem praesidio sit.

Nunc autem diversum accidit; sic enim imperat, ut bonus Abraham cogatur extremum periculum metuere, nec tutum se credit, si veritatem dicat.

Talia fere magistratuum peccata sunt, quae Deus varie punire solet. Ideo orandum sollicite pro eis est, ne sinat Deus, eos errare, sed ut gubernet eos, ut faciant officium suum. Nam si id negligunt, poena non cessabit, qua Deus cogitur uti, ne peccata abeant in consuetudinem, et homines pravi ex vitio virtutem faciant. Nam, sicut etiam Seneca dicit, (Ep. 39.) ubi vitia in mores abeunt, ibi remedii non est locus. Talis et tum Roma fuit, quod adhuc hodie est, si quidem praeter furtum et mendicitatem nihil judicatur ibi turpe.

In oeconomia quoque saepe peccatur a patribusfamilias, quanquam neque mali sint, nec animadvertant peccata. Itaque variae calamitates excipiunt conjuges, quarum causam non vident. Nulla enim gubernatio est sine peccato: tanta animorum humanorum est infirmitas. Si enim David, si alii pii reges et principes non semel in administrandis publicis negotiis peccaverunt, quid mirum est, si illi impingant, qui a Spiritu sancto non reguntur, et indulgent cupiditatibus suis?

Non nunquam subditorum tanta est pravitas, ut severa disciplina et gravibus poenis opus habeant. Hoc vidit Matthias, Ungariae rex: sed, dum aspero imperio suos regit, saepe in tyrannicam crudelitatem prolapsus est, cum tamen et eruditus, et non inhumanus, nec malus princeps esset.

Docent autem exempla talia, res humanas ejusmodi esse, ut, nisi singulari Dei benignitate Deus gubernet magistratus, sine grandibus peccatis imperia retinere non possint. Itaque poenae quoque variae et graves imperia et respublicas exercent.

Sed Patres etiam alias causas calamitatum colligunt. Aliquando enim immittit Deus poenas, non quod inveniat peccatum tali poena dignum in homine, sed quod velit probare fidem et patientiam. Nam Hiob sua vita poenas tales non erat commeritus: erat enim timens, simplex et rectus; et tamen acerbissime flagellatur a Satana, sic permittente Domino, ut probaret fidem et constantiam ejus. Sic enim dicit Dominus ad Satanam: „Tu me commovisti adversus eum, ut eum percuterem frustra" (Hiob 2, 3.).

Pertinet enim ad erudiendos et consolandos nos, ut discamus, Deum saepe etiam innocentes gravissimis calamitatibus et poenis subjicere, tantum ut probet eos. Infirmi animi cum sentiunt poenas, statim cogitationem de peccato addunt, et peccatorum has poenas esse judicant. Sed statuendum est, pios multa sustinere mala, tantum ut probentur.

Sic Dominus de suo populo dicit, Hierem. 49. (v. 12.): „Ecce, quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris"? Nam Daniel et ejus socii, etsi ferrent captivitatem inter gentes, tamen suis peccatis captivitatem non, ut alii promeruerant. Sic in seditione rustica multi optimi viri perierunt, non quia in eadem culpa essent cum seditiosis, sed quia inter seditiosos erant. Nam publicae calamitates nunquam abeunt, quin etiam pii involvantur; hi probantur, alii autem judicantur.

Saepe quoque pii affliguntur, non quod aut sic mereantur peccata ipsorum, aut probentur, sed ut retineantur in humilitate, et non extollantur donis suis. Sic Paulus de se dicit, datum carni suae stimulum, ne efferatur ob excellentes revelationes. „Satanae Angelus, inquit, colaphos mihi impingit, ne extollar" 2. Corinthiorum 12. (v. 7.). Quasi dicat: Superbirem donis excellentibus super omnes Apostolos, et fortasse alios contemnerem. Huic malo medetur Deus isto Satanae stimulo, ut videam, me nihil esse, et humiliem me.

Atque haec causa est, quod ecclesia, quam Deus summis donis, remissione peccatorum, Spiritu sancto et aeterna vita donavit, tam variis periculis et calamitatibus subjecta est. Si enim haec dona sine afflictione sentiret, insolesceret et efferretur. Sic videas, saepe bonum et pium hominem exerceri subinde aliis atque aliis periculis et casibus, cum e contra sceleratis et impiis omnia cedant ex animi sententia. Haec iniqua conditio stomachum saepe movet sanctis. Sed si rem recte aestimes, cum magno tuo commodo ista pateris; si enim sine tentatione esses, superbires et damnareris. Nunc cum Deus inopiam, contemtum, morbos, molestam uxorem, immorigeros liberos, tanquam magni ponderis lapidem alligat cervici tuae, non es, quod Graeci dicunt, ὑπερήφανος aut superbus, sed demittis cerviccem, et non quasi ex alto contemnis te inferiores donis. Haec de causis calamitatum utiliter disputantur: non solum enim erudiunt, sed etiam consolantur.

Quarta causa poenarum seu calamitatum est, ut purgemur seu emendemur. Sic Maria Magdalena (*Marc.* 16, 9.), quia impuram vitam agit, septem ma-

lis

lis spiritibus exerceatur, ut cogatur hoc modo ad poenitentiam et emendationem vitae. Sic Salomon dicit, Proverb. 22. (v. 15.): „Stultitia ligata est in corde pueri; sed virga disciplinae fugabit eam". Et Esaias (28, 19.): Vexatio dat intellectum".

Quinta causa est illa mirabilis ratio, secundum quam Deus nihil aliud facit, nisi quod gloriam suam et majestatem ostendit. Sic cum interrogarent Apostoli de caeco nato (Ioh. 9, 1.), Christus dicit, neque ipsum, neque parentes ejus peccasse; sed hoc factum esse, ut revelaretur gloria Dei, hoc est, ut Christus se hoc miraculo ostenderet esse Filium Dei, et invitaret plures ad fidem et agnitionem Dei.

Neque absurdum fuerit, ad hunc ordinem praesentem historiam referre. Nam hoc manifestum est, quod occasione poenarum divinitus inflictarum rex venit ad cognitionem Dei et verae religionis. Sed hic finis accidentalis est: nam textus causam veram talium poenarum ostendit, cum dicit „propter negotium Sarai", seu propter raptam Saram poenas has exegisse Deum.

Ad hunc modum sancti Patres, ac praecipue Augustinus et Bernhardus, de poenis et calamitatibus disputant. Vident enim, Hiobem innocentem probari, Paulum inclinari et humiliari, Magdalenam purgari, seu invitari ad poenitentiam: in caeco autem simpliciter hoc agi, ut manifestetur gloria Dei.

Itaque etsi variae species hae tentationum sunt, tamen sunt castigatio paterna, et non irae flagellum, quale in Herode et aliis impiis cernimus, qui involvuntur atrocibus poenis, quas tamen postea consequitur aeterna mors et damnatio.

Hanc iram deprecatur Propheta, cum dicit (Ps. 6, 2.): „Domine, ne in furore tuo arguas me, et in ira tua ne corripias me". Quasi dicat: Argue: non recuso: etiam me ut corripias, libenter feram, modo absit ira et furor. Sic Hieremias (10, 24.) pro se et populo suo orat: „Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me". Opponit furori judicium, quo purgamur et emendamur, sed cum moderatione et ad salutem.

Possent autem colligi plures causae, propter quas Deus nos visitat, quia sine intermissione peccamus, et fovemus ac alimus originale peccatum, cui debetur mors. Sed Deus credentibus hanc aeternam poenam remittit, et commutat eam in tales poenas, quales recensui, quae tantum hujus praesentis vitae sunt, et nobis prosunt, quia aut probant, aut humiliant, aut emendant, aut gloriam Dei illustrant. Sustineamus igitur eas patienter, et etiam gratias agamus misericordi Deo, castiganti nos in judicio, et non in ira, ut perseverantes in timore Dei salvemur.

Et praecepit Pharao de eo viris, qui dimiserunt eum atque uxorem ejus, et omnia, quae habuit.

Haec subita dimissio et custodia addita arguunt, Pharaonem vehementer territum plagis istis; videt enim, facile posse accidere, ut damni aliquid peregrinus Abraham accipiat a suis; quia autem uxoris raptum sentit divinitus sic puniri, metuit similes poenas, si Abraham ab aliquo suorum laedatur. Iubet *igitur*, ut emigret cum substantia sua ex Aegypto,

ac addit comitatum, ne in itinere aliquid patiatur incommodi.

Ad hunc modum vides Deum esse protectorem sperantium in se. Probat fidem, tentari sinit, sed non deserit, quin cum gloria et cum magno etiam aliorum commodo suos tandem liberat.

Fuit gravis tentatio, quod Abrahae eripitur uxor; sed quae hanc tentationem secuta sunt commoda? Rex perducitur ad cognitionem Dei, ut timeat Deum, et se humiliet. Abram autem non solum nihil incommodi accipit, sed etiam cum magna gloria et cum regio comitatu dimittitur.

Confirmata igitur ejus fides, quae antea nonnihil laboraverat, satis ei fuisset, si solus incolumis dimitteretur; at nunc bene locupletatus cum omni familia sua dimittitur, addito publico praesidio; hanc gloriam vix optare ausus fuit.

Ostendit autem Deus hoc modo, curae sibi esse omnes illos, qui spem suam fixam in ejus misericordia habent. Discamus igitur nos quoque obedire Deo, et sustinere ejus de nobis consilium certa fide et spe gloriosae liberationis, quam tandem certo experiemur. In hunc enim finem historiam tam insignem Spiritus sanctus nobis scriptam reliquit, ut in patientia et spe operemur salutem nostram. Amen.

DECIMUM TERTIUM CAPUT GENESIS.

Adscendit itaque Abram de Aegypto, ipse et uxor ejus, et omnia, quae erant illius, et Loth cum eo ad austrum.

Initio hujus capitis cosmographia obscuritatem parit. Est Abram in Aegypto, et redit ad terram Canaan. Quaeritur igitur, quomodo dicatur profectus ad austrum, cum Canaan ad septentrionem sit posita? Sed facilis responsio est. Loquitur enim Moses non de itinere, sed de mansione Abrahae, quod rediens ex Aegypto constiterit in meridionali parte terrae Canaan, studio declinans viciniora loca ejus terrae, unde egressus erat. Itaque pertinet haec quoque particula ad exemplum patientiae et tolerantiae, imo certissimae fidei in promissionem, quod sanctus vir non defatigatus tot peregrinationibus firma fide retinuerit promissionem de semine suo terram Canaan possessuro.

Erat autem Abram valde dives pecoris et argenti et auri.

Verbum כָּבֵד non proprie divitem, sed gravem, et sarcinis oneratum significat. Ac numerat Moses tripartitas opes, pecora, argentum et aurum. Vocabulum מִקְנֶה est factum a verbo קָנָה, quod significat acquirere, emere, possidere. Fere autem usurpatur מִקְנֶה pro pecore, sicut infra capite 46. (v. 32.) Ioseph fratres et patrem docet, cum interrogaturus sit rex de opere, quod faciant, ut respondeant, se esse homines מִקְנֶה, pecoris. Et Exod. 12. (v. 38.): „*Ovis, bos*, pecus minutum" etc. Hieronymus vertit

animantia diversi generis, ut sit vocabulum generis complectens quadrupeda minora, quae Latini fere gregem appellant.

Commendatur autem hic quoque magnitudo fidei Abrahae, quod tanta familia gravatus, ac greges et armenta secum trahens tamen tot peregrinationes potuerit tolerare; sine dubio autem aurum et argentum fuerunt dona regia, quibus Deus mirabili consilio suo mitigavit tam diuturnum exilium. Nam hic primum meminit Moses, divitem valde, et auro ac argento gravem fuisse Abrahamum, in consolationem exulum et peregrinorum. Sic enim solet non nunquam Deus; in mediis calamitatibus etiam bonis temporalibus suos cumulat.

Si enim non intercederent consolationes tentationibus, sed perpetua certamina et angustiae essent, labefieret fides. Itaque non nunquam respirare sinit, mitigans curas et miserias consolatione aliqua, perinde atque nos potu vel aromatis reficimus laboribus aut doloribus fatigatos, ne exstinguantur.

Meminisse autem hujus exempli in periculis debemus, ut patienter feramus praesentia incommoda, et in fide exspectemus consolationem, si quidem fidelis Deus et cum tentatione etiam evasionem facit. Vera liberatio tum contingit, cum exuti hac carne emigrabimus ex hac vita.

Sed ante hanc perfectam liberationem laborantes animos saepe erigit, etiam corporalia commoda donans, quae arguunt, et Deum non oblivisci suorum, et pietatis praemia certa esse. Sicut igitur tentatio magna fuit, eripi Abrae Saram a tam potenti rege, ita quoque consolatio est insignis, quod et Sarae ni-

hil indignum accidit, et Pharao Abrahamum magnifice donatum et locupletatum dimittit.

Porro hic locus a Philosophis et Monachis saepe agitatus est, cur Spiritus sanctus de Abraha hoc scripserit, divitem, seu valde gravem fuisse possessione pecudum, argenti et auri. Sic enim utrique judicant, virum tam sanctum non debuisse opes habere, sed potius in paupertate vivere, praesertim exulem et habentem omnes spes suas positas in unius Dei misericordia.

Sed meminerimus, haec scripta non propter Abrahamum, sed, sicut Paulus dicit, Romanorum 15. (v. 4.) et 2. Timoth. 3. (v. 16.) ad nos docendos, arguendos et consolandos. Vidit enim Spiritus sanctus portentosas hominum cogitationes de pietate, quae non solum nostro seculo per Monachos et Anabaptistas in ecclesiam invectae sunt, sed omnibus seculis fuerunt. Philosophi quidem magnum nomen se comparaturos crediderunt, si abjicerent pecuniam, et mendicitatem profiterentur. Idem Monachi fecerunt, et eo quidem fuerunt nocentiores pestes, quod mendicitatem istam docuerunt Dei cultum esse. Anabaptistae quoque judicant, Christianos non esse, qui aliquid proprium habent.

Iudaei autem scelestiores sunt; hi abutuntur his et aliis similibus scripturae sententiis ad patrocinium avaritiae et usurarum, quasi foenore inter gentes tantas opes pararit Abraham. Nec mirum, si sancti Patriarchae exemplo abutantur: ab ipso Messia aliud nihil exepectant, quam opes et potentiam. Ita utrinque stulti in vitium incurrunt, alii nimium abstinendo, alii nimium rapiendo.

Arguunt autem haec summam ignorantiam, men-

tium humanarum, quae non solum Deum non agnoscunt, sed ne creaturas quidem. Crates philosophus abjicit opes, Epictetus mendicat, Stoici opes non patiuntur dici bona. Cur hoc? Quia videbant, homines usu opum plerunque fieri deteriores. Consultum igitur sibi putabant, si opes damnarent, et prorsus abstinerent. Sic Monachi, quia videbant, curis hujus seculi multos occupari, ipsi relictis omnibus, sic se putabant ab hoc malo tutos, si monasteria ingrederentur, et ab omnibus civilibus negotiis abstinerent.

Confirmata autem haec opinio est, quod docebant in templis, hominem habere voluntatem rectam; omnes igitur judicabant, si haec malorum irritamenta praecidissent, nihil instare periculi.

Sed, ut dixi, extrema haec caecitas et foedissima ignorantia est, quod transtulerunt vitia, quae in homine sunt, ab homine ad creaturas, quae per se bonae sunt et Dei dona. Discernendum enim est inter rem possessam et possidentem. Res possessa est, qualis a Deo condita est; sed possessor est alius, quam a Deo est conditus: igitur vitium non in re, sed in possessore est. Hoc non viderunt stulti homines.

Castitatem docuerunt esse, si vites consortia puellarum et feminarum. Sic per privationem rerum voluerunt sibi consulere, decepti illo falso principio, quod praesumebant, hominem bonum et naturalia integra esse; sed experti re ipsa sunt, se nunquam minus esse castos, quam cum soli, et sine feminis essent.

Franciscum non judico malum fuisse; sed res ipsa arguit, eum simplicem, seu, ut potius verum dicam, stultum fuisse. Hanc enim figit seu legem, seu

regulam, ut vivant sui secundum evangelion. Evangelii autem hanc statuit perfectissimam regulam, vendere omnia, et pauperibus dare. An non rejiciemus eum potius ad stultos philosophos, qui abjecerunt opes, quam ut inter Christianos relinquamus? si quidem hanc evangelii quasi medullam proponit aliis.

Evangelion de majoribus rebus nos docet, ut agnoscamus peccatum, et per Christi meritum speremus remissionem peccatorum. Haec pater ille bonus non videt, et putat, in evangelio novam legem, tanquam ex Platonis republica proponi, de vendendis iis, quae possides. Et tamen quanto applausu absurdum dogma accepit mundus? Si historia vera est, mendicavit Franciscus panes et alia ad vitam necessaria, ac postea distribuit pauperibus. Sed tu posteros ejus inspice, an non illi rectius sibi et culinae suae consuluerint?

Iohannes XXIII. non hoc consilio, quo nos, Franciscanos damnavit. Ita enim publico decreto sanxit, haereticos et pertinaces esse, qui dicerent, Christum cum suis discipulis nihil habuisse proprium, ac in pauperes de Lugduno crudeliter saeviit, qui paupertatem Christi se profitebantur imitari; multos enim flammis subjecit. Videbat enim, potentiam et opes, quas tenebant Pontifices, non solum invidiam et odium, sed etiam opinionem impietatis conciliaturas, si isti existimarentur sancte vivere, qui nihil possidebant. Ac pauperes isti de Lugduno palam reprehendebant Pontifices, dicentes, non decere, eos tenere opes.

Defendit igitur Iohannes XXIII. possessionem opum, et damnavit mendicantes, sed alio consilio,

quam nos: non ei curae fuit religio; sed quia opes tenebat, non volebat ideo minus sanctus haberi.

Moti igitur suo periculo tandem Franciscani, cum ita saeviretur in Lugdunenses, Pontificum avaritiam non reprehendebant, sed, quod proverbio dicitur, tanquam muli scabebant mutuo: laudabant Pontifices, et vicissim a Pontificibus laudabantur.

Ad hujusmodi errores sanandos et tollendos utiliter haec exempla scripturae tractantur. Docent enim, vitium non in rebus esse, quae sunt bonae, et vere Dei dona, sed in hominibus, qui possident eas, et iis utuntur.

Ille igitur non solum philosophus, sed bonus theologus quoque est, qui res divinitus donatas non damnat, sed usum, seu gubernationem rerum. Sicut Psalmus (62, 11.) dicit: „Si affluunt divitiae, nolite cor apponere": quasi dicat: Divitiae bonae sunt; itaque de corde tibi cura sit, ne id malum sit. Sic adspicere mulierem non malum est; est enim mulier bona creatura Dei; sed in corde vitium, quod appetit mulierem, quae non tua est.

Monachi igitur, qui, ut castitatem retineant, fugiunt a conspectu mulieris, et se concludunt in monasteria, quia impura corda habent, tum maxime aestuant libidine, cum soli sunt. Non igitur verum remedium libidinis id est, si vites conspectum feminae, nec sanaveris vitium abstinendo a rebus: sed gubernatione et usu, sicut experientia docet. Nam negata puella insanos facit, e contra concessa fastidientes.

Huc igitur incumbe, ut tu prius bonus fias, et ad usum rerum afferas cor purum: in rebus nihil est vitii. Qui autem hoc non faciunt, morioni simi-

les sunt, qui, cum non rectus staret in sole, valde indignabatur, quod umbram suam videret curvam. Ad hunc modum ipsi non vident, in se esse vitium. Cum igitur usu rerum abstinere volunt, magis incenduntur, quam ii, qui res tenent, et iis utuntur.

Oculi, pedes, manus sunt Dei dona. Igitur si adspiciens puellam incenderis, non id oculorum, sed cordis peccatum est. Nonne igitur extrema esset stultitia, si tibi ideo velles effodere oculos, ne posthac adspicere puellam posses? Non enim hoc modo sanatur cor, sed decuplo magis incenditur, sicut Poëta inquit: Nitimur in vetitum, semper cupimusque negata (Ovid. Am. 3. 4, 17).

Igitur monasticas et stultas illas opiniones abjiciamus, et cum vocamur vel ad gubernationem rerum, vel ad conjugium, non cogitemus, mali aliquid esse in gubernatione, seu usu rerum. Si quid vitii est, in corde est; id curemus, ut rectum sit, et omnia habebunt recte.

Magni philosophi sapientiae hanc laudem putarunt, si abstinerent a rebus gerendis. Sed rectius judicat Aristoteles, cum dicit: Magistratus ostendit virum. Et notum est triviale dictum: Homo solitarius aut bestia, aut Deus. Addenda autem est minor: Deus esse non potest, et sequetur optima consequentia, quod solitarium hominem necesse sit esse bestiam.

Sic Paulus dicit 1. Cor. ad fruitionem res conditas a Deo: non igitur abjiciendae, aut fugiendae sunt; sicut Spiritus sanctus hoc in loco de Abrahamo testatur, fuisse eum valde gravem pecore, argento, auro.

Si virtus esset abjicere res, et mendicum esse, immerito commendaretur Abraham. Nunc manet in gubernatione et usu rerum, et in hoc praecipue incumbit, ut cor purum sit, non insolescit opibus, non avare eas colligit et servat; sed est liberalis et hospitalis, sicut testantur historiae infra positae. Ita cum ipse sine vitiis sit, pie et sancte et fideliter rebus utitur. Idem facias tu quoque, sive in conjugio, seu magistratu, seu alia conditione sis constitutus; et bene uteris rebus, uxore, liberis, dignitate et aliis, quae per se bonae sunt, tanquam oculi, aures, lingua, divinitus condita et donata membra.

Celebre dictum fuit non in philosophorum tantum, sed theologorum quoque scholis: Quae extra nos, nihil ad nos. Pecunia et similes res sunt extra nos, igitur nihil ad nos. Speciosa haec sophistica, sed scelerata et impia est. Quin tu dic: Quae extra nos sunt, maxime ad nos pertinent. Sic enim dixit Deus (1. Mos. 1, 28.): „Dominamini piscibus maris, volucribus coeli, et terrae cum omnibus, quae habet". Inter haec dona etiam sunt aurum et argentum; his utere, ut cor sit bonum, hoc est, sine avaritia et sine aliorum injuria: primum ad utilitatem morum domesticorum, „ne sis deterior gentili", 1. Tim. 5. (v. 8.), deinde etiam ad aliorum commoditates, et cave tanquam certam pestem, ne aut cum stulto Crate abjicias res tuas, aut cum Epicteto et Stoicis non judices bonas ac utiles esse. Imo statue, non tantum utilia haec dona esse, sed etiam honesta, et condita a Deo in hunc finem, ut essent delectabilia, et mitigarent aliquando sanctorum calamitates: sicut hoc in loco de Abraham audimus.

Sed objicitur *), haec valere in veteri testamento: Christum et Apostolos in novo testamento docuisse aliter. Sic enim dicit Christus (Matth. 19, 21.): „Vende, quae habes, et da pauperibus". Item (ibid. 5, 3. 6.): „Beati pauperes spiritu. Beati, qui sitiunt, qui esuriunt" etc. Et Paulus dicit (2. Cor. 6, 10.): „Habentes, tanquam non possidentes". Haec mendicantium et paupertatem profitentium argumenta sunt, quibus sibi et aliis imponunt. Sunt enim vere inania sophismata, et non demonstrationes.

Etsi statuas, Christum fuisse pauperem, tamen habuit loculum, quem servavit Iudas, et per hoc sequitur, quod habuit proprium, ac propriis facultatibus usus sit.

Porro si hoc de Christo constat, qui est caput et dominus omnium, quid miser Franciscus novi tentat, dum adeo non vult proprium aliquid habere, ut etiam attingere pecuniam suos vetet? Et tamen interim concedit aliarum rerum usum, quarum copia cum suppetit, facile et sine incommodo pecunia abstinere possumus.

Sed quid multa? non solum stultitia, sed hypocrisis reprehensionem meretur; itaque non infacete quidam dixit, mirari se, quale hoc hominum genus sit, qui pecuniam non attingant: nam aut Deo, aut magistratui, aut utrique infensos esse: Deo, quia ejus creaturam abjiciunt; magistratui, quia imagines principum in pecunia potissimum abominantur, si quidem non verentur attingere aureos calices, argenteas imagines. Et stupidum hunc errorem quis non videt? Et tamen hoc fuco toti orbi imposuerunt.

Monent autem haec exempla, ut tanto studio-

*) *Ita in editione Noribergae a. 1552 excusa: in edit. princ.* objiciuntur.

sius adhaereamus verbo; ea enim unica via est, ne talibus fucis decipiamur. Cur enim praeferamus Abrahae Franciscum? Num quia Franciscus abstinet a pecuniae tractatione, Abraham autem, sicut Moses loquitur, „onustus est argento et auro"? Argentum et aurum si sunt res per se malae, merito laudantur, qui ab eis abstinent: sed si sunt bonae creaturae Dei, quibus et ad proximi necessitates, et ad Dei gloriam uti possumus, an non fatuus, imo etiam in Deum ingratus est, qui his, tanquam a malis, abstinet? Non enim malae sunt, etsi vanitati et malis sunt subjectae.

Tu animum corrige, affer ad usum istarum rerum cor sincerum. Si dedit Dominus opes, gratias age Deo, et cura, iis ut recte utaris. Si non dedit, ne avare eas expetas: habe patientiam, et crede Deo, quod daturus sit panem quotidianum, et cave istas Monachorum pestes, ne eos judices aut damnes, quibus Deus copiose benedixit. Non enim Christus interdixit suarum creaturarum usum: affectus voluit gubernari a nobis.

Est enim magister Spiritus, ac ipse quoque possedit proprium aliquid, sicut testantur Evangelistae, qui dicunt, Iudae administrandae pecuniae curam mandatam. Paulus quoque suis manibus laboravit, ut ex proprio, non ex alieno viveret. Valeat igitur Monachorum fucata pietas et stulta hypocrisis.

Et pergens migrare venit a meridie usque ad Bethel, usque ad locum, ubi fuerat tabernaculum ejus a principio, inter Bethel et inter Hai.

Ostendit Mose, Abramum non constitisse in eo-

dem loco; sed varia habuisse hospitia. Quia autem vixerunt tum ad minimum sex aut septem Patriarchae, verisimile est, eos quoque ad ea loca concessisse, et Abrahamum apud singulos aliquandiu substitisse. Nam Hebraeus textus ostendit, Abrahamum subinde mutasse hospitia, et ita tandem deflexisse ad Bethel. וַיֵּלֶךְ לְמַסָּעָיו et ivit secundum, seu juxta mansiones suas, hoc est, subinde mutatis sedibus, venit tandem ad Bethel. Non autem dubium est, hac occasione multos Cananaeorum venisse ad cognitionem Dei, ac veram religionem esse amplexos.

Ad locum altaris, quod ibi fecerat a principio; et invocavit ibi Abram in nomine Domini.

In Hebraeo manifesta differentia est inter haec duo: invocare nomen Domini, et invocare in nomine Domini. Priori utuntur pro eo, quod dicimus petere aliquid a Deo, quaerere Deum per orationem etc. Sed invocare in nomine Domini proprie est praedicare, docere, legere, et si quid aliud est, quod ad ministerium docendi pertinet. Quod igitur hic dicit Moses, Abram istic in nomine Domini invocasse, idem est, ac si dicat, erexisse publicum sacellum, seu aram, quam *) praedicavit, et principaliter quidem familiam suam docuit de vera religione, deinde etiam vicinos Cananaeos, qui ad eundem locum confluxerunt.

Etsi enim ea tota generatio in genere maledicta et a piis separata erat, tamen subinde aliqui verbum sunt amplexi. Fuit igitur Abram sacerdos et pro-

*) *Fort.* ad quam. Ita exhibet editio Nor. d. a. 1552.

ista Dei, qui certum sibi locum constituit, imo qui oceret, invocaret, sacrificaret.

Haec enim propria sacerdotis officia sunt, quae e quoque ex gratia Dei obimus, ut Deo constituta r ecclesia inter nos. Hos enim cultus ab initio undi usque ad finem durare necesse est, et etiamsi iem mundi in tanta perversitate morum paucissimi s retinebunt.

Haec admonuisse de differentia inter invocare ominum, et invocare in nomine Domini satis sit. nodsi quis contendat, idem esse, cum eo non pugibo, propterea quod natura conjuncta sint praedicatio et invocatio. Impossibile enim est orare, nisi ius docueris populum de Deo; imo tu privatim inquam orabis feliciter, nisi ipse tibi praedicaveris l symbolum, vel alium scripturae locum, qui te lmoneat bonitatis divinae, ut qui non tantum jusrit, te orare, sed etiam addiderit promissionem de audiendo. Hac privata concione, quam ipse tibi bjicis, excitatur animus ad orationem.

Fit autem idem publice in nostris ecclesiis: non ibemus mutos cultus, semper sonat evangelii vox, ia docentur homines de voluntate Dei. Concionius autem addimus orationes, aut gratiarum actiones.

Sic Paulus 1. Corinthiorum 14. (v. 13.) vult, imo doceri ecclesias et admoneri, postea recte benedicitur vel oratur. Et Zacharias (12, 10.) promitt, effusurum Dominum spiritum gratiae et precum. piritus gratiae est, qui docet de voluntate Dei, et mmendando misericordiam Dei erigit ad fidem; unc sequitur spiritus precum: qui enim norunt eum reconciliatum et faventem, hi in periculis eum

invocant, cum certa spe liberationis. Ita perpetuo praedicatio et oratio sunt conjuncta.

Commendatur autem hoc in loco Abraham, quod haec fecerit non in angulo aliquo, formidans gentium vel minas vel vim, sed in publico loco, ut suo et suorum exemplo alios quoque ad cognitionem Dei et veros cultus invitaret.

Fuit autem haec ara forte ad quercum aliquam patentem, aut in colliculo sub dio, tecta Arabico aliquo tabernaculo, sine ullo ornatu, templum vile et sine honore, si spectes apparatum: sed ideo gratissimum propter praedicationem et sinceram orationem. Hodie templa regaliter ornata videmus, sed, o Deus, qualis ibi praedicatio? qualis oratio? Satanae enim, non Christi doctrinam audis. Nihil enim ibi sonat, quam mendacium: oratio autem mera blasphemia est. Verum igitur est proverbium Germanicum: Finstere Kirchen und liechte Herzen, tenebrosa templa et illuminatas mentes fere conjungi. Tale fuit Abrahami, in quo sonuit vox Dei et verus cultus. Sed saepe templa, si videas, illustria sunt, sed corda sunt tenebrosa, seu potius caeca.

Non igitur lapides, non structura, non honor auri et argenti templum ornat, aut sanctum facit, sed verbum Dei et sana praedicatio; ubi enim bonitas Dei commendatur hominibus, et eriguntur animi, ut eo fidant, et invocent Dominum in periculis, ibi vere sanctum est templum, sive obscurus angulus, sive nudus colliculus, seu sterilis arbor sit, vere et recte vocatur domus Dei et porta coeli, etsi sine tecto, sub nubibus et dio sit.

Spectandum igitur hoc potissimum est, quomodo doceatur et oretur, non quomodo aedificetur.

Hoc

Hoc enim exigit Deus, ut convertatur populus, ipse autem glorificetur. Sed hoc tantum fit verbo et oratione.

Absque dubio autem non caruit Abraham accidentibus verbi, ut sic loquar *): vixit enim tum quoque adversarius Christi, Satan; ideo exercuit Abrahamum infinitis malis, quae solent sequi verbum, persecutionibus, odiis, contemtu, fastidio et mille periculis. Haec certe tulit suae pietatis praemia; etsi non scribantur, tamen scimus, naturam verbi esse talem, ut, ubicunque docetur, irritetur princeps mundi. Haec enim duo verbum praecipue facit, ut Deum glorificet, et principem mundi judicet ac damnet cum carne et peccatis. Facile igitur ex fortuna verbi intelligi potest, quid in hoc suo Episcopatu passus sit; sed quia a Deo in Episcopum electus est, habuit Deum protectorem contra Satanae et mundi furores.

Sed et Loth, qui erat cum Abram, habebat greges ovium, et armenta et tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, et nequibant una habitare; unde facta est rixa inter pastores gregum Abrae et Loth. Et habitabat eo tempore in terra illa Cananaeus et Pherizaeus.

Post cultum divinum et doctrinam de religione et fide erga Deum, qui locus semper debet principalis esse, ponitur secundarius locus valde insignis et pulcherrimum exemplum tum caritatis erga proxi-

*) Ita exhibet edit. Noribergensis d. a. 1552. Edit. princ. ut hic sequitur.

tristius; sed ob majora incommoda declinanda paret necessitati.

Sed videamus etiam legem caritatis et concordiae. Abram erat avunculus Lothi, aetate major et propter promissionem dignior; erat denique sacerdos et propheta Domini, neque ei quicquam ad dignitatem et auctoritatem deerat, et tamen his omnibus neglectis cedit de suo jure, et se avunculo facit aequalem, qui aetate, dignitate, auctoritate, officio longe erat inferior. Hoc an non est, quod Christus jubet, qui major est, sit ut minor et ut servus aliorum? Iohannis 13. (v. 15. seqq.).

Poterat enim Abram vincere auctoritate et jure, ac dicere: Ego sum senior, mihi data est promissio et hereditas hujus totius terrae: tibi non est data. Etsi autem uterque nunc peregrini sumus, tamen propter promissionem possum mihi vindicare, quam partem ego volo. Tu igitur cum tuis alium tibi locum quaeras: ego cum meis hic durabimus. Sic summo jure poterat dicere Abram ad nepotem, et manere in suo loco; vere enim jus habuit, hoc ut faceret. Sed cedit de jure suo, et nobis proponit utilissimum ad servandam concordiam exemplum, dum vitat dictum illud: Summum jus summa injuria. Sic enim Moses narrat historiam.

Dixit ergo Abram ad Loth: Ne, quaeso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Nonne universa terra coram te est? Quaeso, separare a me. Si tu ad sinistram, ego ad dextram, et si tu ad dextram, ego ad sinistram ibo.

Quid potuit ab Abram dici commodius, aut ad

pacem aptius? Prorsus aequat se Lotho, et dicit: Ecce, sumus fratres. Deinde se etiam infra Lothum demittit, dum ei eligendi facultatem permittit, quo potissimum velit. Sic cedit avunculus nepoti, senior juniori, propheta et sacerdos Dei discipulo, idque ne dissolvatur caritas et detur occasio rixis.

Digna igitur historia est, quam studiose notemus. Docet enim, quomodo omnes leges et jura omnia sint tractanda. Finis enim legum corporalium omnium est pax, concordia, tranquillitas, seu, ut nos theologi loquimur, caritas. Ad hunc finem qui leges non refert, aut alio modo eas intelligit, toto errat coelo. Sicut hodie legum abusum videmus maximum.

Quia enim mundus totus in ambitione positus est, et altum sapit, ideo caritas locum non habet, et simultatibus, dissensionibus, bellis plena sunt omnia. Etsi enim tu facias, quod Abram fecit Lotho, et cedas de tuo jure, tamen pax retineri non potest, ne quidem si injurias feras et dissimules: tam corruptus et depravatus est mundus. Indignus est igitur hac sancta doctrina.

Boni tamen docendi et admonendi sunt sedulo, ut, postquam cognoverunt Deum, et coeperunt credere, discant quoque, quomodo erga fratres se debeant gerere, ut exemplo Abrae cedant de suo jure. Finis enim legum omnium est caritas et pax. Ad hunc finem flectenda omnia jura legesque omnes sunt, qualescunque tandem sunt; non enim leges humanae legibus divinis per omnia aequandae sunt.

Promissio divina, item Sacramenta nullam dispensationem admittunt. Sunt enim facta et dicta Dei erga nos, quae velit ipse facere nobis recipientibus.

Peccat igitur, qui de iis dispensare, aut inflectere, vel mutare ea velit, sicut Pontifex, qui calicem de coena abstulit.

Sed legum corporalium finis cum sit caritas, sic eae sunt urgendae, ne quid peccetur in caritatem, et, ut hic Abram dicit, ne sit rixa; ut Abram maneat amantissimus avunculus Lothi, contra Loth maneat carissimus nepos Abrae. Ubi ergo pax publica periclitatur, ibi regina sit caritas et magistra, quae moderetur leges, et eas ad mitigationem inflectat.

Ad hanc moderationem requiruntur heroici et singulares viri. Sicut enim videmus, non ipsi legum doctores disputant secundum caritatem, sed ubique urgent summum jus et apices legum, ut loquuntur; indigni igitur sunt, qui ad hanc piam cognitionem veniant. In ecclesia autem docentur animi, ne stricte urgeamus jus nostrum, sed ut moderemur leges secundum id, quod videtur expedire reipublicae.

Exemplum addam. Carthusiani habent legem, ne per omnem vitam gustent carnem. Si igitur valetudinarius aliquis, cujus vel complexio, ut medici vocant, vel usus vitae piscium perpetuum esum ferre non posset, et ideo periclitaretur de vita, sine epiikia seu dispensatione hanc legem urgent Monachi, et ne quidem si vitam miseri hominis una buccella carnis servare possent, id facerent. Hoc quidem est sine dispensatione urgere legem, et oblivisci, quod omnium legum finis sit dilectio. Igitur Gerson et alii hanc severitatem merito improbarunt.

Ac hoc vitium omnium monasteriorum est, ut, etsi corpora natura dissimilia sint, tamen cogantur ad eandem legem in victu et aliis rebus servan-

dam, nullo habito respectu vel valetudinis vel personarum.

Inveni ego vidi Erfordiae multos Carthusianos, qui cum adhuc firma aetate per annos esse deberent, pallebant immodice, baculo regebant gressus. Miratus igitur calamitatem hanc interrogabam, unde conciliassent hoc malum; respondebant: ex vigiliis. At cur non dormis? inquio. Non permittitur, respondebant.

Religio igitur Monachorum talis est, quae epiikiam nullam, moderationem nullam novit. Igitur iniquissima et injustissima est. Non enim respicit finem legis, non spectat caritatem, sicut Paulus dicit, Coloss. 2, (v. 23.) „non parcit corpori". Ergo hoc quoque verum est, quod Terentius (Heaut. 4, 1. 48.) dicit, summum jus esse summam injuriam. Non enim vult Deus, occidi corpora: parci vult corporibus, imo etiam ali et foveri, ut sufficere possint vocationi et officiis, quae debentur proximo.

Stulti igitur legislatores et culpandi observatores sunt, qui non usum et finem legum vident. Medicina ad servandam, adjuvandam et restituendam valetudinem servire debet. Ea habet canones et regulas suas; sed non sunt eae urgendae durius. Ratio habenda est corporis; quod si infirmius est, moderanda medicamentorum vehementia est, alioqui non medicina, sed venenum est corpori. Contra in firmioribus corporibus acriora requiruntur pharmaca.

Ita in politia respiciendum perpetuo ad hunc finem est, ut servetur pax. Si enim princeps sic vellet punire suorum peccata, ut seditionibus occasionem praeberet, praestaret connivere ad peccata, quam ea punire. Quid enim est lex, si careat suo fine, et om-

nia pereant? Sed, ut dixi, requirit haec moderatio singularem prudentiam.

Imperator, dicunt, est lex viva et animata. Theologi autem dicunt, legem esse consilium boni viri. Nam posita lege relinquitur prudentia, quae eam moderetur in certis casibus. Impossibile enim est, legislatorem videre omnes particulares et universales casus, qui possunt incidere: sunt enim infiniti.

Posita igitur lege secundum theologos necessario includitur consilium boni viri gubernantis legem in futuris casibus, ne sit noxia: sed ut semper retineatur finis legis, ut prosit et tranquillitatem servet. Si enim lex contra caritatem est, non est lex: sed caritas est domina et magistra legis, ac jubet tacere legem, ut quae non jus, sed injuriam in certis casibus doceat, si quis eam sine moderatione velit sequi.

Hinc Germanorum proverbia de doctore medicinae juvene, quod ei opus sit novo coemeterio: de jureconsulto recens ad rempublicam accedente, quod involvat bellis omnia: de theologo juvene, quod compleat infernum animabus. Hi enim, quia usu rerum, qui prudentiam gignit, destituuntur, omnia secundum canones et regulas suas faciunt. Ideo impingunt et errant, cum magno hominum et rerum detrimento.

Discite igitur, quod pax et caritas sit moderatrix et dispensatrix omnium virtutum et legum: sicut Aristoteles in quinto Ethicorum praeclare de ἐπιεικείᾳ disputat. Et Augustinus nequaquam sic docet, ut fatui Carthusiani: Vestiendi, cibandi, regendi sunt, inquit, non aequaliter omnes, quia non valetis aequaliter omnes. Sapientissima vox.

Non enim Monachatum instituit, qualis hodie est, sed sodalitium quoddam eruditum conferentium de patrimoniis suis in commune, et discentium simul. In hoc numero observavit non arithmeticam proportionem, quae accuratissima est, et ex aequo res dividit, sed geometricam, quae dispensat, et considerat circumstantias.

Memineritis igitur hujus exempli; et discite vos quoque de vestro jure cedere ad retinendam concordiam. Sicut Abram non aetatem, non auctoritatem, non dignitatem suam consideravit, hoc unum spectavit, pax retineri ut possit.

Si juvenem aliquem juristam, aut superstiosum theologum adhibuisset in consilium, is etiam exhortatus eum esset, ne cederet, sed potius urgeret jus suum: sibi enim promissionem terrae esse factam, hanc retinendam et tuendam esse, neque in hac parte posteritati perpetuam servitutem imponendam. Speciosa quidem oratio; sed quia ad pacem et concordiam inutilis est, repudianda, et iniquissima judicanda est, quantumvis videatur e medio jure depromta.

Recte igitur, sancte quoque et pie facit Abraham, cedens de suo jure, et de conservanda concordia cogitans. Sic Paulus monet Ephes. 4. (v. 32.): „Invicem condonantes, si quis adversus fratrem habet aliquid", et Philipp. 4. (v. 5.): „Vestra epiikia nota sit omnibus hominibus".

Significat autem epiikia proprie cedere de suo jure, et condonare aliquid studio retinendae concordiae: hac per omnem vitam opus est. Summum enim jus summa est discordia.

Noveris tamen, dici haec de nostris legibus et hac corporali vita, non de legibus Dei, promissionibus aut Sacramentis. Ibi enim summum jus valeat; secundum sententiam: „Qui plus amaverit patrem, matrem etc. quam me, non est me dignus" (Matth. 10, 37.). Sed in iis, quae nos jubemur facere, relicta est caritas, moderatrix legum et actionum omnium, quae praecipue est spectanda et sequenda. Itaque hanc ut retineret Abram, cum summo dolore dimittit nepotem; corporaliter enim sejuncti, spiritu erant conjunctissimi. Hoc ipsi omnibus opibus erat majus et jucundius.

Et levavit Loth oculos suos, viditque omnem planitiem Iordanis, quod tota esset irrigua, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram; sicut Paradisus Domini, sicut terra Aegypti, si venias in Zoar.

Praesens locus apparet sterilis et siccus, quod nihil continet, quam discessionem Lothi ab avunculo, et habet additam chorographiam, seu descriptionem ejus regionis, in qua fuerunt Sodoma et Gomorra. Eam vocat planitiem, non quasi nulla alia ad Iordanem esset planities (transit enim totam terram Canaan sinuoso tractu); sed quod haec regio esset fecundissima, et alios agros longe antecelleret, in qua constitit Loth ultra Iordanem, Aegyptum versus.

Fecunditatis causam ostendit Moses, quod dicit, irriguam fuisse beneficio Iordanis, antequam Sodoma et Gomorra subverterentur. Nam post hanc poenam alia hujus terrae vel regionis facies fuit: id quod Dominus singulari consilio per Mosen voluit annotari.

Idit enim, illam regionem, in qua quinque urbes erunt, talem fuisse, ut posses dicere hortum Dei, o est, talem locum, quem Deus habitaret, et quo lectaretur, abundantem omni genere optimorum actuum.

Non ignoro Iudaeorum expositionem, qui horm Dei, cedros Dei, civitatem Dei contendunt dici magnificentiam, sicut Ionae 3. (v. 3.): „Erat Nive civitas magna Dei" (Dei appellationem omisit ieronymus), id est magnifica civitas. Et Psalmus 80. . 11.) cedros Dei interpretantur Iudaei arbusta in rra Iudae et vineas ita magnificatas esse, ut possint quari cedris magnis; et Psalm. 104. (v. 16.): „Ibi lucres nidificabunt, ibi ligna, quae plantavit Domius", hoc est grandia ligna.

Hanc interpretationem fingunt Iudaei ex nimia a sapientia, et innata superbia, ut scilicet soli apllentur populus Dei, et non gentes. Ninive, iniunt, non potest dici Dei civitas, quasi Deus ibi ibitet, sicut apud nos in Hierusalem: alia hujus apllationis ratio est, quod magna et augusta sit civi. Sed vana haec expositio est: scimus enim, Deum am gentium Deum esse etiam temporaliter. Nini igitur civitas Dei dicitur, quod Deus ei incremen et benedictionem suam dedit, et curat ac gubert eam.

Sic arbores Dei vocantur, quas Dominus fecit et rat, dum dat pluviam, dat solem, ventos, unde inementa sumunt, etiamsi eas impii possideant. Ac ne non exigua consolatio est, quod Deus imperia nstituit, servat et tuetur, nec illa, ut plerunque pumus, vel crescunt, vel cadunt temere. Gentes gu-

bernationem hanc non vident, sed sua industria constitui et gubernari imperia somniant.

In Annibale magnus animus et singularis industria est; hac putat se Romanos vincere. In Alexandro sunt majora dona, quibus instructus feliciter gerit omnia. Sed istae quasi larvae sunt, quas solas videmus; gubernationem divinam, qua aut stabiliuntur imperia, aut evertuntur, non videmus.

Haec vera est sententia, quod Ninive vocatur Dei civitas: item quod arbores dicuntur Dei ligna; divinitus enim gubernantur et foventur, ut sumant incrementa. Etsi enim humana quoque industria et labore juvantur, tamen ea frustra esset sine benedictione Dei: et quis, quaeso, silvas et nemora, quis arbores in vastis solitudinibus curat?

Sic Christus (Matth. 5, 45.) dicit: „Pater vester coelestis sinit oriri solem suum super bonos et malos". Vocat solem Dei solem, quem ipse condidit ad vegetandas naturas. Ad hunc modum Dei hortus hic vocatur, non, ut Iudaei ineptiunt, magnus, sed qui colitur non solum hominum manibus et studio, sed divinitus, Domino fecundante et benedicente.

Narrant autem, adhuc superesse vestigia hujus doni. Nam ad mare mortuum formosissima poma nascuntur, sed aperta tetro odore et cinere plena sunt, scilicet, ut Poëta ait, sceleris monumenta vetusti (Virg. Eclog. 4, 31 ?).

Itaque cogito ego, hunc ipsum locum fuisse Paradisum, et post diluvium haesisse aliquid uberioris benedictionis in eo, quod tandem ipsum quoque propter incolentium malitiam penitus interiit. Nam etiam post mortem Mosi ista regio, in qua Hierusalem et mare mortuum est, adnumeratur tribui Iudae. Ac

belle convenit, ut in eadem terra, in qua arbor homini exitio fuit, in arbore crucis primae arboris delictum expiaretur, et homini redderetur innocentia et aeterna vita per Filium Dei.

Fuit igitur ista planities cis et ultra Iordanem amoenissima, et quasi parvum vestigium prioris Paradisi. Et hodie nullus in terra locus est, qui producat balsamum, nisi ad mare mortuum, in finibus Engaddi, duo horti. Est autem Engaddi in vicinia hujus planitiei, quam Moses vocat hortum seu Paradisum Dei, quod Deus singularem vim, speciem et pulchritudinem huic horto et ejus fructibus dederit. Alii horti etiam pulchri sunt, sed collati ad Sodomorum agrum seu hortos apparent esse hominum horti, non Dei.

Sed digna historia est, quam diligenter consideremus, ut discamus, quam horribilis res peccatum sit. Videmus enim, hunc Dei hortum mutatum in ipsum infernum propter peccata hominum. Quid enim mare mortuum aliud est, quam infernus? Si quidem est horribilis lacus bituminis. Absorbetur autem in eo pulcherrimus fluvius Iordanis, qui temporibus Abrahae terram hanc irrigabat. Haec historiographi nesciunt; igitur nos merito anteferimus Mosen omnibus, qui non sine ratione hanc descriptionem loci huic historiae admiscuit.

Comparat autem Moses hunc locum Aegypto, quae ipsa quoque irrigatur Nilo, et celebratur ob summam fertilitatem; sed haud dubie hodie multum de illa benedictione amisit propter peccata populi. Haec enim terrae benedictionem non solum impediunt, sed penitus tollunt, sicut videmus hodie Thuringiam nostram verti in petras.

Ad hunc modum Spiritus sanctus per occasionem hanc chorographiam inseruit, ut nos doceret de ira Dei et maledictione, quae peccatum solet sequi, nosque discrimen cerneremus, qualis haec terra fuerit ante peccatum, et qualis sit post peccatum. Verum enim proverbium est: Maledicta gens, maledicta terra. Ubi enim Deus maxime benedicit, ibi homines maxime Deo maledicunt. Abutuntur enim benedictione et ubertate, et non solum ignavo otio se dedunt, sed etiam nihil agendo paulatim discunt male agere.

Haec peccati originalis culpa est: eo infecti animi facilius omnis generis mala, quam ipsam benedictionem ferunt. Ideo Moses quoque clamat, Deut. 32. (v. 15.): „Incrassatus est dilectus, et recalcitravit. Dereliquit Deum, factorem suum, et discessit a Deo, salutari suo“: sicut praesens quoque locus testatur, in laudatissima orbis terrarum parte pessimos fuisse homines.

Elegit autem sibi Loth omnem planitiem Iordanis, profectusque est Loth ab oriente, et separatus est unus ab altero. Abram habitavit in terra Canaan et Loth habitavit in civitatibus planitiei, et tabernaculum fixit usque ad Sodom.

Loth, optione ab avunculo data, occupat meliorem locum ad Iordanem. Abram autem consistit ad dextram circa Bethel et Ai, quae aliquot milliaribus a Iordane distant, ad cujus ripam Sodom erat.

Non autem intelliges locum hunc ita, quasi eam totam regionem occupaverit Loth. Electionem respicit *Moses*, quod istam terram sibi elegerit Loth, quod

in ea vellet quaerere domicilium, incertus adhuc, quae pars sibi esset obventura.

Verisimile enim est, quod sanctissimus vir migraverit per quinque civitates, et nusquam potuerit certum figere tabernaculum, nisi in vicinia Sodomorum. Abram autem substitit in terra Canaan, quod ea sibi promissa esset. Separantur autem a terra Canaan quinque civitates, quae erant evertendae; terra autem Canaan mansura erat.

Et viri Sodomae erant mali, et peccatores coram Domino valde.

Pulchra vero commendatio hujus tam nobilis terrae. Appellavit eam Moses Paradisum Domini, comparavit cum Aegypto; sed qui sunt, qui eam habitant? mali et magni peccatores. Igitur in Paradiso Dei habitant filii Diaboli, et uberrima loca tenent totius orbis flagitiosissimi.

Cur hoc? Nimirum ut discas, hunc Dei esse morem, quod pessimis tribuit optima. Est autem hoc gravissimum scandalum, quo etiam sanctorum patientia sollicitatur, taceo de sapientibus mundi et philosophis. Ideo dicit Psalm. 73. (v. 3.—6.): „Movebar zelo adversus superbos, quando videbam, impios fortunari. Non enim exercentur metu mortis, sed firmi sunt, ut palatium aliquod: non agunt in molestiis, ut alii homines, nec sicut alii flagellantur, sed secure superbiunt" etc. „Ego autem quotidie flagellatus sum, et castigor mane (ibid. v. 14.).

Sic Deus Alexandro et Graecis, pessimis hominibus, tribuit imperium orbis terrarum. Post Graecos tribuit id Romanis Epicureis. Sic Turcas videmus felicissimos esse. In Europa sunt nationes, post

Epicureos Romanos punitos, quae, cum pessimis vitiis, superbia, invidia, crudelitate reliquos omnes longe antecellant, tamen habitant felicissima loca, ac vere hortum Dei. Ac per hoc rationi a Deo maximus scrupulus injicitur, ut ex eo colligat, Deo res hominum non esse curae.

Non statuemus autem, haec fieri casu aut temere: Dei haec voluntas est, qui mundum hoc modo infatuat, ut disputet, utrum bona, utilia ac delectabilia sint vere bona. Ac Stoici negant esse bona, quanquam docent, anteferenda esse malis. Peripatetici, etsi bona esse affirmant, tamen offenduntur, quod pessimis contingunt.

Ratio enim hoc scandalum inaequalitatis summae non potest vincere: cum constet, hunc locum Dei esse hortum, sentit, in eum collocandos non Sodomitas, sed honestos et optimos viros. Nam ornari divinitus malos, iniquum esse censet, ac potius in eam delabitur partem, ut haec bona non judicet vere bona esse. Sed nos statuamus, non solum haec dona esse collocanda inter ea, quae bona sunt et dicuntur, sed etiam esse divina bona. Quis enim negat, illos Hispaniae et Italiae hortos esse excellentia Dei dona?

At cur dantur fruenda pessimis? Psalmus supra citatus ostendit, hanc quaestionem esse supra nostrum captum, et jubet respicere ad finem. Quod etsi impiis ad tempus bene est, tamen tandem ruunt in aeternum exitium: pii autem etsi adfliguntur, tamen Dominus nos deducit secundum consilium suum, et tandem cum gloria suscipit.

Apparet hic nostrarum mentium caecitas extrema, quod vere, ut Psalmus (73, 22.) dicit, cum de

hac invisibili Dei gubernatione cogitamus, sumus „sicut insipiens et jumentum“. Si ratio naturaliter esset recta, judicaremus rectius: sed cum naturaliter corrupta et depravata sit, in tam absurdas delabimur sententias, ut mala esse judicemus, quibus male utimur, et bona tum delectabilia, tum utilia negemus esse bona.

Non, o Stoice, huc decurrendum est. Rectius et sanius judicabis, si existimabis ex abusu rerum non ipsas res, sed tuum animum. Quia enim animus tuus rebus bonis sua natura abutitur, quid inde aliud colliges, quam quod animus tuus malus, et voluntas tua naturaliter non solum non sit bona, sed vere mala? Alioqui per bona, sive ea utilia, sive delectabilia sint, fieret bona; nunc ex usu bonorum, cum malus sis, redderis pejor.

Copia videmus quam multi depraventur: sed non ea benedictionis divinae culpa est. Sicut enim scortum auro et gemmis se ornat, et tamen aurum et gemmae sunt bona Dei dona, ac frustra eis imputatur turpitudo scorti: ita in totum de rebus seu creaturis Dei judicemus, quod omnis culpa sit tuae concupiscentiae, et tum voluntatis, tum rationis depravatae.

Mulier formosa est. Bene; est hoc donum Domini et Creatoris. At ego incendor ad cupiditatem: igitur forma est mala res? Nullo modo: quin tu malus es, qui bona re non potes bene uti. Ad hunc modum bona ista, quae utilia et delectabilia vocantur, convincunt nos de corruptione naturae nostrae, quod neque voluntas, nec intellectus rectus sit; alioqui bonis rebus bene uteremur.

Celebratur Crates apud philosophos, quod ingens auri pondus projecerit in mare, et postea mendicando toleraverit vitam; sed an non ipse se convincit, quod habeat corruptum animum, si quidem auro recte se uti posse negat. Deinde quid, quaeso, boni effecit? Abjectae in speciem avaritiae successit vana gloria, hoc est, uno Diabolo ejecto, successerunt alii septem nequiores.

Discamus igitur, quod scriptura sancta affirmat, hanc ad Iordanem regionem fuisse fertilissimam. Igitur fuerunt ibi bona utilia et delectabilia supra modum, donata divinitus ad fruendum, non ad peccandum. Sed natura peccato originali corrupta non potest frui rebus divinitus creatis et donatis sine abusu: non ideo, quod ea rerum conditarum sit natura, sed quod animus utentis malus est. Quodsi per spiritum animus emendatus fuerit, tunc sancte et cum gratiarum actione tum utilibus, tum delectabilibus utitur.

Sicut Paulus (Rom. 14, 6. 7.) dicit: „Qui manducat, manducat Domino". Qui ducit uxorem, Domino ducit: Domini sumus, sive vivimus, sive morimur. Qui enim credit, habet omnia, omnium est Dominus, omnibus sancte uti potest.

Error igitur est, quod philosophi propter abusum res damnant. Apparet enim, quod, sicut ratio naturalis ignorat Deum, sic etiam ignorat creaturam Dei. Rectius poëta gentilis sensit. Res, inquit, sunt sicut ejus animus, qui iis utitur (Ter. Heaut. 1, 2. 21.). Differentia igitur inter homines est. Alius abundat, alius eget; sed is, qui eget, si habet rectum animum, opulentior est, quam dives: contentus enim est *medico, et* gratias agit Deo de summis opibus, hoc est,

de cognitione Dei, et gratia in Christo exhibita. Sed dives, ut Tragicus (Sen. Herc. f. 168.) dicit, congesto pauper est in auro, et in summa copia sentit inopiam.

Unde haec diversitas est? Nimirum non ex rerum natura, quibus utimur, sed ex diversitate animorum, sicut Paulus Philipp. 4. (v. 12.) dicit: „Scimus abundare et carere" etc.

Hactenus historia, quae locum hunc communem nobis proponit, quod impii in perpetuo optimarum rerum abusu vivant; contra qui vivunt in justitia et fide, hi etiam malis bene utuntur, et bonum est, quicquid faciunt.

Omittit autem Spiritus sanctus de industria dicere de oratione, jejuniis, eleemosynis et aliis operibus Loth, quae incurrunt in oculos, et concitant admirationem. Solum autem de oeconomicis nos docet, quae vulgus vilia, et non multi fructus esse judicat. Quid enim, inquit, hoc magni est, quod Loth et Abram discedunt inter se, et Loth sibi optimam terrae partem eligit?

Sed eruditus theologus non respicit ad nuda opera: personam et animum intuetur; is si fidelis est, concludit, quod omnia, quae in fide facit, etsi in specie levissima sint (ut sunt naturalia ista: dormire, vigilare, edere, bibere, in quibus nihil pietatis esse videtur), sint sancta opera, et Deo placeant.

Etsi enim omnes pii certa quaedam tempora habent, quibus orant, meditantur sacra, suos docent et instituunt in religione: tamen etiam cum haec facere desinunt, et vel res suas curant, vel publicas pro vocatione, manent in bono statu, et hanc gloriam co-

ram Deo habent, quod etiam profana in speciem opera sint cultus Dei, et grata Deo obedientia.

Ad hunc modum describit Spiritus sanctus hoc in loco oeconomiam Lothi, quae speciem sanctitatis nullam habet, et tamen haec ipsa oeconomica opera praeferuntur omnibus omnium Monachorum et Nonnarum operibus, quantumvis sint laboriosa et splendida. Uxor Loth mulget vaccas, familia pascua suppeditat, abigit ad aquas. Haec opera laudat Deus, et scriptura vocat justorum opera. Sic hoc in loco dicitur: „Elegit Loth planitiem Iordanis". Erat enim hoc in ipsius voluntate et arbitrio positum, ut eligeret, quem locum ipse vellet.

Hic scriptura non dicit, malumne an bonum fecerit opus. Sed quia ambulabat in fide, qua egressus una cum Abraham ex Ur Chaldaeorum erat, hoc verum justitiae opus fuit, quanquam oeconomicum et puerile.

Docentur autem haec, ut habeant singuli in sua vocatione certam consolationem, et norint, facienda etiam corporis, ut sic dicam, opera, neque semper, ut Monachi docebant, vacandum spiritualibus operibus. Est suum tempus tribuendum corpori, ut quiescat, ut reficiatur cibo, potu.

Haec opera etsi videntur nullam sanctitatis habere speciem; tamen etiam haec agens manes in bono statu. Videmus enim, Deum non dedignari, haec in speciem levia et vilia opera ut scribantur in suo libro. Quicquid enim pii faciunt, etsi liberum est opus, tamen Deo gratum est et acceptum propter fidem. Quodsi tale opus est, quod Deus praecepit, *tanto* minus dubitabis, Deo probari obedientiam.

Nota est Ecclesiastici sententia: „Deus ab initio nstituit hominem, et reliquit illum in manu conlii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si vis, rva mandata, et fac, quod illi placet, in vera fide. pposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, rrige manum tuam: ante hominem vita et mors t, bonum et malum." etc. (Sirach. 15, 14 seqq.). t convenit cum eo Augustini dictum, si sobrie inlligas, quod Deus res, quas condidit, sic adminirat, ut tamen sinat eas agere proprio motu.

Habet igitur libertatem homo non talem, ut, si eus aliquid praeceperit, possit id facere, vel non. uod enim ad praecepta Dei attinet, non est homo ber, sed debet obedire voci Dei, aut sustinebit sentiam mortis. Libertas autem est illorum, de quis Deus non praecepit, in externis functionibus. Lirum enim est in mensa sumere vel pira, vel poa, bibere vel zitum, vel vinum, vestiri vel albis, l atris, ire vel ad hunc, vel ad alium amicum. In libus rebus electionem homo habet, et certum est, iam haec libera opera fieri cultus Dei, et placere eo, si ambules in fide, et maneas in praeceptis Dei, u bona conscientia. Haec utiliter docentur.

ixitque Dominus ad Abraham, postquam paratus est Loth ab eo: Leva nunc oculs tuos, et vide a loco, ubi es, ad aquinem et meridiem, ad orientem et occaım. Nam omnem terram, quam tu vides, ım tibi dabo et semini tuo, usque in seculum.

Dixit hactenus Mose de discessione Loth ab Aaham ad Paradisi hortum et optimam terram, in

qua tamen omnium hominum pessimi vivebant. Sic enim solet Deus; suos sinit varie affligi, impios autem impinguat, incrassat, dilatat. Hac iniquitate, ut videtur, offenduntur pii: sed consolatio retinenda est, de qua Psalm. 73. dicit. Et Ieremias (12, 3.), qui ait, saginari impios ad diem victimae: et Hiob (21, 13. 17.): „Ducunt in bonis dies suos, et in puncto descendunt ad inferna; extinguetur lucerna impiorum, et superveniet eis inundatio" etc. Ad hunc finem qui respiciunt, hi scandalum hoc facile superabunt.

Nunc sequitur tertius locus, in quo scribitur Dominus locutus cum Abraha. Saepe autem monui, quod in historiis, seu, ut vulgus appellat, legendis sanctorum, haec praecipua historiae pars maxime spectanda sit, nempe verbum Dei. Magnas quidem res et mirabilia opera Deus per sanctos suos omnibus seculis gessit, quae speciosa sunt et incurrunt in oculos, sed nobis, qui sacra tum discimus, tum docemus, maxime fulgere debet ipsa locutio Dei. Hoc enim prae omnibus ornat sanctorum legendas, et separat eas a gentilium historiis. Ideo enim vocantur sacrae historiae, quia in eis verbum Dei lucet.

Etsi igitur Monarcharum, ut Alexandri, res gestae admirabiles et magnificae sunt, etsi ab eruditis hominibus oratione sunt pulcherrime illustratae, tamen comparatae ad sacras historias sunt merae tenebrae; carent enim luce, et vere sunt ut tabula bene picta, sed in obscuro angulo collocata, ut conspici nequeat: sunt ut corpus sine capite, ut caro sine spiritu.

Ergo Abrahae historia excellentissima est, quia referta est verbo Dei, quo universas res ab ipso ge-

stae ornantur, praecedente scilicet ubique verbo Dei promittentis, praecipientis, consolantis, monentis, ut appareat, Abrahamum singularem amicum et familiarem Dei esse.

Haec magna et admiratione dignissima res est. Nam praeclarae victoriae regum et triumphi, quid, quaeso, sunt collati ad hanc familiaritatem, quae Abrahae est cum divina majestate, quod habet Deum praesentem, secum colloquentem, gubernantem, diligentem, servantem?

Ad hunc modum si sanctorum Patrum historias inspicias, et hoc insigne donum recte aestimes, non amplius exiguae et tenues videbuntur: sed superabunt omnes omnium Monarcharum quantumvis in speciem maximas res gestas. Oculos quidem specie et magnitudine sua occupant; sed cor recte institutum respicit ad verbum Dei, quod sancti Patriarchae audiverunt Deum, quod Deus propitius eos gubernaverit et conservaverit; hoc donum antefert omnibus mundi opibus.

Intueamur igitur in hunc sanctum Patrem Abrahamum, qui incedit non in auro nec serico, sed ornatus, circumseptus, coronatus, vestitus divina luce, verbo Dei. Igitur historia ejus omnibus mundi historiis anteferenda est, quae, cum optimae sunt, tantum offundunt quasdam operum nubes, in speciem quidem jucundas, sed sine vero fructu, plerunque etiam tristes et metu plenas: destitutae enim sunt verbo Dei, quod solum lux vera est, exhilarans et docens animos, et plus in eis spectatur judicium et ira Dei, quam misericordia et gratia.

Vere igitur Christiani beati sumus, sicut Vergilius de agricolis dicit (Georg. 2, 458.), si nostra

norimus bona. Habent gentes infinita rerum a se gestarum volumina in omnibus linguis scripta: sed nos habemus sacras historias, consignatas verbo Dei. Audimus enim Deum loquentem familiariter cum hominibus, videmus Deum mirabiliter gubernantem humana, et servantem suos in mediis periculis. Haec dona si Iudaei aestimassent, ut sunt aestimanda, an non diceres, beatos esse? sicut Psalmus (33, 12.) dicit: „Beata gens, cujus Dominus Deus ejus est". Item (144, 15.): „Beatus populus, quem elegit Dominus".

Sint igitur magni Persae, Graeci, Romani: certe destituti hoc dono verbi non sunt beati; non enim tantum non habent hunc Deum, sed ne norunt quidem. Dominus non loquitur cum eis, etsi benedicit ipsorum imperiis ad tempus.

Recte igitur David (Ps. 60, 8.): „Laetabor, et dividam Sichimam", hoc est, gratus ero Deo meo, et laetabor in ejus donis „quia Deus loquitur in sancto suo". Hoc caput est, de quo gloriatur et gaudet, quasi dicat: Haec nostra praerogativa est, quod habemus sanctuarium, in quo Deus loquitur. Etsi igitur alii reges potentiores sunt nobis, tamen hoc donum non habent, de quo nos gloriamur, quod audimus Deum loquentem nobiscum per Prophetas suos.

Sic Moses hoc ipsum donum magnifice praedicat, Deut. 4. (v. 6. seqq.): „En populus sapiens et intelligens, nec est alia natio tam magna, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quae enim est alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias, justaque judicia et universam legem"? Hi intellexerunt hoc ingens Dei donum.

Quodsi nos Christiani etiam ad hunc modum intelligeremus hoc nostrum tam ingens donum, vere essemus beati, sicut Christus dicit, Lucae 10. (v. 23. 24.): „Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Multi reges voluerunt ea videre, et non viderunt" etc. Imo, ut plus dicam, ego credo, quod, sicut nunc Abrahamum propter hoc donum celebramus, ita ipsum longe magis nos in novo testamento celebraturum: vidit enim diem Christi, ut est Joh. 8. (v. 56.), sed vidit in fide et spiritu tantum. Nos autem de facie ad faciem hanc gloriam videmus, audimus, Deum nobiscum loqui, et promittere remissionem peccatorum in Baptismo, in Coena Filii sui, in vero clavium usu: haec Abraham non habuit: sed spiritu vidit, et credidit.

Major igitur nostra gloria est: sed quia eam non curamus, neque dignas Deo reddimus pro tantis donis gratias, majus pecuniae et opum, majus potentiae et voluptatum studium et cura est: ideo oportet venire Turcam, Papam et innumerabiles alios daemones ex Italia, Hispania et omnibus terrae angulis, qui vexent, fatigent et mactent nos, propter inenarrabilem et indignissimum contemtum.

Est igitur ecclesia discipula Christi, sedens ad pedes ejus, et audiens verbum ejus, ut sciat judicare omnia, quomodo serviendum vocationi, quomodo civilia officia obeunda, imo etiam, quomodo edendum, bibendum, dormiendum sit, ut nulla pars vitae sit in dubio; sed in laetitia et pulcherrimo lumine, undique circumfusi radiis verbi, perpetuo ambulemus.

Sed, proh dolor, dona nostra non videmus, nisi spirituales; hi laetantur, et Deo agunt gratias. Caeteri, quia carnales, ingrati, avari, superbi sunt, ab his

etiam auferetur; quod habent, et accedent poenae, ut pro Christo Satanam, pro Apostolis Haereticos audiant, qui in verbo quaerunt sapientias et glorias suas et alia omnia; praeter illud gaudium et coelestia beneficia, quae verbum ad nos adfert.

Haec miseria merito dolet Christianis omnibus, quod in tanta luce et gloria verbi major pars manet caeca, et tenebras plus diligit, quam lucem. Vident enim, hunc esse fontem omnium publicarum calamitatum, quod ingruunt Turcae, quod haereses crescunt, quod Papa de vindicando regno suo cogitat, quod positum est in invocatione sanctorum, in innumeris commutationibus et venditionibus bonorum operum et aliis, per quae miseras animas hactenus abduxit a verbo. Ibi enim sic laboratum, sic sudatum est, ut etiam cataphracti pedibus ultimas Hispaniae ad sanctum Iacobum irent; cum autem redirent, nesciebant stulti, quid vel fecissent, vel passi essent. Hoc divinum judicium justi Dei fuit.

Accident autem haec, vel etiam his tristiora aliquanto post, nobis sublatis, nostris hominibus: quia illam gratiam, quam desideravit Abraham videre, non curant, cum tamen Abraham vix parvas guttulas harum divitiarum habuerit, quarum nos amplum mare possidemus.

Est autem haec usitata fortuna ecclesiae, ut, quanto verbum copiosius revelatur, tanto major hominum sit ingratitudo. Abutuntur enim eo ad suam gloriam, et ad tegenda peccata. Ideo mittit Deus efficaces errores, sicut Papae exemplum docet, qui loco verbi decreta, decretales suos, legendas sanctorum et alias nugas ecclesiae obtrusit. Vult enim mundus decipi.

Nos igitur discamus in omnibus legendis admirari principalem hanc gloriam verbi Dei, quod, ceu sol, in medio coelo, in hisce sanctorum Patrum historiis lucet. Ac, qui hoc faciunt, transibunt per illos tumultus infinitos et monstra humanorum operum, quae ratio sola admiratur: in hoc autem unum erunt intenti, an et quid Dominus loquatur.

De Hilarione legimus, eum per totos annos LXXIII. neque carnem, nec butyrum, nec lac gustasse. Grande opus hoc videtur, quod rationem quasi attonitam reddit; sed si quaeras: jussune a Deo hoc Hilarion fecit, an sua sponte? ibi, quia lux verbi Dei deest, vilescit in infinitum hoc electitium opus, et vere est tenebrarum opus, praesertim si, ut solet, accessit aliqua superbia spiritualis.

Deus, quia misericors est, bono viro hanc stultam religionem, qua afflixit suum corpus, forte non imputavit: sed si quis hoc opus ad exemplum vellet trahere, et ex eo cultum Dei facere, is in totum esset damnandus, sive sit Hieronymus, sive Hilarion, sive Antonius. Hi enim admiratores et studiosi talium superstitionum fuerunt.

Nobis enim provocandum ad Lydium nostrum lapidem, ad verbum Dei respiciendum est, et non simpliciter acquiescendum in tali monstrosa sanctitate, sed quaerendum, an Deus ita jusserit.

Si enim vides, hominem baptisatum incedere in fide baptismatis sui, et in confessione verbi, ac facere opera vocationis suae, haec opera, utcunque sint vilia, sunt vere sancta et mirabilia Dei opera: sed non sunt speciosa in oculis hominum.

Accurate igitur discernendum est inter gloriam verbi Dei, quod solum vera lux et summus ornatus

est inter ista monstrosa et speciosa opera. Ea enim opera Deo placent, quae jussu ipsius suscipimus.

Saul in speciem recte facit, quod non omnia jumenta Amalechitarum mactat, sed servat electiora ad cultum, sed quia Deus per Prophetam jusserat diserte, omnia mactanda esse, commovetur hoc facto Deus ad extremam indignationem, et speciosum opus mera est abominatio, quia contra Dei verbum susceptum est. Igitur scriptura infaustis nominibus ariolari et idolatrare vocat, non audire verbum Dei, seu aliquid sine aut contra verbum Dei suscipere. Horribilis profecto sententia et definitio, praesertim si spectes, quam hoc in mundo frequens et usitatum sit. Ideo Paulus quoque ad Col. (2, 18. 20.) monet cavendos, qui in ἐϑελοϑρησκείᾳ ambulant, etsi in speciem Angelorum religio esse videatur. Sunt, inquit, mandata hominum, hoc est, non habent illum solem et gloriam, verbum Dei; igitur fugienda sunt, nec habenda pro cultibus.

Sum nimium in hoc textu verbosus: sed doctus meo periculo scio, quam haec sit necessaria admonitio et doctrina. Praecipit scriptura ubique, ut humiliemur, et caveamus superbiam ceu fontem, ex quo indignatio Dei profluit. Sed non est superbia de verbo Dei magnifice sentire, et gloriari.

Aetas, sexus, vocationes in hac vita varie differunt: alius docet ecclesiam, alius servit reipublicae, alius instituit juventutem, mater studio suo fovet et excolit liberos, maritus de victu honeste parando sollicitus est. Sunt haec, ut mundus judicat, non adeo magnifica et speciosa opera. Sed si respicias ad verbum, ad illud coeleste ornamentum et gloriam divinam, *cur non* contra Satanam superbires, cur non

gratias Deo de tantis donis ageres? Non enim nuda sunt opera, sed ornata verbo Dei; sunt enim divinitus tibi injuncta, cum e contra illa superstitiosa in mundo sunt, ut Paulus (Col. 2, 23.) ait, ἐθελοθρησκεῖαι, sine verbo Dei, et, ut idem Paulus (Ephes. 5, 11.) appellat „opera infructuosa".

Atqui, inquiunt, Papa et ecclesia ea praeceperunt?. Nihil ad nos Papa, nihil ecclesia. Imo ecclesia non est, quae a verbo abducit, quae per electos cultus idolatriam et scandala auget, et perditionem animarum, non Dei gloriam adjuvat. Ecclesia enim est discipula Christi, et quanquam docet, tamen non docet, nisi a Christo tradita: facit enim idem Spiritus Dei, Iohan. 16. (v. 14.): „De meo accipiet".

Si igitur volumus exercere pietatem, faciamus id non per infructuosa, sed fructuosa opera; hoc est, primo omnium amplectamur verbum Dei, et credamus in Christum; deinde incedamus in simplici vocatione. Maritus alat familiam, ancilla pareat dominae suae, materfamilias lavet, ornet, doceat liberos.

Haec opera, quia in vocatione et in fide Filii Dei fiunt, fulgent in conspectu Dei, Angelorum et totius ecclesiae Dei. Sunt enim vestita coelesti luce, verbo Dei, etsi in conspectu ecclesiae Pontificis contemnuntur, quod vulgaria et usitata sint.

Inculco haec, ut dixi, non sine causa, sed necessario. Lubricum enim est ingenium hominis, quod facile movetur, et caro nostra stultissima est: facillime igitur capitur istis portentosis et inusitatis operibus.

Fateor autem, per Dei sanctos in speciem similia facta, sicut Ioannes vino abstinet, locustis vescitur, vestitur camelina pelle. Sed caecus prorsus es,

si differentiam tam insignem non animadvertis. Facit enim ista jussus, sicut scimus, Nazarenum fuisse, et divinitus in desertum esse vocatum.

Quin, ut videmus in hac historia Abrahae, Abraham et Loth separantur: separatio haec non quidem mandata est speciali verbo, et tamen Deus eam probat. Pergit enim cum Abraha loqui, et quidem familiarissime cum eo loquitur, ita ut appareat, non solum non offensum Deum hac loci mutatione, sed etiam probare eam. Ergo probat Deus opera suscepta sine verbo?

Non. Etsi enim Sancti non semper habent singulare, seu speciale verbum, tamen non peccant contra generale verbum: imo, quia in fide Filii Dei faciunt, quae faciunt, omnino recte faciunt. Sic liberum fuit Lotho secedere, in quam partem vellet.

Nobis liberum est vel carne vel piscibus vesci, bibere vel aquam vel vinum, modo habeatur ratio valetudinis, et cum gratiarum actione in usum nostrum creatis utamur. Non enim praecepit Deus contraria: Papa contraria praecipit, ut scilicet die Veneris et Saturni carnibus abstineamus. Sed qui Papam agnoscit magistrum, is partem cum Christo non habet.

Ad hunc modum probat hoc in loco discessionem propinquorum Dominus, et confirmat eam, si quidem cum Abraha sic colloquitur familiariter. Sed non in Abraha tantum hoc beneficium praedicandum: nos, ut supra dixi, in hac parte Abrahamum antecellimus. Quod enim Abrahae aliquoties contigit, nobis contingit cotidie: ut Deus nobiscum colloquatur non de corporalibus benedictionibus, sed de aeternis.

Sed, inquies, quomodo Deus locutus est Abra-

hae? Num de coelo, sicut cum Paulo colloquitur Christus ad Damascum? Mea haec sententia est: Factum hoc per Patriarcham Sem, et per humanum ministerium. Sicut Paulus quoque loquitur 1. Thess. 2. (v. 13.): „Suscepistis a nobis verbum, non ut verbum hominis, sed ut revera est, Dei verbum, qui in vobis efficax est, qui creditis". Sic Christus: „Qui vos audit, me audit" (Luc. 10, 16.).

Sumus igitur obruti opulentia divinae misericordiae, si quidem hanc lucem tam habemus copiose, quod Deus per ministerium hominum ubique se nobis offert, et nobiscum colloquitur. Pro hoc beneficio erant gratiae agendae Deo, et ex animo gaudendum. Probat enim, nos esse Dei familiares, et curae esse Domino, sive vivimus, sive morimur. Hoc tantum bonum si potuissent consequi Cicero, Plato et alii, an putas, eos fuisse conquieturos, et non potius extremas orbis partes adituros? Tanto autem nos majore in periculo sumus, si ingrati fuerimus pro tanto dono. Non enim cessabit ira Dei, quae etiamnum nobis per Turcam et Pontifices minatur, homines, quod ad odium et crudelitatem attinet, daemonibus proximos.

Notabis igitur initio vocabula haec: „Dixit Dominus". Summa enim gloria, summum beneficium est, hunc audire. Iudico autem, Dominum non hic, ut supra, apparuisse Abrahae, sed locutum ei esse per Sem seu Melchizedech.

Magna igitur virtus est, quod Abraham sic se verbo patitur regi, et ut divinum oraculum accipit, quod ex patre Sem audit.

Observabis autem, quod, etsi regio, in quam Loth commigravit, contigua esset cum terra Canaan,

tamen Dominus eam hoc in loco separat a terra Canaan, nec includit eam in promissionem, quam Abrahae facit. Causa hujus est, quod videt, eam funditus propter peccatum delendam. Ideo Loth quoque tantum ad tempus ibi hospes est. Propter peccatum enim, sicut sequitur, primo bellis vexata est; postea cum poenitentiam negligere pergerent, penitus est vastata igni coelo demisso.

Promissio, quae hoc loco Abrahae fit, maxime loquitur de corporali beneficio, sicut illa supra in duodecimo de spirituali. Facilis igitur est, nec opus habet longiore explicatione, si modo observes, quam mirabile sit, quod per promissionem Abraham dominus totius hujus terrae est, et tamen revera ne quidem pedis spatium habet aut possidet. Hujus exemplo qui discunt verbo niti, tandem experientur, non frustra se credidisse.

Et ponam semen tuum quasi pulverem terrae. Si homo poterit numerare pulverem terrae, numerabitur quoque semen tuum.

Haec particula ideo est notanda, quia infra, ubi altera pars primae promissionis spiritualis explicabitur, Moses aliter loquitur, et jubet Abrahamum numerare stellas. Illic igitur posteritatem Abrahae comparat stellis et luminibus coeli, hic autem pulveri terrae.

Significatur autem his similitudinibus duplex Abrahae posteritas: una terrena et corporalis, altera coelestis, spiritualis et aeterna. Praesens igitur promissio tota corporalis est, de possessione terrae Canaan, quod carnalis Israel debeat multiplicari. Ideo similitudine de pulvere terrae utitur. At ubi postea

pro-

promissio aeterna de Isaaco fit, et de coelesti semine, Christo et ecclesia: ibi stellas jubetur numerare.

Hinc sine dubio Prophetae didicerunt, ut appellarent populum Dei coelum, item exercitum coelorum, et pios doctores stellas. Sicut Daniel (8, 10.) de Antiocho dicit, deturbaturum eum stellas coelo in terram. Haec a sacrarum literarum studiosis diligenter sunt observanda.

Sed admonet nos hic locus, ut primum pro confirmatione fidei nostrae, deinde contra pertinaces Iudaeos disputemus. Textus enim hic clarus est, quod etiam carnale semen hanc terram debeat possidere in perpetuum: atqui Iudaei nunc annos mille et quingentos hanc terram non possident; sequitur igitur clare, aut mentiri Mosen, aut Deum Iudaeos, suum populum, abjecisse et deseruisse, ut non amplius sint Dei populus.

Quid hic respondes, circumcise? Durum erit dicere, quod Moses mentiatur: et tamen res loquitur, excidisse gentem tuam ab ista possessione terrae Canaan.

Si dices, hoc factum propter peccata tui populi, nonne Deus promittit haec ipsi Abrahae, antequam semen haberet, et antequam peccarent? Deinde si peccatorum hanc esse poenam statuis, age, an non peccarunt majores tui ante captivitatem Babylonicam? Occiderunt enim Prophetas, filios et filias immolabant daemonibus, et piorum sanguinem tanquam aquam effundebant: et tamen Deus, etsi succenseret eis, et ad tempus abjiceret, non tamen deseruit penitus: dedit doctores, dedit Prophetas, tandem etiam restituit eos in terram Canaan. Quin in ipsa captivitate exsules corporibus corde tamen hae-

serunt, et manserunt in terra Canaan, quam norant sibi post septuaginta annos restituendam.

Ad haec confer praesentia. Nullam promissionem, nullam certam exspectationem, nullum definitum exsilii tui tempus habes. Ubi manet igitur promissio haec? An non sequitur, aut Deum mentitum, aut Iudaeos non amplius esse populum Dei? Sed Deum mentiri impossibile est: relinquitur igitur, Iudaeos a Deo abjectos, et Dei populum esse desiisse.

Nec ullus erit tam callidus Iudaeus, qui hoc argumentum eludat, quod sine definitione aliqua temporis ejecti nunc vivunt ex sua terra annis mille quingentis, sine Prophetis, sine promissionibus, quas in Babylone captivi habebant, et norant, se redituros in Ierusalem,

Sic infra cum jubetur Iacob in Aegyptum migrare, etsi quadringentis annis ibi haereret posteritas ejus, tamen habebat promissionem, post quartam generationem redituros in terram Canaan.

Sed sub Romanorum monarchia Iudaei simpliciter sine promissione sunt, sicut Prophetae quoque finalem vastationem minantur. Ergo concludit locus iste, quod Iudaei non sint amplius populus Dei, sed abjecti a Deo, quia negaverunt Christum.

Quod igitur Moses dicit: „Dabo terram hanc semini tuo in seculum", intelligendum id est, usque ad Christum. Eum debebant amplecti et audire: erant enim instituti hujus terrae heredes, donec hic rex ipsorum veniret: quodsi eum admisissent, et audiissent eum, retinuissent promissam terram. Sed quia [Iohannis 11.] eo deleto terram retinere conantur, contrarium fit, ut ipsi pereant sine spe auxilii.

Notabis igitur, quod vocabulum עולם non significat infinitum et aeternum tempus, sed durationem temporis incerti, seu longinquum tempus sine certa determinatione.

Sic Exodi 21. (v. 6.) dicitur de servo, cujus auris in signum perpetuae servitutis perforata est: „Erit servus in sempiternum“, hoc est, quam diu vixerit; et postea per totum Mosen repetitur haec vox עולם hac incerti, sed tamen finiti temporis significatione: „Legitimum erit in generationibus vestris in sempiternum“ (Num. 18, 23.), hoc est, usque ad Christum.

Non igitur poterunt evadere Iudaei, quin cogantur fateri, se non esse amplius populum Dei, quia, si essent populus Dei, haberent terram illam. Nunc cum ejecti ex ea sint, quis eos credet esse Abrahae semen?

Nostris temporibus in Moravis natum est stolidum hominum genus, Sabbatharii, qui Iudaeorum exemplo Sabbathum servandum contendunt, et forte circumcisionem quoque pari ratione urgebunt. Tales pestes nostrae ecclesiae, in quibus verbum Dei sonat, non norunt, sed iis in locis, ubi principum furoribus evangelion excluditur, omnia iis plena sunt.

Homines indocti et stulti capiuntur hac unica voce, quam hoc loco Moses usurpat: quod Iudaei debeant caeremonias et cultus hos retinere in sempiternum. Igitur, inquiunt, Sabbathum, circumcisio et aliae caeremoniae non debuerunt aboleri in totum, sed retinendae sunt.

Atqui tu oppone hunc locum: „Tibi et semini tuo dabo hanc terram in sempiternum“, et urge tum Iudaeos, tum simias eorum, Sabbatharios, ubi sit terra, quae ipsis in possessionem data est? Si

enim terram non habent, quomodo sacrificia, quomodo alia, quae in lege praecepta sunt, urgere possunt? Mandata enim haec diserte sunt semini isti, quod promissionem et possessionem habuit terrae Canaan. Cessante igitur terra et amissa, cessat etiam lex, cessat regnum, cessat sacerdotium, cessat Sabbathum, circumcisio etc.

Magnum profecto miraculum est, tam ridicula ratione in tantum errorem posse induci homines. Etsi igitur parergon hoc est, tamen necessarium est, particulam עולם non significare infinitum tempus, sed finitum.

Surge, perambula terram juxta longitudinem et latitudinem ejus, quoniam tibi eam dabo.

Vides, Abrahamum, qui secundum promissionem dominus est terrae Canaan, esse tantum hospitem, nec habere certum locum, in quo cum suis acquiescat: jubetur enim de uno loco in alium migrare. Atque haec causa est, quod Patres etiam corporales promissiones cum spirituali intellectu inspexerunt. Sicut epistola ad Hebraeos pulcherrime dicit (11, 9. 10.): „Fide Abraham habitavit in terra promissionis tanquam aliena, habitans in tabernaculis cum Isaac et Iacob, heredibus ejusdem promissionis. Exspectabat enim aliam civitatem habentem fundamenta, cujus artifex et exstructor Deus est". Hac fide longum et molestum exsilium vicit Abraham, nec offendit eum, quod Loth et certam et commodissimam sedem haberet.

Et tabernaculum fixit Abram, et venit ac *habitavit* in convallibus Mamre, quae

sunt in Hebron; et aedificavit ibi altare Domino.

Mamre proprium viri nomen est, sicut patet ex sequenti capite, in quo Mose dicit Amorraeum fuisse. Vocabulum אֵלוֹנֵי alii nemus, alii planitiem exponunt. Utcunque sit (grammaticis enim haec committimus), habitavit Mamre, sicut apud nos solet nobilitas, in agro juxta nobilem civitatem Hebron, quae in vicinia habuit אֵלוֹנִים, hoc est, nemus seu quercetum, sicut plerunque civitates habent in vicinia nemora tum propter pascua, tum etiam propter lignorum commoditatem: apud hunc Mamre invenit hospitium Abram cum universa sua domo.

Singulari autem studio meminit Mose, aedificatum ibi altare Domino, hoc est, ut supra quoque dixi, Abrahamum eo in loco praedicasse, et de vero Dei cultu docuisse.

Est autem haec non exigua consolatio, quod Deus etiam reliquias ex gentibus colligit, eosque facit participes benedictionis Abrahae. Nisi enim Mamre pius et bonus vir fuisset, ac cum Abraha credidisset in verum Deum, ejusque verbum ex Abraha audivisset, nec ipse Abrahamum excepisset hospitio, nec Abraham divertisset ad eum.

Ergo illo tempore inter gentes quoque habuit cultores suos Deus, quos mirabiliter per sanctum Patriarcham vocavit, secundum promissionem supra in 12. (v. 3.) factam. „Eris, inquit, in benedictionem", hoc est, benedictio sic in te haerebit, quocunque venias, ut per tuum ministerium alii quoque ad benedictionem veniant. Ad hunc modum Christus (Matth. 10, 12. 13.) quoque discipulos suos mittit: „Si fuerit domus digna, veniat pax vestra super eam."

Sic Mamre excipit Abrahamum hospitio cum omni sua familia. Inde hoc bonum ei contingit, ut audiat Abrahamum docentem suos de Deo et vero cultu: hanc doctrinam amplectitur Mamre, et fit ex ramo silvestri et sterili una radix et arbor fertilis, fit socius fidei et benedictionis, seque ita conjungit cum sancto Patriarcha, ut etiam cum duobus fratribus Abrahamum contra gentes et pro Deo belligerantem adjuvet.

Notandus igitur locus hic est contra Iudaeos, quod benedictio per sanctum Abraham manat etiam in gentes, qui ad promissionem proprie non pertinebant.

Nam Iudaeorum haec opinio est, quod soli sint populus Dei; omnes autem gentes sint abjectae a Deo. Atqui scriptura talium historiarum plena est, quod etiam gentes sint vocatae ad societatem promissionis per sanctos Prophetas.

Ac praecipue sancti Patriarchae hoc studiose egerunt, ut quam plurimos ad cognitionem Dei traducerent. Ideo Abraham non tantum curat rem suam familiarem, sed exstruit quoque altare. Ibi docet de vera religione, ibi invocat Deum, ibi externos cultus publice exercet; huic se adjungit Amorraeus Mamre cum fratribus, atque ita constituitur numerosa ecclesia.

DECIMUM QUARTUM CAPUT GENESIS.

Et factum est in diebus Amraphel, regis Sinear, Arioch, regis Elassar, Kedorlaomer, regis Elam, et Thideal, regis gentium, et commiserunt hi proelium cum Bera, rege Sodomae, et cum Birsa, rege Gomorrae, cum Sineab, rege Adama, et Semeber, rege Zeboim et rege Bela, haec est Zoar.

Praesens locus videtur plane esse sterilis, et tamen Moses satis copiosus est in descriptione temporis et loci. Varie autem est depravatus negligentia vel imperitia notariorum.

Primo autem omnium hoc sciendum est, Mosen per anticipationem, sicut Lyra vocat, vocabulis sui temporis uti, quae, cum ista gererentur, ignota erant. Nam sequentibus temporibus haec nomina his locis sunt indita.

Regem Amraphel existimant Iudaei Nimrod esse, de quo supra diximus. Hoc sive recte dicatur, sive non, ignoro: nulla enim sunt argumenta, quibus certo niti possimus. Relinquamus igitur hic magisterium suum Spiritui sancto, qui haec ita scribi voluit, et contenti eo simus, quod hic Amraphel fuerit rex Babylonis seu Sinear.

Notum autem est ex historia sacra, primum regnum post diluvium seu dispersionem linguarum fuisse Babylona, in fertilissimo loco; constitutum autem id regnum est a Nimrod, nepote Ham, cui cessit Africa. Ejus filius Chus possedit Aegyptum. Nepos autem Ham, Nimrod, non contentus patriis limitibus, adortus est sanctam generationem in oriente, et per

tyrannidem occupavit terram Sinear, et aedificavit Babylona, sicut supra commemoravit Moses in undecimo (v. 2.). Saepius autem vastata est Babylon, et translatum regnum primo in Assyriam, inde, oppressis Assyriis, rursus in Babylonem, post ad Persas et Medos etc.

Secundus rex est Arioch; eum noster interpres regem Ponti facit: sed Moses dicit, fuisse regem Elassar. Hic divinandum est, quid sit Elassar: inducor autem similitudine nominis, ut, sicut Babylon est ad orientem, ita Elassar sit ad aquilonem, Assyria scilicet.

Tertius rex est Kedorlaomer, rex Elam, hoc est Persiae, magnae et amplae regionis ad meridiem.

Quartus Thideal, rex gentium. Observanda autem hic est phrasis scripturae sanctae, quae gentes vocat illos populos, quos nostrum mare mediterraneum alluit. Sic Paulus gentium Apostolus dicitur, quod potissime missus sit ad gentes, maris mediterranei accolas, ad occidentem usque. Hic igitur rex tenuit Ciliciam et vicinas regiones.

Hi tum fuerunt monarchae et Caesares, ac communi consilio moverunt bellum contra quinque civitatum reges: seu irritati ab eis, sicut Moses paulo post exponet, defecisse eos a Kedorlaomer (quia enim ea terrae pars cultissima et uberrima fuit, impatientes fuerunt jugi, et sustulerunt animos), seu invitati spe melioris soli occupandi.

Sicut enim in principio fuit, sic nunc et semper et in secula seculorum est, ut principes suis non contenti appetant aliena, si sint meliora, secundum Germanicum proverbium: was gut ist, greifft jederman nach. Mediolanum si non tam felici solo posi-

tum esset, neutiquam tantae de eo regum fuissent dimicationes. Haec fortasse hujus quoque primi belli, cujus scriptura meminit, fuit occasio.

Zoar, cujus ultimo Moses meminit, fuit una istarum quinque civitatum, sed minima, ad quam Loth fugit. Spatium istius terrae adhuc exstat; non igitur magna istarum civitatum potentia fuit, etsi ager esset cultissimus et fertilissimus.

Omnes isti conjuncti sunt in valle Siddim, ubi est mare salis.

Dixi supra, Mosen praesentibus et sui temporis appellationibus uti: nam isto tempore mare salis nondum fuit: vocatur autem in scriptura mare salis lacus Asphaltites, seu mare mortuum, de quo paulo ante diximus. Mosis igitur temporibus totus ille ager seu campus fuit bituminosus lacus, qui tum, cum bellum hic gereretur, erat vallis שדים, hoc est, agrorum, cultissimus locus et uberrimus, quem irrigabat ceu hortum fluvius Iordanis.

Duodecim enim annis servierant Kedorlaomer, et tertio decimo anno rebellaverunt: quarto decimo vero anno venit Kedorlaomer atque reges, qui cum eo erant, et percusserunt Rephaim in Asteroth, Karnaim atque Zuzim in Ham, et Emim in planitie Kiriathaim, et Horaeum in montanis Seir, usque ad planitiem Pharan, quae est juxta desertum.

Hic locus ceu spinetum est propter amissa vocabula, et tamen est nobis perrumpendum: causam expeditionis commemorat et fortunam. Rephaim ap-

pellantur a רָפָא, sanavit, quasi dicas, salvatores terrae, patres patriae. Hoc nomen illis temporibus regum fuit, sicut Saxones nobiles appellant Gutman. Nobilitas enim debet studere virtuti, et prodesse suis; ideo enim opes tenent, et dignitate antecellunt vulgus, quod nihil nisi sua commoda quaerit, et ideo indulget cupiditatibus. At nobilitas altiores spiritus gerat, occupetur publicis negotiis, et defendat fortiter suos, exemplo suos invitet ad virtutem, non, ut nunc solent, helluetur, latrocinetur, expilet, spoliet suos.

Eximia igitur appellatio est magistratus, quod sint Rephaim, salvatores seu medici, qui ulcera et pestes corporum sanent, qui fures et latrones jugulent, et defendant ab injuriis suos.

Sed sicut nunc fit, ita etiam tum factum est: potentia facit insolentes et tyrannos. Caro enim nostra infirmior est, quam ut gloriam et potentiam recte ferre possit; igitur suavissimum hoc nomen male audire coepit, et Rephaim propter degenerantem nobilitatem sunt dicti gigantes et tyranni. Ideo excitavit Deus hos quatuor reges ad illos Rephaim puniendos, qui obliti sui muneris non medici et salvatores, sed oppressores libertatis et rerum publicarum erant.

Asteroth Karnaim videtur vocare regnum, quod post Og Basan appellatum est, ultra Iordanem in vicinia harum quinque civitatum. Meminit autem Iosue (12, 4.) quoque, fuisse ex his Rephaim aliquos reliquos; percussi enim sunt, non autem deleti. Ammonitae et Moabitae postea ea loca tenuerunt. Ham, in qua Zuzim esse dicit, quid sit, nescio; ratio autem arguit, vicinos fuisse Rephaim in Asteroth. Emim ex Mose celebres sunt; postea Edomitae ea loca habitarunt. Hodie Arabia Petraea appellatur.

Apparet igitur, hos quatuor reges ab oriente profectos ad meridiem. Sunt autem haec quoque nomina honesta, quibus magistratum ornarunt. זוזים enim significat robustos, sicut Germanice vocamus, die tewren Helden, contemtores periculorum, qui pro patria vitam profundere parati sunt. אֵימִים significat reverendos, tremendos, metuendos, quos vulgus observare et colere debet. Horaei etiam sunt Edomitae, pars Petraeae Arabiae, quos Edomitae expulerunt. Pharan desertum notum est ex Mose; attingit tribum Iuda a meridie.

Et reversi venerunt ad fontem Mispath, quae est Cades, et percusserunt omnem regionem Amalech: item Amorraeum habitantem in Hazezon Thamar.

Fons Mispath seu judicii notus locus est ex Mose libro quarto. Amalech habitavit inter Aegyptum et terram sanctam. Hazezon Thamar alio nomine appellatur Engaddi, optimus locus in orbe terrarum, et proximus quinque civitatibus, reliquiae Paradisi.

Apparet igitur, hos quatuor reges Edomitas, Amalecitas, Ismaelitas, Midianitas et circum circa vicinas regiones primum devicisse, postea quinque civitates, ut jam nudatas praesidiis vicinorum, invasisse.

Et egressus est rex Sodomae et rex Gomorrae atque rex Adama et rex Zeboim et rex Bela, quae est Zoar, et inierunt cum eis bellum in valle Siddim, scilicet cum Kedorlaomer, rege Elam, et Thideal, rege gentium, et Amraphel, rege Sinear,

atque Arioch, rege Elassar, quatuor reges cum quinque. Porro vallis Siddim erat plena fontibus bituminis: et fugerunt rex Sodomae atque Gomorrae, et ceciderunt ibi; et qui remanserant, fugerunt in montem, et accipientes omnem substantiam Sodomae atque Gomorrae, et omne alimentum illorum abierunt.

De fontibus bituminis varia disputant. Alii enim sentiunt, fuisse fossas, ex quibus vel argillam vel caementum effoderint: alii, ut Moses appellat, fontes esse sentiunt. Quicquid autem fuit, peculiare quoddam donum fuit ad aedificationem utile et necessarium: sicut de Alexandro historiae commemorant, quod in Babylone fontes bituminis foderit. Forte autem ideo horum fontium meminit Mose, quod pavidus miles, cum fuga salutem quaereret, in eos ceciderit et perierit.

Si tempus supputamus, vix triginta anni post mortem Noah abierunt, cum hoc bellum est coeptum. Vixerunt tum Sem et sex alii Patriarchae. His sanctissimis viris gubernantibus et docentibus mundum tanti tumultus exoriuntur.

Horribile autem exemplum hoc est, tam cito oblitos homines diluvii et dispersionis linguarum, studuisse tyrannidi, et turbasse mundum bellis. Viderunt haec sancti Patriarchae, sed cum summo dolore, nec potuerunt mederi tantis malis.

Habes igitur hic descriptam faciem mundi, qui non solum obliviscitur verbi Dei, sed etiam illud contemnit; igitur involvitur dignis poenis.

Accidet autem idem Germaniae me mortuo, si

quidem adhuc vivens multa indigna audire et videre cogor, quae sine gravibus poenis non abibunt.

Atque haec causa est, cur hoc bellum Moses tam describat diligenter, ut scilicet videamus regnum Diaboli et rationis. Vult Deus, esse imperia, vult damnari nocentes, et defendi pios. Sed Satan corrumpit animos, ut magistratus degenerent in tyrannos. Inde sequuntur bella et seditiones, poenae peccatorum; hae quoque pios involvunt, sicut de Loth jam audiemus; sed Dominus novit eripere justum in die malo.

Abduxerunt quoque Loth et substantiam ejus, filium fratris Abram, et recesserunt. Habitabat enim ille in Sodoma, et venit quidam, qui evaserat, et indicavit Abrae Hebraeo, qui habitabat in convallibus Mamre, Amorraei, fratris Esclo, et fratris Aner, qui foedus habebant cum Abram.

Hic veram causam ostendit *) Moses, cur tam copiosam hujus belli historiam instituerit: ut scilicet commendet nobis ingens hoc miraculum, quod sequitur praeclaram victoriam Abrahae.

Est autem plenior locus hic et augustior, quam ut possim omnes ejus particulas pro dignitate explicare: hoc tamen praecipuum est, et caput hujus doctrinae, ut videas, quomodo Deus suos subjiciat cruci: et quanquam liberationem differt, tamen gloriose tandem eos eripit periculis, et victores constituit, sed prius bene vexatos, et variis certaminibus ad desperationem usque defatigatos.

Hunc divinum ordinem, quo nos gubernat Deus, videre utilissimum et pernecessarium est. Ita enim dis-

*) Haec quatuor verba non exstant in edit. princ.

simus in rebus adversis praestare patientiam, et confidere bonitate Dei, ac sperare salutem: in laetis autem humiliari, ac Deo gloriam tribuere. Utrunque enim solet, deducere ad inferos et reducere, affligere et consolari, mortificare et vivificare. Hunc ludum cum suis sanctis ludit perpetuis vicibus. Non enim in hac vita, ut in futura, solidum ullum est gaudium; jam irato similis infligit poenas, jam, sicut blandus pater, fovet et consolatur filios suos.

Haec discenda sunt diligenter, ut simus parati ad omnem fortunam: quemadmodum Paulus de se dicit, Philipp. 4. (v. 11 seqq.): „Ego didici contentus esse iis, quae habeo; scio humiliari, et scio abundare etc., omnia possum per Christum, qui me confirmat".

Non igitur haec historia propter istos quinque reges scripta est, sed propter nos, ut in tentatione simus fortes, extra tentationem autem humiles et grati.

Hanc viam qui tenere potest, quae vere est regia via, beatus est. Erigitur enim spe, cum adversae res sunt, nec frangitur animo. Rursus, cum laeta omnia sunt, non effertur, nec insolescit: sed recte dixit ille: Medium tenuere beati. Animus enim humanus in utranque partem infirmissimus, et quod creditu difficillimum est, facilius durat in adversis.

Notandum hoc in loco est vocabulum הַפָּלִיט, significat ereptum, et ut nos solemus dicere, reliquias alicujus cladis, die entkommen sind; est autem propria appellatio sanctorum. Hos enim Deus sic immergi periculis sinit, ut deplorati videantur: et tamen mirabili modo liberantur tandem. Sic cum totus mundus damnabitur, nos, qui Christum confitemur, et in ejus morte confidimus, tanquam *reliquiae* servabimur.

Iudaei varia nugantur de hoc viro, qui evasit. Neglectis enim locis, qui erudiunt ad fidem, spem et patientiam, hujusmodi nugas sectantur. Non autem prorsus fructu caret, tales nugas et ineptias stolidorum hominum nosse. Quis enim non videt, eas esse poenas pertinacis diffidentiae seu incredulitatis?

Mentiuntur igitur, hunc cladis nuntium fuisse regem Og, quia fuit de posteritate Rephaim: cum tamen historia ostendat, annis amplius quadringentis post occisum Og a Mose, cum ex Aegypto profectus esset. Sic scilicet probant nobis eruditionem et doctrinam suam impii Iudaei.

Quanto erat utilius omittere disputationem illam de persona? Quid enim ad nos, quisquis tandem fuerit ille nuntius, et quod fuerit ejus nomen? ac considerare illud, quod circumstantiae omnes ostendunt et probant: fuisse scilicet hominem pium et sanctum, qui magni fecerit Patriarcham Abraham, et cum certa spe liberationis divinitus per ipsum donandae ad ipsum venerit.

Cur enim huic potissimum hunc nuntium affert? Cur non contentus sua salute redit ad sua? Sed torquetur primum clade fratrum; deinde spem habet, futurum, ut Deus per Abrahamum tanquam carum suum servatorem captivos liberet, et insolentiam gentium compescat. Haec ejus voluntas cum fructu consideratur, nomen ipsum nihil admodum ad rem facit, sive id scias, sive nescias.

Abraham hoc in loco primum cognomine Ebraeus appellatur. Disputant autem de hoc nomine prolixe: Augustinus, quanquam eam sententiam postea retractat, et Burgensis quoque in ea sententia est, ut putet, ab Abrahamo Ebraeos dici; sed falso.

Supra enim audivimus, commendari domum Eber cap. 10. qui fuerit pater omnium filiorum Eber: ab hoc cognomen sortitur Abram, et Hebraeus vocatur, quod Eberi fidem et confessionem retinuerit.

Eber enim, cum reliqui omnes, relicta sana doctrina et vero Dei cultu, converterentur ad diversas sectas in illo monstro divisionis linguarum, verum cultum retinuit, et se opposuit idolatriae Babyloniorum, vicitque scandalum illud horrendum, quod Nimrod cum suis excitavit. Atque hanc ob causam meruit, ut tota ejus posteritas, hoc est, ecclesia ipsa, usque ad Christum Hebraei appellarentur. Hujus sectator cum esset Abram, Hebraeus dicitur, non tam propter sanguinem, quam propter religionem ab Hebero acceptam.

Ubicunque igitur hoc nomen in scripturis ponitur, intellige per Hebraeos purae religionis sectatores et veram ecclesiam.

Ita Abram diserte hic Ebraeus appellatur, hoc est, unus de puris et veris sanctis, qui non degeneravit, ut reliqui, a domo Sem, et aliorum sanctorum Patrum.

Quod ad etymon attinet, עֵבֶר est adverbium, et significat trans, seu ultra. Nam Hebraea lingua non distinguit inter citra et ultra; hinc עִבְרִי, transitor, der hinüber ist. Hoc nomen Ebero fortasse a parente per Spiritum sanctum est inditum, quod separaturus esset se ab idolatris, nec cum eis habitaturus.

Abraham audito nuntio non movetur quinque civitatum periculo et regum: sed de fratre Loth dolet. Communicat igitur consilium cum Mamre, Aner et Escol fratribus, et hortatur eos ad ferendam opem: ac dicit textus, fuisse inter eos foedus.

Non

Non solum igitur humanitatis laudem merentur, quod Abrahamum peregrinum exceperunt hospitio, sed etiam sanctitatis et pietatis. Nisi enim veram Dei cognitionem habuissent, et deserta idolatria Deum vere didicissent colere, neutiquam cum eis se foedere conjunxisset Abram.

In eo autem singulariter elucet fides, quod non moti periculo recusant auxilia; sed cum Abra se conjungunt, certi, Deum ipsi affuturum, et donaturum victoriam. Quam autem hoc difficile fuerit creditu, facile aestimabit, qui et victorias quatuor regum tam praeclaras, et potentiam consideraverit. Quid enim ad hos est Abraham cum suis auxiliis?

Sed sancti hi Amorritae, per Abramum participes facti benedictionis divinae, consolantur se certa spe auxilii divini: norunt Abramum Deo carum. Igitur periculum nullum metuunt, et se conjungunt cum eo. Ideo Spiritus sanctus singulariter commendare eorum pietatem voluit, cum ostendit, foedere junctos cum Abra tulisse ei opem.

Audiens vero Abram, quod captus esset frater suus, expedivit exercitatos adolescentes suos, filios domus suae trecentos decem et octo, et insecutus est illos usque ad Dan.

Est insigne hic exemplum fraterni amoris. Audivit sine dubio Abram de quinque regibus fusis et civitatibus direptis; sed horum causa se non armat: norat enim, ut scriptura dixit, pessimos esse omnium hominum. Non igitur repugnat justo Dei judicio: sinit, quod ad illos attinet, grassari poenam.

Sed fratris alia erat conditio: ille norat Deum, Deum invocabat et colebat, ac dolebat ei ista suorum civium impietas: hunc igitur dignum liberatione esse judicat, et expedit vernaculos suos, hoc est, instruit et armat eos.

Nam verbum הֵרִיק proprie significat gladium expedire, seu evaginare. Sic in Psalmo: „Educ frameam tuam, et conclude inimicos“ etc. (35, 3.), ubi translatio nostra: effunde, habet; sed hic recte vertas pro armare.

Quod Latinus habet vernaculos, in Hebraeo est חֲנִיכִים. Derivatur autem a verbo חָנַךְ, quod significat dedicare, seu consecrare. Sic vocant dedicare vineam, domum, sponsam, pro possidere, seu quod Germanice dicimus, in die gewehr nemen und besetzen. Dedicatur igitur domus, cum habitatur. Hinc dicuntur חֲנִיכִים, qui in domo alicujus patrisfamilias educati et edocti sunt.

Licet autem inde aestimare opes et potentiam Abrae, qui tot habuit vernaculos domi suae educatos, ac bello aptos.

Inter hos multi fuerunt mariti, qui ipsi quoque abundaverunt sobole. Itaque familiam Abrae, si numeres liberos, matres, ancillas, puto fuisse, ut minimum, mille hominum, quos omnes ipse aluit. Nam ubi trecenti et decem ac octo viri sunt bello maturi, atque, ut scriptura appellat, חֲנִיכִים, nati et educati in domo: ibi necesse est, sint plures fratres, sorores, filiae, matres.

Mirabiliter igitur Deus cum hoc sancto Patriarcha lusit, quod dat ei tam numerosam familiam, et *tamen ne quidem vestigium pedis ei dat.*

Considera autem praesentes mores; vix maritus cum uxore exules invenire pro se locum possunt, in quo morentur.

Necesse igitur est, humanitate et pietate insignes hos fuisse, qui istum gravem et numerosum patrum familias receperunt. Sine dubio autem major etiam tum fuit frugalitas, non prodegerunt sic monstrose res ad vitam necessarias, ut nunc solemus.

Quidam hunc numerum exercitus Abrahae compararunt cum concilio Niceno, in quo trecenti decem et octo Episcopi Arrium percusserunt; sed nihil ista ad rem, etsi allusio sit satis bella.

Et divisus est super eos nocte, ipse et servi ejus, percussitque eos, et persecutus est eos usque ad Hoba, quae Damasco a sinistra est.

Hoc est insigne illud miraculum, quod Spiritus sanctus voluit conspici ab omni posteritate. Ideo primum quatuor monarchas seu reges descripsit: item victoriam eorum tam insignem et amplam, quod Rephaim, Zuzim et Emim devicerint, quod quinque civitates, devictis ipsorum regibus, spoliaverint.

Quis enim non miretur audacem conatum, quod solus Abraham cum trecentis decem et octo vernaculis, non adsuefactis ad bella, sed ad pecorum curam, et nunc primum armatis, hos quatuor reges victores eorumque exercitus persequitur, et audet invadere? Nonne impossibilis et incredibilis res est?

Consideremus igitur, qualis vir fuerit Abraham: prius ita pavidus, ut ob timorem mortis negaret, Saram uxorem suam esse, nunc autem ita fortis et magnanimus, ac Spiritu sancto sic confirmatus, ut

cum paucis, iisque non adsuefactis ad bellum, quatuor monarchas audeat insequi? Quid in omnium gentium historiis huic animo simile invenis?

Alexandri, Annibales, Scipiones inter se contendunt, quis gloria rerum gestarum vincat; sed ego Abrahamum antepono omnibus. Non enim caeco impetu, aut temerario ausu, sed in fide se hostibus opponit, atque ita vincit. Habuit enim cogitationem, quam neque Alexander, nec Scipio habere potuit: domo per Spiritum sanctum hanc opinionem secum in aciem attulit, quod esset victurus, et redemturus fratrem Loth. Hoc in victoria hac maxime admirabile est, quo omnes omnium gentium victorias quantumvis splendidas vincit.

Reliqua si consideres, est pauper et peregrinus in terra Canaan: non enim vestigium pedis habet proprium; sic autem imbecillo animo est, ut metu mortis in Aegypto neget, Saram uxorem suam esse. Hic autem per Spiritum sanctum sic confirmatur, ut de quatuor monarchis sibi victoriam polliceatur: nec dubium est: hac fide profligasset totius mundi vires.

Quanta autem moderatio haec est, quod victis his monarchis se componit ad tranquillitatem, et deponit arma, cum posset terram Canaan divinitus promissam gladio vindicare?

Sed non facit hoc: manet peregrinus et hospes; vi et armis nihil sibi vindicat: in hos autem reges gladium stringit non cupiditate aliqua motus, sed ut fratrem liberet, quem videbat immerito involvi publicis malis.

Meminerimus igitur, hic non proponi exemplum, *quod imitemur*, sicut Muntzerus et seditiosi rustici,

ui Abrahae exemplo volebant pugnare, cum Abraae spiritum non haberent. Accipit enim gladium braham, et armat suos non temere, sed jussione Spiritus sancti; alias peccasset.

Distinguendum est inter miraculum et exempla: aec imitari debemus, illa sine praesumtione imitari non possumus: imo frustra et cum periculo imitamur. In omnibus igitur actionibus hoc primum est, t certus sis de jussione Dei. Si non es certus, omitte: aut senties malum.

Singularis igitur Spiritus sancti motus hic describitur ad nostram consolationem, ut sciamus, quam irabiliter Deus agat cum sanctis suis, ut discamus i tentatione sperare, extra tentationem autem moderari impetus. Liberato fratre deponit arma Abram; on effertur victoria, nec, cum facillime posset, aris sibi comparat locum, in quo cum suis habitet. am praeclarus victor sua sorte contentus est, et silium, ad quod se vocatum norat, non mutat. Haec igna sunt observatione.

Gessit Samson quoque res maximas et incredibis paene; sed Abrahae victoria longe est clarior, ac erito extollimus insignem ejus fidem, quod non ovetur suorum paucitate, non hostium multitudine, d simpliciter statuit, victoriam suam fore, non iodam temerario motu, sed ex certa spe auxilii divini, quod Spiritus sanctus promittebat.

Non tamen negligit Abram usitata media. Prunter et certo consilio rem aggreditur, et noctu curos et stertentes invadit. Excitati igitur periculo stes per Angelum Domini terrentur, et arripiunt gam; non enim norunt tam paucos esse.

Sic supra audivimus, Pharaonem quoque territum. Hunc eventum praevidit fide Abraham, quod per Angelum suum hostes fugaturus esset Deus; non igitur gladii et arma, sed fides Abrahae fundit hostes. Fidei enim respondet gratia divina: haec cum adest, jam parta victoria est, et tum demum consilia et arma fortunantur.

Militari strategemate utitur, quod et noctu hostes invadit, et diviso exercitu invadit, non in uno, sed in pluribus locis. Itaque metu et periculo turbati hostes putant, infinitam adesse multitudinem, et in fugam se dant. Arma eos terrent: sed revera fides Abrahae et suorum vincit et fugat.

Gedeon vocatur divinitus, et confirmatur etiam miraculis, et tamen trepidat. Abraham sine vocatione tali, sine exercitu, sine signis et miraculis tam potentes hostes invadit. Haec an non insignis fides, et vere heroicus animus fuit?

Dan in finibus terrae Canaan est; Hobam dicit Moses esse ad sinistram Damasci: sed qualis locus fuerit, ignoramus. Relictis igitur castris et omni praeda Abraham sine periculo cum summa securitate hostium opibus potitus est.

Discamus igitur, quali favore suos complectatur Deus, et quam mirabiliter eos gubernet: ac in tentationibus hujusmodi exemplis nos consolemur. Sinit Deus, suos tentari varie, et vexari ad desperationem usque; tandem autem gloriose liberat, et magnifice exaltat. Abram non ausus fuit sperare tantam benedictionem. Satis ei fuit, si liberare fratrem posset: nunc accedunt alia quoque commoda. Sic enim narrat Mose:

Et recuperavit omnem familiam; sed et Loth fratrem suum, et familiam illius reduxit, et mulieres atque populum.

Sic scilicet unus vir Deo dilectus multorum beneficiorum aliis occasio et causa est. Erant homines in quinque civitatibus pessimi. Ideo Deus per bellum eos visitavit: et tamen propter Abrahamum multi liberantur. Vere igitur fuit, ut supra dictum est, „in benedictionem etiam malis“, sicut e contra, cum irascitur Deus, saepe unius noxam luit tota natio aliqua.

Non solum igitur heroicum virum Abrahamum fuisse statuemus; plenus etiam fide fuit et spiritu. Ideo non solum felix fuit, sed etiam moderatissime victoria est usus, et humillime se gessit, ut sequentia ostendent. Potuisset, ut antea dixi, totam terram Canaan occupare post hanc victoriam: sed non intellexit promissiones suas tantum de corporali benedictione. Sustinuit enim in terra Canaan esse exsul, et respexit ad benedictionem spiritualem; sicut Christus dicit: „Abraham vidit diem meum, et gavisus est“ (Ioh. 8, 56.). Merito igitur celebratur, et praefertur omnibus mundi monarchis.

Meminit textus captivarum mulierum, quas reduxit Abram. Ea enim bellorum injuria est, ut imbecillis sexus praedae sit, et impius miles in puellas et matronas pro libidine saeviat. Atque hoc fere tristissimi belli spectaculum est, quod conjugia dissolvit, et rapit prolem. Sed vult Deus istas peccatorum poenas exstare, ut discamus resistere cupiditatibus carnis, et suae voci obedire.

Temperat autem iram mirabili bonitate, idque

propter unum justum hominem, quem eadem poena abripuerat. Fuerunt enim Sodomitae et vicini ipsorum pessimi homines; ideo bello visitabat eos Dominus, et premebat eos ira divina, et tamen sceleratis et ingratis his contingit insigne beneficium per Abram propter pium Loth, et restituuntur eis uxores, liberi, fortunae.

Ad hunc modum ornat Deus suos, ac saepe propter unum et alterum hominem pessimos et ingratissimos servat. Nec dubium est, totum mundum uno momento ruiturum, nisi quidam sancti opponerent se irae Dei, et Deum placarent orationibus suis.

Bene igitur finxerunt veteres poëtae, sine dubio ex sanctorum Patrum sermonibus, Atlanta portasse humeris coelum; sunt enim semper in terra, qui iram Domini portant, et propter quos Deus parcit mundo. Sic Hierusalem non potuit capi aut subverti, dum in ea viverent et docerent Apostoli. Cum autem tempus captivitatis immineret, jubebantur fugere in montana, et in Galilaeam secedere. Sic in evangelio dicit Christus, exercitum a rege missum perdidisse homicidas (Matth. 22, 7.). Et Angelus infra ad Loth dicit: „Vade in Zoar, et salvare ibi: quia non potero facere quicquam, donec egrediaris illuc“ (19, 22.).

Utrunque igitur verum est, quod et Deus malis parcit propter bonos, et cum punit, malos punit.

Sed mundus haec neque credit, neque intelligit. Vide enim Turcam, qui habet incredibiles successus et victorias praeclaras contra nos: nonne sic iis inflatur, ut hoc uno argumento probet, se meliorem et justiorem esse, quam nos? Atqui si haec ecclesia

sanctorum non esset, non solum Turcam, sed totum terrarum orbem funditus everteret Deus.

Sicut per Abram igitur et propter Loth magna multitudo hominum servata est, qui post acceptam cladem, et patriam et reculas suas recipiunt, quod optare nunquam essent ausi, ita adhuc hodie fit: quicquid boni mundus habet, hoc tantum beneficio sanctorum et propter sanctos in terra habet.

Recte igitur feceris, cum benedictionem Dei vides, si te confirmes, et cogites, esse adhuc ecclesiam in terra, non periise sanctum semen in totum, etsi exiguum sit, propter quod Deus toti reliquo mundo benefaciat.

Impii enim contrarium faciunt; se putant causam benedictionis, ac sapientiae et justitiae suae tribuunt cuncta. Ideo securi indulgent voluptatibus, comissantur, superbiunt, sicut Sodomitae. Igitur tandem poenas dant, pii autem servantur.

Valet autem historia haec ad id quoque, ut videas, quomodo boni semper exercentur suis malis: ut scilicet hoc modo magis ac magis purgentur, et quotidie meliores fiant. Electis enim omnia cooperantur in bonum, etiam virga et crux: mortificatur enim caro, confirmatur fides, augetur Spiritus sancti donum.

Contra mali, etiam cum premuntur cruce, deteriores fiunt. Verum enim proverbium Germanicum est; post morbum raro homines meliores fieri. Ad horam quidem poenitent et anguntur, sicut Aegyptius Pharao, sed postea relabuntur in priora vestigia, et pejores etiam fiunt. Haec impiorum natura est. Sodomitae hoc flagello eruditi debebant resipiscere:

sed deteriores fiunt, nec cessant, dum funditus deleantur.

Magna omnino haec humani animi perversitas est. In calamitatibus et periculis nihil pavidius, nihil dejectius homine impio: mundus videtur eis nimis angustus, ac, si possent, perrumperent aeneos montes. Cum autem tempestas cessat, omni metu excusso redeunt ad ingenium. Sicut narratur fabula de navita, qui correptus tempestate divo Nicolao, patrono credito navigantium, vota fecit, si servaretur, argenteam statuam ei positurum; servatus autem ne quidem ligneam posuit.

Verum igitur proverbium est, post longinquas peregrinationes et diutinos morbos homines reddi deteriores. Qui enim non vere sunt mortificati, hi tantum extrinsecus humiliantur, sicut Comicus servulos pingit in faciem bonos, et observantes dominorum; sed si terga vertant domini, statim redeuntes ad ingenium.

Meminerimus igitur, Deum eo consilio mittere flagellum, ut humiliati agamus poenitentiam, et emendemur. Qui autem redeunt ad vomitum, hi cum Sodomitis gravius sibi malum accersent.

Egressus est autem rex Sodomae in occursum ejus, postquam reversus est a caede Kedorlaomer et regum, qui cum eo erant, in vallem planam, quae est vallis regis.

Hunc quoque regem Sodomorum vides humiliatum ad tempus. Procedit obviam Abrahae, quem fortasse antea ne quidem adspicere est dignatus; nec cogitabis, solum obviam venisse: comitatum secum

traxit regium, et omnes provoluti ad genua sancti Patriarchae videntur agnovisse divinam victoriam.

Quodsi Moses gratulantium voces, et faustas acclamationes scripsisset (agnoverunt enim et praedicarunt eum vere patriae patrem, et dignum regio sceptro, qui tantas res tanta successione gesserat), diceres, ex Sodomitis, qui pessimi fuerant, esse factos sanctissimos. Sed quam diu durant haec? Agit Abram annum circiter octuagesimum sextum. Anno centesimo Isaac ei nascitur, Sodoma autem eversa jacet.

Fruuntur igitur jam gratia et misericordia Abrahae, et fiunt participes alienae fidei et caritatis. Ac debebant hoc tum flagello, tum beneficio admoneri, ut desisterent a peccatis, et sancte viverent: ac quidem initia se recte habent, occurrunt Abrahae, gratitudinem singulari reverentia declarant: sed post paucos annos otio et pace dementati redeunt ad ingenium, obliviscuntur calamitatis, beneficii autem auctorem Abrahamum non amplius agnoscunt, sed tribuunt id suae industriae, quod habitent Paradisum Dei et optimam partem mundi.

Securi igitur indulgent peccatis, et ingratitudine cumulant alia peccata. Non solum homines sancti, sed ipse quoque Deus omnem apud eos amittit gloriam.

Sicut igitur pii emendantur flagello Dei, ita impii post calamitates fiunt deteriores, et cogunt Deum ad extrema supplicia, ut penitus subvertantur. Sic nostro tempore Graecia per Turcam vastata et eversa est. Sic cum Germanis quoque fiet, virtute ducum suorum non defendentur.

De valle regis multa disputant grammatici. Lyra secutus Chaldaeos dicit, fuisse planitiem quandam,

in qua rex milites et equos exercuit ad bellum, item, in qua deambulare sit solitus.

Mihi verisimilius videtur, quod fuerit hoc certi loci nomen, sicut nos vocamus regiam vallem ad Salfeldum, quod valde profunda vallis sit, item regium montem in Francis, quod insignis sit vitibus, item Fürstenfeld.

Vocata igitur est regia vallis, quod spatiosa esset: ad eam ex omnibus vicinis locis concurrerunt, qui vel uxores, vel mancipia, vel res suas amiserunt: nec dubito, fuisse extra regionem regis Sodomorum in vicinia Hierosolymae.

Nam Abraham a Damasco domum ad Hebron cum suis tendens reliquit Sodomam ad sinistram, forte volens Hierosolymam ire ad Melchisedec, summum sacerdotem, acturus ibi gratias Deo, et nuntiaturus de tanto Dei beneficio, ac praeclara victoria divinitus donata.

Sed Melchisedec, postquam de victoria ex fama cognovit, ipse una cum suis Abrahae distribuenti praedam occurrit. Ea pulcherrima ecclesiae congregatio fuit ex omnibus gentibus. Itaque sacerdos et rex Melchisedec insignem concionem habet, in qua primum Dei beneficium sic benedicentis Abrahamum magnifice praedicat; vult enim, agnosci hoc insigne donum, et Deo pro eo agi gratias. Deinde addit, ut in concionibus solet, orationem, et benedicit Abrahae.

Et Melchisedec, rex Salem, protulit panem et vinum: et hic erat sacerdos Dei altissimi.

Hoc loco primum solet disputari, quis fuerit

Melchisedec, cum in epistola ad Hebraeos capite septimo scriptum sit, fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio et fine: atque ideo typum esse sacerdotis nostri, Christi, qui est aeternus sacerdos.

Verum est, fit ejus mentio hoc in loco valde abrupta. Simpliciter dicit Moses, regem fuisse Salem, non commemorat genus, non tempus, quo coeperit regnare, non qui successerint in regno. Haec recte transfert epistola ad Hebraeos ad Christi regnum perpetuum.

Ex communi igitur sententia Hebraeorum concluditur, hunc Melchisedec esse filium Noah, Sem. Etsi autem in eo non tantum sit positum, rectene an secus sentiant, tamen libenter accedo ipsorum sententiae, si quidem supputatio temporum historica comprobat, non solum vixisse tempore Sem, sed etiam superstitem fuisse Abrahae, nec ita multum ante ingressum Iacob in Aegyptum exstinctum esse.

Videte igitur, qualem gubernatorem habuerit Abraham, reliquias sanctas primi mundi et diluvii. Itaque sine dubio saepius hoc triste irae Dei exemplum suis proposuit Sem.

Horribile autem est cogitatu, quod mundus ita brevi tempore tantum degeneravit. Sem enim, qui diluvium vidit, vidit paulo post, ab impiis aedificari turrim Babel, et confundi linguas, quo alia gravior calamitas ecclesiae haud potuit incidere, si spectes ministerium verbi; degenerat itaque totus oriens a vero cultu. Abram cum Loth divinitus eripiuntur ex idolatria: postea oriuntur bella regum, Loth abducitur, Sodoma et tota vicinia coelesti igni propter peccata evertuntur.

Ostendit autem hoc modo scriptura tecte, quanta tum fuerit malitia mundi, et quam horribilis verbi contemtus: deinde, quam fuerit eximia pietas et virtus Abrahae, qui forti fide perrumpens omnia haec scandala contemtum Sem amplectitur et honorat, tanquam solum Dei veri ministrum seu sacerdotem.

Consolantur autem nos talia exempla recte considerata. Si enim haec summis istis viris acciderunt, ut tam paucos invenirent discipulos, quid mirum est, si hodie quoque tanta impiorum copia, ecclesia autem sic rara et exigua est?

Placet igitur mihi communis sententia, quod Melchisedec sit Sem, quia eo tempore nullus, praesertim in rebus spiritualibus, fuit major Patriarcha. Publicus autem consensus ecclesiarum et populi ornavit eum hoc nomine, et appellavit מַלְכִּי־צֶדֶק, quod sonat justum regem, ab officio, quod gessit.

Nam utrunque munus sustinuit, regis et sacerdotis: ac quanquam in republica nihil immoderate fecit, sed juste administravit omnia, tamen justitiae nomen propter ministerium ecclesiasticum ei contigit. Docuit enim de remissione peccatorum per futurum semen mulieris.

Hanc doctrinam cum aut nesciret, aut vanam judicaret mundus, ac persequeretur, solus Sem appellatus est justus rex. Hunc sanctum et venerabilem senem Salemitae sibi elegerunt in regem.

In vicinia fuerunt reges Sodomae, Gomorrae et alii, qui opibus et dignitate multum antecelluerunt, ac sine dubio hunc pauperem, sed justum regem contemserunt. Sed in sua ecclesia et apud suos Sem *est Melchisedec*, hoc est, justus rex. Reliqui autem

sunt tyranni, idolorum servi, scandalorum auctores et injustitiae reges, ac apprehendit eos ira Dei, bella et gladius. Sem autem est rex in Salem, hoc est, rex pacis.

Quia enim veram doctrinam de Filio Dei plantat, conservat ecclesias, cultum et disciplinam, ideo venit super eum pax, non solum mundi, sed etiam Dei. Haec est causa, quod amittit suum nomen, et consensu Patrum ac piorum dicitur Melchisedec ab officio, et rex Salem a loco; sicut Petrus Patriarcham Noah vocat praeconem justitiae, 2. Petri 2. (v. 5.), quod docuit, quomodo coram Deo justificemur.

Statuemus igitur, Sem fuisse istorum temporum pontificem summum, quem scriptura veris et pulcherrimis laudibus ornat, dum justitiae nomen ei tribuit.

Noster pontifex Romanus, qui se caput ecclesiae impudenter jactat, quid est collatus ad Sem? Nam exstant ejus quoque laudes et virtutum encomia, 2. Thess. 2. (v. 3. 4.), quod sit rex ἀνομίας et justitiae adversarius.

Sed nascitur hic alia quaestio de prolato pane et vino. Norunt Papistae, Melchisedec esse typum Christi. Quia autem dicitur hic obtulisse panem et vinum, etiam hoc in similitudinem rapiunt, et dicunt, esse typum sacrificii Missae, in qua, exemplo Melchisedec, species panis et vini, revera autem corpus et sanguis Christi offertur in benedictionem offerentis et aliorum.

Hinc praesens historia canticis publicis celebratur, et solemniter decantatur. Ac Lyra, profecto non contemnendus theologus, hanc sententiam magno conatu defendit. Sed fallitur optimus vir, nec observat,

quam similitudinis partem epistola ad Hebraeos (cap. 7.) maxime urgeat.

De pane et vino seu prolato, seu oblato auctor ad Hebraeos prorsus nihil dicit. In eo enim similitudinis ratio nulla est. Hoc autem ad similitudinem facit, quod hic rex habet nomen justitiae, et quod est sacerdos quoque, ac sacerdos, qui benedicat, non secundum ordinem Levi, qui hic in corpore Abrahae decimatur, ac habet patrem ac genealogiam, cum Melchisedec sit sine patre, sine matre et ἀγενεαλόγητος.

In his igitur partibus similitudo consistit, ac maxime in vocabulo, quod sit aeternus sacerdos, non mortalis, sicut Levitae, sed aeternus Dei Filius, in aeternum vivens, in aeternum regens suam ecclesiam, et tanquam sacerdos docens, reconcilians, orans, non temporalis, non commixtus cum peccatoribus; qui, etsi infirmitates carnis nostrae tulit omnes, tamen non moritur ultra.

Hanc similitudinem auctor epistolae ad Hebraeos notat: de pane et vino, tanquam de historica particula nihil est sollicitus.

Quorsum enim hoc sacrificium, etsi sacrificium esse permittamus? num cum illo Christi conferes, quod aeternum est, et semel factum valet in aeternum? Hic enim sacerdos semel intravit in sancta sanctorum, et consummavit uno sacrificio omnes sanctos.

Papistarum autem sacrificium ab illo Levitico nihil differt, si quidem quotidie repetitur, et ideo recte, ut epistola ad Hebraeos dicit, imperfectum sacrificium existimatur.

Haerendum igitur est in vocabulo Psalmi: „Tu es sacerdos in aeternum“ (Ps. 110, 4.). Habuerunt

sacri-

sacrificia et sacerdotes suos Levitas, sed temporales, ubi alius alii successit. Noster autem sacerdos et sine fine est, et sine successore, imo etiam sine initio. Est enim ab aeterno, et vivit in aeternum, aeternum quoque sacrificium habet, quo redemti sumus nos, qui vivimus ab initio mundi usque ad finem mundi. Hoc vult considerari epistola ad Hebraeos, et non panis et vini oblationem, seu oblationem sanguinis et corporis Christi, quam Papistae somniant.

Lyra valde succenset Iudaeis, quod exponunt verbum הוֹצִיא protulit, quasi apposuerit mensam ad recreandos fessos et captivos, cum tamen textus clare dicat, relictam ab hostibus praedam, ex qua satis fuit, unde sustentarent se: contendit igitur, intelligendum de oblatione.

Sed ego puto, Melchisedec protulisse panem et vinum, hoc est, instruxisse solemne convivium, sicut solet recens advenientibus hospitibus et amicis; et ita egisse Deo gratias pro victoria Abrahae concessa.

Nam sicut ex Mose patet, mos fuit, ut laeti in gratiarum actionibus epularentur coram Domino. Manebat sua pars sacrificii Levitis; reliquum, quod erat, qui obtulerant, comedebant in solemni convivio.

Sic Melchisedec primo docet, et gratias agit Deo, deinde, ut publici gaudii testimonium exstaret, instruit convivium; hoc modo gratulatur victoriam Abrahae, et invitat ad gratiarum actionem reliquam ecclesiam.

Haec simplicissima sententia est, et convenit cum scriptura. Nam cum loquitur de quotidiano et simplici cibo, sic fere dicit: „Et posuit coram eo panem et aquam". Hic autem de vino apposito dicit, ut significet solemne epulum, sicut nos quoque festis

diebus lautius vivimus, quam cum facimus operas usitatas.

Quodsi quis contendat, oblatum panem et vinum a Melchisedec, non valde repugnabo, modo hoc, quod res est, mihi concedat, Christum in coena non obtulisse panem et vinum, sed distribuisse. Non enim textus dicit: Obtulit panem, sed: Dedit discipulis. Nec quisquam sanus est tam impudens, qui contendat, jussos Apostolos, sacrificare panem et vinum.

Papistae autem dum hoc affirmant, manifeste produnt animi morbum et insignem stultitiam, sicut Faber Theocriti et Vergilii testimonio comprobat, faciendi verbo Christum hic usum pro sacrificare.

Sed indignae nugae hae sunt, quae refutentur. Quid enim ad Missam, quod Melchisedec panem et vinum profert? Qui inde sacrificium Missae probare conatur, quid mirum, si etiam purgatorium, primatum Petri et indulgentias inde probet?

Allegoriam fortasse exstruere inde aliquis posset, quod, sicut Melchisedec panem et vinum profert, ita Christus profert panem vitae et vinum laetitiae, hoc est, Spiritum sanctum cum suis donis; sed hujusmodi allegoriae nihil probant, et rectius docentur haec in propriis locis. Periculosum enim est, sic transformare sententias, et tam longe a litera discedere.

Consulo igitur, simplicem et solidam sententiam amplectendam, quam ipsa verborum natura et circumstantiae afferunt, quod, Melchisedec postquam concionatus est, et Deo gratias egit pro tam insigni victoria, instruxerunt tanquam in festo die laetum et splendidum convivium, ad invitandum alios quoque ad gratiarum actionem.

Ab hac simplici sententia cum discedunt Papistae, et de suo sacrificio, quod privatum et non publicum est, confirmando et extruendo cogitant, etiam textum impudenter depravant. Inserunt enim hic causalem, quae tamen in textu non est. Sic enim legunt: Melchisedec, rex Salem, protulit panem et vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi, ut scilicet stet argumentum: Quia fuit sacerdos, igitur, cum panem et vinum protulit, sacrificavit.

Sed permittamus hoc eis: quid inde? quid hoc ad Christum, qui panem et vinum non obtulit, sed distribuit discipulis? quid ad ecclesiam, quae Christi exemplo panem et vinum non offert, sed distribuit credentibus? imo quid ad te, o sacrificule? num tu panem et vinum offeres? si haec facis, quid magni facis? sin, ut somnias, offers corpus et sanguinem Christi, quid hoc ad Melchisedeci sacrificium? An non aperies tandem oculos, et veritatem disces? Num tu offers corpus et sanguinem Christi? nam hoc ipse Christus fecit.

Est autem hoc Christi sacrificium aeternum secundum sententiam hanc: Una oblatione consummavit omnes, qui sanctificantur. Si igitur consummatum est sacrificium, quod Christus semel obtulit, quid tibi relictum est? consummationine tu aliquid addes? Si, quod speras, addis aliquid, non jam consummatum est, sed imperfectum est Christi sacrificium, quod scilicet opus habet tuo sacrificio.

Haec profanatio, qua sacrificium Christi blasphematur, sola digna est, propter quam nos separemus ab ecclesia Papae. Cur enim a Christi sacrificio discedamus, et hominis sacrificium, cujus nullum mandatum usquam in verbo Dei exstat, amplectamur?

Christus dicit: „Haec facite in mei memoriam" (Luc. 22, 19.), hoc est, accipite, edite et bibite panem et calicem hunc, et annunciate mortem meam: non dicit: Sacrificate panem et vinum. Unde igitur probabunt sacrificium suum?

Sic de Melchisedec hoc loco est, protulisse panem et vinum, seu, ut vocabulum Hebraeum sonat, fecisse educi, seu eduxisse, sicut ex promtuario solet, panem et vinum.

De sacrificio novi testamenti prorsus nihil dicitur. Quodsi Melchisedec est typus Christi, non sequetur statim, Christum quoque debere panem et vinum proferre: et abunde constat ex epistola ad Hebraeos et ex Psalmo 110. cur Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedec: non scilicet, quod panem et vinum offerat, sed quod sit aeternus sacerdos, et benedicat.

Docet autem haec depravatio scripturae, quomodo omnibus seculis nomine Dei et scriptura Satan ad blasphemias sit abusus, et posteri paulatim aberrarint a fide Patrum.

Psalmus, ut dixi, meminit sacerdotii Melchisedec, et epistola ad Hebraeos erudite eam totam disputationem pertexit. At Papa quid fecit? Is, omissis istis, quae Spiritus sanctus praecipue voluit considerari, eo solo occupatur, quod panis et vinum a Melchisedec oblatum sit; inde exstruit sacrificium Missae, quae summa profanatio et abominatio est.

Retinet igitur nomen salvatoris nostri, retinet sacramenta: sed amisso spiritu his tantum ad blasphemias abutitur, et assumit nomen Domini in vanum. Ex sacramentis facit humanum opus, promis-

onibus de remissione peccatorum addit conditionem
ignitatis et satisfactionis: ita omnia ad abusum
ansfert.

Gratias igitur agamus Deo, quod ab his pesti-
ns liberati sumus, et veram religionis notitiam
ripturaeque genuinum sensum habemus.

Quod de pane et vino prolato hic dicitur, sci-
mus historicum esse. Sed quod Melchisedec benedi-
t Abrahae, et Abraham ei decimas offert, id vero
iput esse scimus, quod Spiritus maxime voluit con-
ici ad sacerdotium Christi significandum, quod et
ternum est, et solum in benedicendo absolvitur, ut
ondonet peccata, et a morte liberet omnes, qui cre-
unt in ipsum. Hic merito habet nomen justi regis,
; vere est rex שָׁלֵם, seu pacis.

Sed hic quoque observandum est, quod Moses
ic novo nomine appellat Deum. Dicit enim, Mel-
hisedec fuisse sacerdotem לְאֵל עֶלְיוֹן, Dei altissimi:
Psalmi saepius hac appellatione utuntur, quam pu-
factam a vocula עַל, quae supra vel sursum, sig-
ificat, ad differentiam cultuum notandam, qui tum
ant.

Nam rex Sodomae, Gomorrae, Rephaim, Baby-
nii et alii habuerunt suos certos deos et cultus;
undus enim semper variis sectis plenus fuit: sed
ncti Patres et posteri Eber coluerunt Deum עֶלְיוֹן,
oc est altissimum, qui supra omnes est unicus et
ternus Deus.

Hinc Angeli quoque canunt: „Gloria in excel-
s Deo" (Luc. 2, 14). Satan cum suis Angelis dam-
itis volitat in aëre; sed verus Deus altiorem sedem
ibet, quam Satan non potest attingere.

Ad hunc modum voluerunt sancti Patres hac appellatione varietatem deorum et cultuum excludere et damnare, si quidem eum solum coluerunt, qui est summus et altissimus.

Sic Paulus 1. Corinth. 8. (v. 5. 6.): „Multi dii sunt", hoc est, mundus varios habet cultus, „nobis autem unus Deus est", hoc est, nos in eo uno pendemus, qui pro nobis dedit Filium suum, et per Spiritum suum sibi ecclesiam in terra colligit.

Sententia igitur hujus loci haec est: Melchisedec fuit sacerdos, propheta, praedicator, qui permansit purus in cognitione illius Dei, qui est verus et altissimus Deus. Includit enim haec appellatio confutationem omnium aliorum deorum et cultuum. Habuit mundus tum alios quoque sacerdotes: sed Melchisedec fuit primarius sacerdos summi Dei; is tum laetus de victoria Abrahae divinitus concessa celebravit solemne convivium.

Et benedixit ei, et dixit: Benedictus Abram Deo excelso, possessori coeli et terrae.

Hic iterum excludit Abrahae cultum et professionem ab omnium gentium cultibus, et confirmatur, quod supra in 12. (v. 3.) dictum est, quod non solum sit Abraham benedictus, sed etiam aliis in benedictionem. Per ipsum enim salvati erant et benedicti adversarii, qui in maledictione et sub ira Dei erant, ac meritas peccatorum suorum poenas dura captivitate luebant.

Pertinent igitur haec ad consolandum Abrahamum, ac in fide et patientia confirmandum. Dederat Abram Deo gloriam inter gentes, professus veram doctrinam publice. Igitur Deus eum vicissim glori-

ficat in conspectu gentium tam praeclara victoria: ac accedit nunc praeco, sanctus Patriarcha, qui non ita nude, ut a Mose recitatur, hanc concionem absolvit, sed addidit sine dubio argumenta dialectica et ornamenta rhetorica omnia.

Quid, dixit, sunt vestri dii, quos coluistis hactenus? Meus Deus est solus excelsus Deus, ille hanc victoriam suo fideli servo donavit, et miraculum hoc, quod vidistis, fecit. Nonne enim miraculum est, hunc unum, tam paucis instructum sociis, tot et tam potentes reges, eosque maximis victoriis formidabiles fudisse, ac in fugam vertisse? Abjicite igitur turpia idola, quae vos dederunt diripiendos *) hostibus vestris, et hunc nostrum Deum amplectimini, „qui solus mirabilia facit" (Ps. 136, 4).

Hanc concionem non absolvit Melchisedec in una hora; et quanquam in una hora absolvisse eam existimes, tamen permanavit postea ad vicinas gentes et varia loca, estque ad hunc modum per hoc mirabile opus vera ecclesia pulcherrime inter maximas difficultates confirmata.

Fuerat antea Abram contemtus, et ecclesia ejus in oculis gentium despectissima; ideo enim toties migrare, et novas cogitur sedes quaerere. Sed nunc tam illustri victoria excitati omnes magno numero accurrunt, et videre gestiunt inquilinum hunc, quem sic adjuvit Deus in excelsis.

Epistola ad Hebraeos copiose hunc locum tractat, quod Abrahae benedixerit Melchisedec; nobis autem observanda phrasis est, quod vocat benedictum Deo excelso.

Coram mundo, sicut historia ostendit, Abraham

*) Edit princ. diripienda.

abjectus et vilis fuit, ac sine dubio maledixerunt ei multi; sed Deo excelso fuit benedictus, qui fuit heres benedictionis, quam semen mulieris allaturum erat. Haec benedictio non temporalis, sed propria Dei fuit aeterna.

Mundus admiratur corporalia, sicut in Psalmo 144. (v. 12—15.): „Quorum filii sicut novellae plantationes; filiae eorum compositae et circumornatae ut palatia; promtuaria eorum plena, oves eorum fetae, boves eorum crassae, etc. Beatum dixerunt populum, cui haec sunt". De tali benedictione Melchisedec hic non loquitur, sed de aeterna et spirituali, quae pertinet ad aeternam vitam, de qua praedictus Psalmus (v. 15.) dicit: „Beatus populus, cujus tu Deus es". In hac benedictione acquiescit Abraham, temporalem autem permittit Deo.

Quodsi temporalem solum spectasset, tam ei fuisset facile occupare in hoc tumultu terram Canaan, quam facile fuderat hos quatuor reges: sed in patientia exspectat hanc benedictionem, et se consolatur illa, quae Dei propria est, et habet promissionem spiritualium et aeternorum bonorum, nempe remissionis peccatorum per benedictum semen, et vitae aeternae.

Separatur igitur hac concione Melchisedeci Abraham ab omnibus aliis Patribus, et insignitur ejus domus seu familia maxime insigni nota, quod benedictio Dei ex eo certo sit exspectanda, quod ecclesia nusquam sit, nisi in domo Abrahae et apud eos, qui se cum Abraha conjungunt.

Talem promissionem si haberet Papa, tum vere de ecclesiae nomine posset gloriari. Ecclesia enim in domum Abrahae, ceu in editum et conspicuum

montem collocatur, ut videatur, ubi Deus habitare velit, unde sit exspectanda benedictio Dei et aeterna vita.

Ideo enim vocatur Abraham benedictus Deo excelso. Angeli, principes mundi, ministri verbi, judices etiam appellantur dii, quia divinum munus sustinent; sed Deus dicitur עֶלְיוֹן, excelsus seu altissimus, quia solus et unus est super omnia.

Melchisedec igitur toti mundo Abrahamum in hac concione proponit, quod apud ipsum, et in ipsius sola domo et familia sit ecclesia, regnum coelorum, salus, remissio peccatorum et benedictio divina.

Huic insigni praedicationi occasionem dedit miraculosa haec victoria. Non igitur corpora tantum captivorum liberata sunt, sed etiam infinitae animae salvatae ab aeterna morte, postquam didicerunt et ex manifesto miraculo, et ex tam luculenta concione verum Deum agnoscere; adeo non sterilis, sed gloriosa et mirabiliter efficax haec victoria fuit, si diligenter eam inspicias.

Iuvenis ego memini, me eam legere; sed quia rudis eram theologus, nec contigerat doctor idoneus, ceu aliquam Livii historiam, sine omni admiratione eam legebam: non videbam, Abrahamum sic nobis commendari, quod apud eum inveniretur benedictio divina, hoc est, remissio peccatorum et vita aeterna, si quidem solus habet promissionem seminis, et ideo benedictus Domini vocatur.

Porro ad copiosiorem expositionem nominis Dei pertinet, quod subjicit de possessore coeli et terrae. Verbum קָנָה significat possidere: hinc est nomen קִנְיָן, possessio. Significat autem Deum, qui coelum et terram, tanquam substantiam suam et possessionem,

tenet, ut hoc quoque modo excludat omnes falsos deos, imo etiam Angelos, reges, sanctos Patres etc.

Tribuit enim huic uni excelso, quod sit paterfamilias, qui coelum et terram habitet, ac tanquam paterfamilias gubernet ac regat, quicquid usquam est: Angelos, Diabolos, homines, tyrannos, servos, sanctos, profanos. Hi omnes sunt in familia Dei, et coguntur eum tanquam patremfamilias agnoscere, et ejus voluntatem sequi.

Talem Deum, inquit Melchisedec, habet Abraham, qui solus est verus Deus. Quodsi quis hoc non credit, is respiciat recens hoc miraculum, quod cum trecentis vernaculis et decem et octo confoederatis quatuor potentissimos reges prostravit. Fatebitur nimirum, in hujus Dei manu esse omnes tyrannos, imo Angelos et Diabolos omnes.

Similis fere descriptio Dei est apud Danielem, cum ad regem Balsazar dicit (5, 23.): „Deum, qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas, non glorificasti". Anhelitu et spiritu nemo ad momentum carere potest; hunc possidet Deus, inquit Daniel, nos non possidemus.

Ad hunc modum commendat divinam majestatem Melchisedec, quod solus et summus sit Deus, qui in manu sua habeat et teneat potenter ac praesenter omnia; si quidem in manus Abrahae mendici et peregrini quatuor reges tradiderit. Cur igitur ipsi vos decipitis? adoratis lapides et ligna, opera manuum vestrarum? Cur non convertimini ad Deum Abrahae, qui se visibiliter vobis ostendit, quod solus teneat et possideat coelum et terram?

Laudat igitur Deum benedicentem, et simul eru-

dit ecclesiam, ac revocat gentes ab idolatria ad veram cognitionem Dei.

Nunc huic concioni subjicit gratiarum actionem, sicut fere solemus, ut munus sacerdotale plane absolvat. Abrahamum enim in fide confirmat, populum de vero Deo instruit et revocat ab idolatria, et Deo tam misericordi pro verbo et aliis donis agit gratias.

Benedictus Deus excelsus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas.

Grammatici hic rixantur de siliquis verborum. Sed nos retineamus simplicem et veram sententiam. Tribuit Melchisedec totum factum vero opifici Deo, quasi dicat: Magna fecisti, o Abraham: sed Deus per te illa fecit; non tibi, sed Deo, possessori coeli et terrae, victoria haec adscribenda est.

Libenter autem audivit Abram, gloriam hujus facti a se transferri in verum auctorem. Satis ei fuit, quod esset benedictus Deo excelso, quod domus ejus esset destinata verae ecclesiae sedes; gloriam igitur gratus reliquit Deo: ipse pace in terra et bona voluntate hominum contentus fuit.

Revocat igitur nos quoque scriptura ad hanc humilitatem, ne efferamur donis: sed statuamus, ea non nostra, sed Dei esse, ut scilicet uno ore omnes Deum laudemus, eique agamus gratias.

Vides, admodum hanc esse brevem concionem, si verba numeres. Sed si quis eam explicet uberius, et secundum rhetorum praecepta evolvat, videbit, longissimam esse, et continere, quicquid de religione potest disputari. Nam docet de vero Deo, confutat idolorum cultum, et hortatur ad humilitatem et gra-

tiarum actionem, si quidem omnia, quae habemus, tantum Dei munere et dono habemus.

Et dedit ei decimas de omnibus.

Iudaei varie hunc locum exponunt, propterea quod verba sonant, ac si Melchisedec dedisset decimas Abrahae. Sed primum clarum testimonium est epistolae ad Hebraeos (7, 2.), quae non solum asserit, Abrahamum dedisse decimas, sed etiam inde colligit, Melchisedeo sacerdotium longe dignius esse Levitico; sicut etiam ipsa benedictio testatur. Nam minor non benedicit majorem, sed major minorem.

Quod autem additur, de omnibus dedisse decimas, id neutiquam ad praedam est referendum, quia textus paulo post clare docet, neque chordulam, neque corrigiam voluisse Abrahamum accipere de praeda, cum offerretur a regibus.

Igitur particula: „de omnibus“ non ad praedam est referenda, quam restituit Abraham suis possessoribus; sed ad facultates Abrahae, de quibus non nunc primum, sed singulis annis decimam partem sacerdoti Melchisedeo dedit.

Nam etiam ante illam victoriam humiliter se Abraham gessit, et agnovit Sem sacerdotem altissimi, eique decimas dedit, sicut etiam Loth et alii Patres, qui eo tempore vixerunt. Hi omnes Melchisedecum honorarunt, tanquam maximum natu, et qui ministerio suo umbram regni Christi in terris futuri ostenderet.

Auctor epistolae ad Hebraeos (cap. 7.) argutissime et eruditissime disputat de decimis ab Abraha datis, ac certum Spiritus sancti testimonium adest; *nemo enim vidisset ista, quae ipse vidit.*

Ex Psalmo (110, 4.) primum id accipit, quod sit Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Argute haec opponit: Igitur non secundum ordinem Levi. Igitur non erit, ut Aaron, sacerdos temporalis, sed aeternus. Nam Melchisedec sine patre, sine matre fuit, nec habens initium, nec finem.

Sequitur quoque, Leviticum sacerdotium prorsus cessaturum, et temporali sacerdotio successurum spirituale. Haec omnia erudite cogitata sunt, et refutari nulla ratione possunt.

Deinde de decimis disputat: Abraham est pater Levi. Si igitur Abraham dat decimas Melchisedec, quis negabit, Melchisedec longe esse supra Levi? Quis ejus sacerdotium non fatebitur majus, dignius, praestantius esse Aaronico? Christus autem est sacerdos, secundum ordinem Melchisedec. Submittat igitur se Aaron, cedat cultus legalis tanquam umbra corpori, etc.

Sic plenissimo spiritu concludit, sacerdotium legale necessario cessare, si quidem promittitur sacerdos secundum ordinem Melchisedec, coram quo se humiliavit Abraham, pater Levi, et ei dedit decimas, cum Levi adhuc esset in lumbis ejus. Sed cognoscat haec studiosus lector ex ipso auctore. Nos pergemus ad cetera.

Et dixit rex Sodom ad Abraham: Da mihi animas, et substantiam ipsam tu tolle. Et respondit Abram regi Sodom: Levavi manum meam ad Dominum, Deum excelsum, possessorem coeli et terrae, si a filo usque ad corrigiam calceamenti et ex omnibus tuis aliquid accepero; ne scilicet di-

bas: Ego ditavi Abram; exceptis tantum his, quae comederunt pueri, et portione virorum illorum, qui mecum ierunt, Aner, Escol et Mamre. Isti accipiant suam partem.

Audivimus hactenus insignem concionem factam in conventu, in valle regia, non tantum ipsius regis Sodomorum, sed etiam regis Salem, sacerdotis summi Dei, et haud dubie aliarum quoque vicinarum urbium et nationum, quae victoriam tam insignem Abrahae sunt gratulatae, et gratias egerunt Deo pro tam excellenti dono.

Rex Sodomorum certe, velut conversus et eruditus hac concione regis Salem et miraculosa victoria Abrahae, amicissime nunc cum Abraha loquitur, quem ut mendicum et peregrinum, ac nihil in ea terra proprii habentem antea contemserat: et non solum gratulatur ei victoriam tam insignem, sed etiam praemium victoriae offert totam praedam, eo abunde satiatus, si viva corpora dono accipiat.

Non autem putabimus, exiguas fuisse opes. Nam isti quatuor reges longe lateque populati omnia fuerant. Tantas opes cum summa voluntate offert Abrahae, et petit, sibi concedi animas, hoc est, uxores, sorores, filias, cives, adolescentes, parvulos etc. Hoc enim significat נֶפֶשׁ; vocabulum autem רְכוּשׁ, quod nos substantiam vertimus, omne peculium significat, et possessionem omnem praeter hominem. Igitur jumenta, greges, vestes, aurum, argentum et quicquid praeterea est, hoc totum permittit Abrahae, eo tanquam victor ut potiatur: sola corpora, seu animas hominum sibi petit restitui.

Sicut autem rex Sodom merito laudatur ob liberalitatem hanc, quod agnoscit dignum talibus praemiis Abrahamum, ita Abraham quoque, qui periculo, laboribus et sumtibus suis hanc victoriam pepererat, tanquam singulare omnium virtutum exemplar toti mundo, praecipue autem toti ecclesiae proponitur, quod oblatam conditionem tam liberaliter repudiat, et veteribus possessoribus omnia restituit, ne quidem filum, aut corrigiam calcei ex omni praeda sibi relinquens.

An non vides in eo animum vacuum ambitione, cupiditate, avaritia aliisque vitiis, quibus etiam magni viri laborare solent? Quam dissimilia sunt, quae Centauri nostri faciunt, per fas et nefas rapientes ad se, quicquid possunt. Principes hi [illegible] adjiciunt suae ditioni, [illegible] et imagines suas illustrari et amplificari postulant. Itaque ne guttam quidem hujus generosi sanguinis habent, gloriam, dignitatem, utilitatem etiam in omnibus, quae suscipiunt, quaerunt.

Abraham autem simpliciter quaerit salutem proximi; non vult ditari, non vult, vel filum addi suis possessionibus.

Phrasis haec nobis ignota est, sed admodum est significanter dictum. Significat חוּט filum. Est autem synecdoche, ut si dicas ferrum pro gladio.

Sic in Iosua (2, 18.) legimus de filo coccini dependente ex fenestra. Non autem filum fuit, ut Germanice loquimur, ein fade, sed materiatum pro materia sumitur, et significat filum, filamentum, seu textile quiddam, ein rote schnur.

Sic in Canticis (4, 3.), „Labia tua sicut filum subteminis", wie ein rotes schnürlin. Ad hunc

modum hoc in loco intelligas, ut sit sententia: Non solum non volo pecus, bovem, asinum, taceo animas hominum, seu captivos; non solum non volo vestes, pallia, calceamenta tua, ne quidem ligulam volo, qua constringimus vel calceos, vel vestes. Fuit sine dubio usitata phrasis, sicut cum nos dicimus: Ich wolt mir nit ein nestelstefft begeren.

Itaque Ioannes de Christo dicit: „Non sum dignus solvere corrigiam ejus" (Marc. 1, 7.). Magnam significat humilitatem. In ministeriis videmus, quod servi dominorum brachia, latera, pedes attingunt, adjuturi eos. Hoc, inquit Ioannes, mihi non sumo: indignus sum, qui corrigiam calceamenti solvam.

Hae figurae admodum gratae et mirabiliter significantes sunt, si phrasin hujus populi recte intelligamus.

Sed inquies: Cur tam superbe agit Abraham, et liberalitatem vicini regis sic illiberaliter respuit? Profecto sumtus belli reposcere justum fuit; nec sine ingenti labore et periculo quoque magno haec ei constitit victoria. Cur igitur, quod summo jure sibi ut victor vendicare potuit, etiam donante jam rege abjicit?

Argumentum hoc insigne est, ut videas, quomodo intellexerit Abraham promissiones divinas.

Iudaei adhuc in ea opinione sunt, quasi promissiones scripturae sanctae pertineant ad hanc miseram et calamitosam in hac terra vitam. At Abraham, qui quidem promissionem corporalem de terra Canaan habet in manu sua, divinum jus possidendi res illas omnes (erat enim victor), deinde etiam donationem regis ultro dimittit; quia scit aliam majo-

rem

m et diuturniorem possessionem, scilicet semen be-
edictum. In hac acquiescit, reliqua permittit vo-
intati Domini; non ad se ea rapit data occasione,
d exspectat, dum ipse Dominus ea in manus det.

Videt enim, quae sint voluntates hominum. Pro-
ittit quidem rex Sodom in vera humilitate, ne in-
ratus esset erga Abrahamum, omnium rerum pos-
ssionem, exceptis captivis: sed quid futurum erat,
Abraham oblatum munus accepisset? Dicerent ni-
irum gentes, sua liberalitate et magnificentia dita-
im esse Abraham: hoc autem esset, infinitas et ae-
rnas promissiones Abrahae factas penitus obscura-
et obruere.

Recte igitur recusat conditionem hanc, et ne
um quidem accipit, ut liquidum sit omnibus, quic-
uid postea Abrahae contingit, contingere tantum ex
nedictione Domini, non ex hominum favore. Quia
itur certus est Abraham de benignitate Domini,
iod ipso benedicente plus terrarum et opum sit
ibiturus, quam rex Sodom, aut quisquam alius do-
re possit, ideo donum hoc merito recusat.

Ne, inquit, facias mihi contumeliam hanc, ne
ic me oneres infamia, quod tu rex Sodom me di-
veris, quod, si absque te fuisset, Abraham nihil
iberet. Tolle praedam tuam, et vade. Mihi autem
aneat integrum gloriari in solo Deo, pio promitten-
, qui est possessor coeli et terrae; tu tantum So-
omorum possessor es. Illum igitur datorem, bene-
ctorem, salvatorem amplectar; te cum tuis, ut ho-
inem, qui ipse tuis indiges, dimittam etc.

Vides igitur in sancto Patriarcha Abraham ac-
imulatas omnes virtutes. Servit in summa caritate
s, qui indigni erant ipsius beneficiis, propter nepo-

tem Loth. Consecutus victoriam non studet augere opes et potentiam, sed habet animum vacuum ambitione, avaritia aliisque cupiditatibus, et tantum haeret in promissione vitae aeternae, et in possessore coeli et terrae.

Hoc caeci Iudaei considerare debebant in suo parente Abraham, quem hic jactant, et inde aestimare regnum Messiae, in quo solo Abraham, relicta terra Canaan et omnibus ejus opibus, haeret, qui promissus est Abrahae: non ut obtineret regnum Sodomae, aut terram Canaan, ac similis esset aliorum regum, sed ut esset Deus altissimus, qui plus possit dare, quam rex Sodomorum; qui quidem potuisset ditare Abrahamum, sed non potuisset contra peccatum et mortem salvare.

Quam igitur degeneravit impia posteritas a parente suo? Abraham in aeternis et spiritualibus bonis acquiescit, et temporalia superbe negligit: illi praeter temporalia nihil vel exspectant, vel requirunt, et de spiritualibus tam non sunt solliciti, ut etiam praedicationem evangelii ideo persequantur et oderint, quia sit doctrina, quae non opes, non potentiam, sed solum remissionem *) peccatorum doceat.

Describitur igitur nobis hoc in loco Abraham plenus fide et spe de aeterna vita. Ideo hac temporali victoria utitur tanquam agro, aut alia quapiam re, quae tantum ad exercitium corporis pertinet, et animum non fatigat, cor autem tenet suspensum in divina misericordia et promissione futuri seminis; secundum Psalmi sententiam: „Cum affluxerint divitiae, nolite cor apponere" (62, 11.).

Habet uxorem, servos, ancillas, sed omnia haec

*) Edit. princ. remissio.

habet, tanquam non habens, et est verus Monachus; contemnit enim vere voluptates, glorias, divitias mundi, et toto animo occupatur exspectatione promissionis de Christo: eam solam desiderat et expetit, reliqua longe infra hanc ponit, et prae hoc excellenti dono fere negligit.

Recte igitur ponunt operam suam, et ecclesiis utiliter consulunt, qui has vel historias, vel legendas proponunt populo. Quid enim sunt omnes sancti, exceptis Prophetis, Apostolis, comparati ad Abrahamum, qui versatus in rebus humanis, et administrans tum politiam, tum oeconomiam, tamen animo excelso, et haerente in divinis ac aeternis donis, eas conculcat et negligit; non veritus reges mundi, non aliorum hominum judicia vult, sibi hanc gloriam de Deo excelsissimo, possessore coeli et terrae, esse integram et salvam?

Proximi autem curam sic habet, ut, cum ipse suum jus negligat, aliis tamen id velit esse integrum et salvum: non vult sic esse integer et perfectus, ut aliis noceat. Ideo Anero, Escol et Mamre suam portionem esse vult integram et salvam, nec eis suo exemplo praejudicat.

Haec aequitas etiam insignis virtus est. Multos enim perverse videas bonos, qui ad suum exemplum reliquos quoque volunt cogere: ea insignis iniquitas est, et nullo modo ferenda. Ostenditur autem in familia Abrahae insignis tum pietas, tum obedientia.

Hi enim suo periculo socios pugnae se praebuerant, ac videntur jus habuisse postulandae praedae, quam compararant ingenti labore: sed Abraham praeter cibum et potum nihil eis de praeda donat, nec ideo pii servi offenduntur aut murmurant: sed

domini similes se probare volunt, ejusque pietatem et commoditatem libenter sequuntur.

Haec exempla fontes sunt, ex quibus leges, jura, decretales debebant formari. Dedit enim Deus huic seculo virum absolutae virtutis, ad quem nihil sunt illi a gentibus celebrati heroes, Aeneas, Achilles, Agamemnon etc. Hic enim vides exemplum inimitabile summae fidei erga Deum, justitiae autem et caritatis perfectae erga homines. Nihil hic, ut in pontificiis nugis, audis de jejunio, de certo ciborum delectu, de radendo capite, de forma vestium singulari: cum suis comedit et bibit Abraham, quae offert tempus; fidem autem et dilectionem summo studio praestat.

Nec frustra illis temporibus hanc lucem accendit Deus. Hac enim commoditate sine dubio multi ex gentibus invitati sunt ad Deum Abrahae amplectendum.

Quodsi hoc tam insigni exemplo aliqui non sunt moti, his recte accidit, quod in reprobum sensum sunt dati, ac puniet tandem ingratos Deus, sicut de Sodomis historia sequens testabitur.

Meminerimus igitur hujus tam eximii exempli, atque id nobis in omni vita proponamus imitandum. Apostolorum et Prophetarum vocatio fuit singularis: Christus autem et Ioannes baptista sunt extra comparationem. Sed hi breve habuerunt curriculum; Abraham autem et longo tempore vixit, et multas ac mirabiles res gessit. Ideo recte caput aliorum sanctorum existimatur.

DECIMUM QUINTUM CAPUT GENESIS.

Post haec facta fuit verbum Domini ad Abraham in visione dicens: Ne timeas, Abram: ego sum protectio tua, et merces tua copiosa valde.

Hoc principale caput est, et multa meditatione legendum. Sed distrahor eum in modum negotiis ecclesiarum et aulae, ut non vacet mihi diligentius incumbere meditationi. Legemus igitur id saltem grammatice.

Audivimus hactenus gloriosam victoriam Abrahae, ac admirabile opus Dei, quo se revelavit illi seculo, ut hoc modo omnes invitarentur ad amplectendum Deum Abrahae, qui solus altissimus et omnipotens est. Nunc sequuntur et tentationes et consolationes: eas sic cum historia victoriae conjungit Moses, ut parum de ordine historiae videatur cogitasse, sicut alioqui solet. Lector non admodum peritus saepe judicat, male cohaerere conciones et narrationes Prophetarum. Sed periti rerum spiritualium nullum ordinem norunt veriorem et communiorem esse, quam quod semper consolationes sequuntur nova pericula et novi motus.

Sic post praeclaram hanc Abrahae victoriam, qua sine dubio fides Abrahae egregie confirmata, et cor ejus eximie erectum est, praesertim cum accideret tam gravis concio pontificis Sem, sequitur nova alia tentatio, quae tamen qualis fuerit, non satis ex historia potest colligi. Hoc tamen certum et infallibile est, postquam Deus his verbis Abrahamum alloquitur, et jubet, ne timeat, non otiosa haec esse ver-

bat sed Abrahamum laetum et victoriosum paulo ante nunc circumventum novis periculis, curis et terroribus. Nisi enim vel desperavit paene de defensione vel protectione, vel de remuneratione dubitavit, quid opus fuit illa cohortatione, ne timeat, et illa promissione copiosae mercedis?

Sequimur igitur hic generalem illam regulam, quam proponit Psalmus 30. (v. 7—10.) tanquam commune exemplum omnium sanctorum: „Ego, inquit David, dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum. Domine, secundum voluntatem tuam praestitisti virtutem monti meo; avertisti faciem a me, et factus sum conturbatus. Ad te, Domine, clamabo, et Deum meum deprecabor. Quae enim utilitas in sanguine meo, si descendo in corruptionem? Pulvis non confitebitur tibi, nec annuntiabit veritatem tuam“ etc.

Haec est generalis forma exercendi sanctos et pios homines. Ideo Psalmus quartus (v. 4.) dicit, Deum esse admirabilem in gubernandis sanctis suis. Abraham confirmatus jam miraculosa victoria in tanta laetitia spiritus et effusa securitate de Dei bonitate est, ut dicat in corde suo: „Non movebor in aeternum“. Statim autem invertuntur omnia: „avertisti, Domine, faciem tuam, inquit David, et factus sum conturbatus“.

Cur, aut quomodo haec ita gubernat Deus? Cur non solidum hoc facit sanctis suis et perpetuum gaudium? Nescio: nisi quod regulam hanc video, et exemplum commune in omnibus sanctis, etiam in ipso capite, Christo, qui exsultat aliquando in spiritu, et laetus Deo agit gratias in Spiritu sancto; postea iterum conturbatur spiritu, orat pro defensione,

alvari se petit, queritur, se derelictum in extremis, icut videre est in Psalmo 8. (v. 6.) 22. (v. 2. seqq.).

Discendum igitur hoc exemplum et forma haec anctorum est, imo ratio haec, qua Deus suos sanc-)s gubernat.

Exsultaverat Abraham in tam insigni victoria, cerat ei Deus insigne nomen inter omnes vicinas entes: potuit igitur ei periculum imminere a vana loria. Nihil enim minus natura haec potest ferre, uam suas glorias et beneficia Dei. Avertit igitur leus paululum faciem, et relinquit hominem sibi: si oritur statim angustia et labor. Sic Paulus 2 Co-nth. 1. (v. 8. 9.): „Responsum mortis in nobis ha-uimus; factum autem hoc est, ne fiduciam habere-ius in nobis ipsis, sed in Deo, qui mortuos exci-it". Odit enim Deus confidentiam, quam habemus e nobis ipsis. Ea autem naturale vitium est, quod mnes sanctos, ac praesertim summos vexat, ut pec-ent contra primam tabulam.

Nam concupiscentia satis mortificata in eis est, quod tinet ad secundam tabulam; non furta, non adulteria, on caedes eos sollicitant, ut juvenes, quorum caro lhuc robusta est et integra. Sed alia graviora et dif-ciliora pericula eos exercent, illa scilicet sublimia eccata contra primam tabulam, fiducia propriarum rium, arrogantia, opinio justitiae et sapientiae. Cum a monstris depugnandum assiduo sanctis est. In ic arena Abram, Moses, Aaron, David sudant, ut raesumtionem et superbiam doment et vincant.

In simili tentatione igitur, ut verba satis pro-unt, Abraham videtur fuisse. Videns igitur Deus, im periclitari, ne in praesumtionem incideret, aver-faciem, et hoc modo medetur tentationi. Hoc

enim nobis omnibus vitium est, quod, cum Deus insignia dona dat, vetus Adam se effert, et superbit; videt enim, alios similibus donis carere. Ne autem hoc peccatum evertat sanctos, dat Deus Paulo Angelum Satanae, qui eum colaphiset, ne extollatur revelatione (2 Cor. 12, 7.).

Recte igitur illud de Episcopo quodam celebratur, qui cum necessitate cogeretur ad ministerium docendi, flexis genibus recusabat munus id, aut, si Deus omnino id vellet suscipi a se, postulabat ab ambitione et studio vanae gloriae liberari. Si enim Paulus, summus Apostolus, ab hac peste non liber est: imo, si nonnisi hoc medio, ut crucifigatur et colaphisetur a Satana, liberari ab hoc morbo potest, quid nos non metuemus, qui longe infra eum sumus positi? Natura enim aliud non possumus, quam ut superbiamus in donis Dei, sicut e contra, cum eripiuntur nobis dona Dei, desperamus.

Neque hic opus est historias longius accersere: vide nostra tempora. Muntzerum, Anabaptistas, Sacramentarios, Zuinglium et Oecolampadium quid excitavit, nisi horribilis haec praesumtio et ambitio? Si quis quatuor Graeca vocabula scribere, unum Psalmum explicare potest, scientia tanquam fermento inflatur, ut in nubibus sibi videatur incedere longe supra alios homines.

Hanc pestem satis mature didici videre, monitus tot sacrarum literarum historiis. Igitur initio evangelii, cum Deus in hanc, ut sic vocem, factionem praeter meam voluntatem per mirabiles occasiones me involveret, rogavi Deum ardentibus votis, ab hoc malo me ut liberaret, et exaudivit preces meas; nam *ab hac* tentatione me servavit liberum, quanquam

non sic liberum, ut eam non sentirem: negotiis, curis, periculis, laboribus sic me exercuit, ut ambitio omnis facile excluderetur animo meo.

Hoc modo nisi Deus nos liberet, indomitum hoc monstrum omnes expugnat. Iuventus, deinde virilis aetas sentit sua mala; exercetur enim caro libidine, animus avaritia, ira, odio et similibus affectibus, qui varie turbant mentes: sed haec certamina sunt secundae tabulae, et paulatim exstinguuntur.

Cum igitur depugnatum videtur, haec nova et acrior pugna de prima tabula nos excipit, ut dimicemus contra praesumtionem, gloriam et fiduciam, quam ipsi de nobis propter dona nostra habemus. Hanc pestem ut evadat Paulus, sentit stimulum Satanae in carne sua. „Ne extollar, inquit, magnitudine revelationum, datus est mihi stimulus carnis, nempe Angelus Satanae, qui me colaphiset" (2 Cor. 12, 7.).

Quis autem est, qui, cum Paulum inspiciat, cogitare possit, quod talem patiatur tentationem? quis non jam olim eam ab ipso credat superatam et prostratam?

Atqui in Romanis (7, 23.) majus periculum ostendit; queritur enim, se captivari a peccato, seu lege peccati. Haec cum in tanto Apostolo videas, num periculo te carere posse senties? Sic Abraham quoque adhuc in carne fuit. Ornatus igitur tam insigni victoria, quid mirum, si elatus est animo, si successu inflatus est? Ne autem extolleretur nimium, immisit ei Dominus aliquam fortem et gravem tentationem, qua frangeretur spiritus ejus et humiliaretur.

Etsi igitur, qualis ea fuerit, nesciamus, tamen credibile est, passum eum id Psalmi, quod supra al-

legavimus. Post partam victoriam laetus spiritu cecinit alta voce: Te Deum laudamus; dixit: Non movebor in aeternum: sed avertente Domino faciem venit tristitia, quae ita implevit et fatigavit animum ejus, ut victoriae tam praeclarae prorsus oblivisceretur, et videretur sibi prorsus derelictus a Deo et abjectus.

Hujusmodi historiae diligenter sunt notandae, ut possimus consolari eos, qui sunt in tristitia. Immittitur enim tentatio, ne extollamur donis, quae habemus. Etsi autem grave est, sentire tantam animi perturbationem, tamen eo nos erigere, et quasi levare damna illa debemus, quod scimus, remissionem peccatorum illaesam et immutabilem esse; in hanc intueamur, hoc donum aliis praeferamus, imo prae hoc dono alia omnia, quantumvis magna et splendida sint, contemnamus; sic fiet, ut animus paululum respiret.

Dat quidem Deus suis magna dona, sicut Abrahae hic dedit praeclaram victoriam; sed tamen nondum effundit, nec dat se totum: et quanquam tu majora habeas, quam vel Abraham, vel Moses, tamen ipsum Dominum nondum habes. Reservat, ac quasi subtrahit se ipsum nobis, ut scilicet, cum sumus extra tentationem, et serena ac tranquilla omnia sunt, nos tamen eum timeamus, et non dicamus cum securis: „Non movebor". Hanc cantionem enim si canimus, statim sequitur: „Avertisti faciem tuam, et conturbatus sum". Itaque qui extra paroxysmum sibi videntur invicti, hi arrepti tentatione immodice pavent.

Fiunt autem haec non ideo, quasi Deus mutaverit animum, quasi averterit gratiam, et remissionem

peccatorum neget; voluntas ejus firma et immutabilis manet, quod per Filium, ad cujus regnum nos vocavit, nos velit salvare. Sed sensus hujus misericordiae ad tempus subtrahitur.

Itaque qui in monasteriis hanc tentationem gustaverunt, appellarunt eam spiritum blasphemiae, alii suspensionem gratiae, mitiore et magis proprio vocabulo. Ac legi quidem haec in ipsorum disputationibus juvenis: sed non intellexi, priusquam scripturam sanctam coepi legere.

Neque autem exigua haec est consolatio, scire, quod gratia non est sublata, sed vere est constans et immutabilis, quanquam sensus et experientia gratiae ad tempus tollitur, et irruit horror et pavor, dejiciens ac turbans animum, ut homo vertatur ad impatientiam, et intolerabilem sibi statuat iram Dei esse, ac simpliciter ex Deo Diabolum faciat.

Hanc tentationem Christus in horto sensit, ubi natura cum spiritu luctabatur, ac spiritus quidem promtus, caro autem infirma erat, hoc est, terrebatur, pavebat, perturbabatur. Nemo enim vere tristatur, nisi deserente Deo; sicut e contra, Deo praesente, nemo potest tristis esse. Tristitia igitur signum est, discessisse Deum a nobis, et nos ad tempus deseruisse, sicut in Canticis (2, 9.) sponsa queritur, sponsum absconditum post parietem et per cancellos respicere. Tum fit, quod in Psalm. 107. (v. 27.) scribitur: „Turbati sunt, et moti sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est“. Contra cum, ut in libro Sapientiae (3, 7.) scribitur, Deus per radios misericordiae lucet in corda nostra, tunc animi non possunt non laetari, etsi, ut Stephanus, rapiantur ad supplicia, ad mortem.

Ad haec igitur exempla respicere admodum utile est, quod sancti fortes in Spiritu sancto fortiores sunt ipso Satana; contra arrepti tentatione sic pavent, ut etiam a sonante folio metuant. Admonemur enim infirmitatis nostrae, ut, quantumvis magna habeamus dona, tamen non extollamur, sed maneamus humiles, et timeamus Deum. Qui enim hoc non faciunt, ab his avertit faciem, et sequitur perturbatio et confusio.

Haec praefari in hoc caput volui, in quo docemur de eo, quod quartus Psalmus (v. 4.) dicit: „Scitote, quoniam mirificavit Deus sanctum suum", hoc est, varie exercet suos, ne fiant Haeretici, ne praesumant de donis et inflentur contra illos, qui ea non habent. Qui enim hoc faciunt, ruinae sunt proximi.

Qui igitur in doctores ecclesiarum deliguntur, ut gubernent alios, hi praecipue contra hanc tentationem orent, tanquam contra summum et periculosissimum malum. Alia enim peccata, ut sunt ira, impatientia, ebrietas, naturaliter secum pudorem adferunt ob turpitudinem: qui enim talia admittunt, peccasse se norunt, atque ideo erubescunt: sed vana gloria et fiducia propriae vel sapientiae, vel justitiae tale peccatum est, quod pro peccato non agnoscitur, homines pro eo agunt gratias Deo, sicut Pharisaeus in evangelio, et laetantur tanquam ex singulari Spiritus sancti dono; est igitur malum prorsus insanabile et diabolicum.

Ab hoc malo praeservat Deus sanctum Abrahamum, si quidem tam clarum victorem in talem tentationem conjicit, ut divina voce eum consolari necesse sit. Etsi autem, ut dixi, qualis tentatio fuerit,

non constat, tamen circumstantiae arguunt, admodum fuisse gravem, qua animus Abrahae prorsus dejectus est.

Fortasse, ut Abrahae verba ostendunt, de prole fuit sollicitus: promiserat Deus terram Canaan et aeternam benedictionem: sed cum Sara sterilis esset, et spes prolis paene tota negaretur, cogitavit: Quomodo fit, quod Deus tam misericors erga te tibi non dat filium? Forte offendisti eum, et ipse mutavit animum etc.

An haec fuerit tentatio, asserere non audeo. Generalem igitur regulam sequor, quod Deus sanctos suos laetificatos iterum facit tristes, ne efferantur et securi fiant, vivificatos deducit ad inferos, ut iterum inde reducat. Quodsi in specie et individuo tentationem praesentem non attingimus, tamen de genere non erramus.

Verba admodum illustria sunt: „Ne timeas, Abram", et arguunt, fuisse in sancto viro ingentem pavorem, et ipsissimam tentationem diffidentiae. Cur enim alioqui illa adderet: „Ego sum protectio tua, et merces tua copiosa valde"? Cogitavit igitur: Forte Deus alium elegit, cui promissionem hanc praestabit, ac quis scit, an haec ipsa victoria sit hoc totum, quod tibi promisit?

Caro enim, subtrahente Deo manum, mirabilem dialecticam et rhetoricam sibi fingit. His quasi arietibus, quibus cor Abrahae concutitur, opponit Dominus tria magnifica verba. „Noli timere: ego sum protectio tua, et merces tua magna nimis". Quasi dicat: Quem timebis, si ego te protego? Quid postulabis tibi addi, si ego sum merces tua? An non majus praemium habes, quam sit vel terra Canaan,

vel totus orbis terrarum? Est admodum insignis consolatio, et arguit insignem quoque tentationem et pavorem, quem sensit Abraham.

Quod textus dicit, „in visione" Dominum locutum cum Abraha, eam phrasim in Mose nondum habuimus. In capite duodecimo simpliciter scribitur, Dominum dixisse ad Abram; postea scribitur, Dominum apparuisse Abrahae. Hic quoque scribitur, „locutum cum Abraha Dominum: sed additur novus modus בַּמַּחֲזֶה.

Haec phrasium differentia docet nos de triplici genere prophetiarum, seu tribus gradibus revelationum, quarum fit mentio clara, Num. 12. (v. 6—8.), ubi sic dicit Dominus: „Si fuerit vobiscum Propheta Domini, cognoscar ab eo in visione, atque in somno loquar cum eo: non autem est talis servus meus Moses, qui in universa mea domo est fidelis. Nam ore ad os ei loquar, et in visione, non autem in aenigmatibus, aut similitudine videt Dominum".

Visio seu apparitio in specie est, cum Deus apparet per imaginariam visionem, non tanquam in somnis, sed vigilantibus. Sicut profecto Abraham, cum haec ei loqueretur Dominus, non dormivit: venit enim foras, et jussus est coelum intueri, ac stellas numerare. Haec imaginaria idea sine speculatione facta est, oculis apertis et vigilantibus.

Solent autem hae visiones esse figurae, quae interpretatione opus habent, sicut cum Amos videt formantem locustas, cum jam seges herbescit, capite 7. (v. 1.). Locustae significant regem Babel, et Deus est formator locustarum, qui infligit poenam hanc populo suo. Hoc vocat Moses speciem, seu apparentiam.

Infra hunc gradum sunt somnia, de quibus scriptura saepe meminit, cum scilicet homo dormit, neque utitur organis sensuum, et tamen offeruntur animō, dormiente corpore ac quiescentibus organis sensuum, imagines quaedam. Sic Pharao et Nebucadnezar dormientes vident futurorum eventuum imagines. Et apud Augustinum suavis historia exstat de quodam medico, qui articulum resurrectionis mortuorum et animae immortalitatem putabat esse dubiam. Dormienti ei apparet pulcherrimus juvenis, ac familiariter eum alloquitur, et interrogat, num noverit. Id cum dormiens ille negat, et tamen fatetur, quod videat et audiat eum: Quomodo, inquit adolescens, me vides, cum oculi tui somno clausi sint? quomodo audis me, cum aures tuae non sint apertae, sed dormias? Disce igitur et crede, esse alios oculos spirituales, quibus credentes in Christum videant, cum per mortem isti corporis oculi clausi, vel potius prorsus exstincti sunt. Haec imago medico illi dormienti oblata est, et testatur scriptura, saepe Deum hoc modo revelasse piis futura.

Quaeritur autem hic, quae sint indicia verorum somniorum: et cum objiciuntur visiones, quomodo sciri possit, ex Deone sint, an ex Satana. Gentiles quoque viderunt, varie ludi animos istis somniorum phantasmatis. Ideo Cato monet, somnia ne cures, et Sirach 34. (v. 6. 7.): „Ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, et falsi sunt sperantes in illis.

Quia autem superstitio et curiositas varie fatigant animos hominum, Satan etiam eam ob causam saepe homines ludit; dijudicatio igitur non semper facilis est. Hanc tamen analogiam historiae sacrae

scripturae ostendunt, quod per divina somnia impressio fit in corda ejusmodi, ut non solum intellectus, sed etiam voluntas praeter solitum commoveatur. Nebucadnezari sic percelluerat animum somnium, ut Magis mortem minaretur, si non, quale somnium vidisset, exponerent: quiescere enim animus non potuit, nisi somnium et ejus interpretatio revelaretur denuo.

Sicut autem tum somnia, tum visiones etiam Satan objicit, quibus fallit incautos, ita tertius revelationis gradus prorsus infallibilis est, cum Deus Mosi ore ad os loquitur, et addit Spiritum sanctum, qui verbum infigat cordi, et confirmet animum.

Abraham cum audit promissionem de semine benedicto, quia simul revelationem Spiritus sancti accipit, non, ut Iudaei, eam tantum de carnali semine et carnali benedictione intelligit: sed in animo nova lux nascitur de remissione peccatorum, et reconciliatione cum Deo. Hoc igitur revelationis genus, cum de ore ad os Deus loquitur, et Spiritus sui radiis animos illuminat, longe certius est somniis et visionibus.

Quod autem hic dicitur, in visione Dominum locutum, sic intelligamus, quod Abraham audivit Deum loquentem in visione, hoc est, non tantum audivit verbum, sed verbum fuit adumbratum in quadam specie loquentis, qualiscunque tandem ea fuit. Nam Moses id non ostendit.

Et dixit Abram: Domine, Domine, quid dabis mihi, cum ego incedam absque liberis, et filius dispensans domum meam sit ille Damascenus Elieeser? Et dixit Abram:

Abram: En, mihi non dedisti semen, et ecce, filius domus meae heres meus est.

Haec aliquo modo ostendunt, cum quali tentatione colluctatus sit Abram, ut necesse fuerit, consolari eum divina voce, quod et defensurus et abunde benedicturus eum esset Dominus.

Nihil autem mirum, si in illa ipsa cogitatione de posteritate paulatim lapsus est Abraham, ut cogitaret, Deum sibi iratum. Sed dixi supra, etsi Moses tentationem in specie non explicat, tamen scriptura sancta, dum exempla sanctorum proponit, vestigia quasi ostendit, ex quibus judicari tentationes possunt. Genus igitur habemus, quod coeperit Abraham dubitare de protectione et beneficentia Dei: sed huic cogitationi quae data fuerit occasio, clare non scribitur. Videtur tamen Moses subindicare, quod Eliezer, gubernator domus Abrahae, sit factus insolentior, et certo promiserit sibi illam universam benedictionem Abrahae obventuram, si quidem sterile haberet conjugium.

Hoc primum in eo ostenditur, quod Abraham sic tristis et non sine gemitu et singultu queritur de orbitate. Non enim haec verba risus aut laetitiae, sed ingentis doloris et luctus sunt: „Incedo sine liberis: Damascenus ille heres meus erit". Quid enim aliud in hac aetate et cum sterili conjuge speraret? Dedisti victoriam praeclaram, benedixisti domui meae, inquit: sed non das heredem; servus meus nunc in eam spem erigitur, omnia haec me mortuo sibi cessura.

In hac cogitatione animus immodice perturbatus est. Ac confirmat hanc sententiam responsum Domi-

ni dicentis: „Non ille erit heres tuus, sed qui egreditur ex utero tuo". Vere igitur tentatio Abrahae fuit, quod metuit, ne derivaretur promissio a genere et semine suo in servum.

Haec tentatio non fuit levicula, praesertim cum servus illa spe efferretur. Caro enim et mundus ambitione mire corruptus est, et captat ingenti studio dignitates. Sic Cain contemto fratre sibi arrogabat regnum et sacerdotium, sic Ismael, sic Esau: ac Sara indignata ob hanc causam matrem cum filio ejicit e domo. Sic omnibus seculis impii rapuerunt ecclesiae nomen et titulum, et eo se ipsos ornarunt. Papistae, Anabaptistae, Sacramentarii, seditionum auctores, Monetarius et alii, cum nihil minus sint, volunt tamen ecclesia esse, et etiam sanguine titulum hunc sibi vendicant. At veri sancti, qui vera sunt ecclesia, gemunt et contristantur, cum vident, impios sibi ita secure arrogare benedictionem et promissiones: sicut hodie cogimur videre et ferre glorias Papae, qui se ecclesiae caput jactat, cum certum sit, eum aliud agere nihil, quam ut mundum repleat idolatria.

Sensit hanc tentationem David quoque, cum pulsus regno jubet, ut Zadoc redeat in civitatem, et istuc secum arcam reportet: „Si inveni gratiam in oculis Domini, restituet me, et faciet, me eam videre et habitaculum ejus: quodsi mihi dixerit: Non placet; fiat, quod bonum est in oculis ejus" (2. Sam. 15, 25. 26.).

Habebat David clarissimas et certissimas promissiones de aeterno regno, et tamen adeo fortis eum arripit tentatio, ut de eventu dubitet, an iterum sit restituendus in regnum, idque Deo permittit.

Sicut igitur impii ingenti securitate promissiones ad se rapiunt, ita sancti humiliant se sub potentem Dei manum, et in timore ac reverentia se subjiciunt Deo. Igitur Abraham quoque, etsi verbo Dei de futura benedictione fuerat confirmatus, tamen in dubitationem incidit, postquam et sterile suum matrimonium, et servi spem et consilia intuetur.

Vides igitur, hunc esse casum et cursum ecclesiae et regnorum mundi, ut de promissionibus inter se dimicent. Pontifex cum suis vult esse ecclesia Dei, Turca etiam vult esse ecclesia Dei, et tamen neutri sunt.

Sic Haeretici, qui auctores sunt scandalorum, et doctrinam sanam evertunt, „qui sunt inimici crucis Christi", ut Paulus (Phil. 3, 18. 19.) flens dicit, „quorum Deus venter est" etc.: hi certissimi sunt, se esse ecclesiam, et ideo gloriantur sine fine contra veram ecclesiam.

Ad hunc modum in specie videtur tentatio Abrahae fuisse arrogantia, et contemtus vernaculi contra suum dominum. Etsi enim haberet manifestam promissionem de suo semine Abrahami, sicut testatur caput 13. et 12. tamen, ut solent Haeretici, eluserunt promissiones illas, et fecerunt, ut haesitaret Abraham.

Sic enim dixerunt, promissionem non esse intelligendam de naturali semine, sed de adoptivo et domestico: si quidem vetulus nunc erat Abraham, Sara autem sterilis, nec vel verbum, vel significationem aliquam dederat Deus ducendae alterius uxoris.

Promissiones igitur erant certae: sed accedebat diabolica dialectica, quae divideret semen in naturale et adoptivum. Haec dialectica animum sancti Pa-

triarchae perturbat et affligit, ut humiliet et subjiciat se Dei voluntati: sed non sine ingenti animi moerore et luctu. Iudicat enim, se deseri a Deo, et mutatam voluntatem Dei. Ideo Dominus consolatur eum, ac jubet, ne timeat: „Ego ero protectio tua", inquit, defendam te a malis, et obruam benedictione, ac ex tuo utero egredietur, qui sit heres tuus.

Haec sunt analoga cum caeteris scripturae exemplis. Itaque etsi in specie erramus, tamen in genere sequimur analogiam scripturae.

Abraham igitur tristissimus est, et suis cogitationibus eo delabitur, ut concludat, se a Deo desertum. Nam quod magnae promissiones ei erant factae, eas metuebat, ne in vernaculum transferrentur, qui fortasse et in illa pugna strenuam operam navaverat, et abundabat liberis.

Hoc exemplo movetur sanctus vir, et cogitat: Cur Deus mihi non dat liberos, cum det servo meo tam multos? Profecto ille mihi heres erit etc. Ad hunc modum effundit coram Deo querelam suam, et perturbatissimi animi cogitationes.

Et ecce, verbum Domini ad eum factum est dicens: Non erit ille heres tuus; sed qui egredietur de utero tuo, ille heres tuus erit.

Pertinent haec ad confirmandum Abrahamum, ut sciat de ipsa persona, cui obventura sit benedictio. Egredietur, inquit, heres ille de sanguine et carne tua. Non igitur intelligas benedictionem, sicut ipsi ...am interpretantur: erit semen tuum naturale. Mihi igitur, non illis crede.

Habet autem locus hic occultam consolationem et utilem doctrinam. Impii, ut diximus, hac ambitione laborant, ut ad se trahant, et sibi arrogent promissiones. Itaque premunt veram ecclesiam, et affligunt. Hic nihil aliud est, quod faciamus, quam ut commendemus causam nostram Domino, sicut Moses facit in illo gravi certamine contra Core, Dathan et Abiram, Num. 16. Erant penitus insanabiles et sic certi de sua causa, ut doceri nec vellent, nec possent. Refert igitur Moses rem ad sententiam divinam, ac precatur, ne respiciat Dominus ad oblationem eorum; postea sequitur judicium Domini confirmantis veram ecclesiam.

Sic Monetarius, Anabaptistae et alii magno conatu se nobis opposuerunt, laborarunt immaniter famam nostram, et omni genere contumeliarum nos onerarunt. Nos memores hujus regulae mansimus in verbo constantes, et subjecimus nos et causam nostram Deo; gloriam autem et triumphos libenter concessimus adversariis. Nam de his sciebamus nobis non esse pugnandum: verbi autem curam, ut illud purum et sincerum retineremus, sciebamus nobis divinitus commendatam. Hic dum noster labor et studium est, adversarii paulatim unus post alium cadunt, veritas autem stat immota.

Sicut igitur Abraham divina voce confirmatur, ut de promissione, quam depravabant domestici ejus, certus esset: ita semper solet Deus laboranti ecclesiae adesse, et eam confirmare.

Est autem hic grammatica lis de vocabulo מֶשֶׁק: eam ego relinquo hujus linguae peritis. Sive enim hic Elieser fuerit oeconomus, seu pocillator Abrahae, nihil refert. Hoc nobis satis est, quod hic agi-

tur de praecipua persona in domo Abrahae, arrogante sibi promissiones, quod et dignitate et numero liberorum praestaret; sicut Cain sub Adam, Esau sub Isaac, Ruben sub Iacob, Iudas sub Christo et inter Apostolos sibi arrogabat primum locum, et possessionem promissionum.

Porro nomen Elieser est idem cum Lazaro, et significat auxilium Dei. Eo fortasse quoque inflatus est vernaculus iste, ac visus est sibi tenere nomen conveniens cum rebus, si quidem praecipua ejus erat dignitas in familia Abrahae, et quoque natus erat de celebri civitate Syriae. Visus igitur sibi est esse quidam infans Hispaniae prae reliquis, et superior ipso Abraha, qui neque tam superbum nomen, nec patriam tam nobilem, nec etiam benedictionem conjugii tam copiosam habebat.

Utut igitur de vocabulo מֶשֶׁק sit, si grammaticam non attigimus, tamen theologica attigimus melius, quam Rabini.

Est enim hic unus de coloribus veris, quibus sancti in scriptura pinguntur, quod patiuntur seditiones et sectas etiam inter domesticos. Vivunt enim inter impios, qui natura factiosi sunt, et se efferunt. Igitur affligunt sanctos, qui se submittunt Deo, et ipsi causam suam commendant, qui tandem venit, et humiles confirmat, „superbos autem dispergit mente cordis sui, et ejicit“ (Luc. 1, 51.).

Sic Ioannes (1. Ioh. 2, 19.): „Ex nobis exierunt; at ex nobis non fuerunt“. Non enim relinquit Satan sanctis et ecclesiae Dei pacem: una secta vel dejecta, vel humiliata, nascitur alia. Sicut Paulus dicit, Actorum 20. (v. 29. 30.): „Scio, quod egredientur post meum discessum lupi graves contra vos,

non parentes gregi, et ex omnibus istis excitabuntur viri loquentes perversa".

Eadem passi sunt Adam, Abraham, Isaac, Iacob, ipse Christus quoque, qui suum Iudam habuit, in cujus locum successit Papa, qui hodie ecclesiam perturbat et affligit varie. Commendemus igitur causam Deo, et invenient suo tempore justum judicem, sicut Core, Dathan et Abiram.

Et eduxit eum foras, et ait: Eia, intuere coelum, et numera stellas, si poteris eas numerare; et dixit illi: Sic erit semen tuum.

Quia Deus tam multus est in loquendo et confirmando Abraha, et etiam signa addit, ideo non levis tentatio fuit, quae sanctum virum exercuit; non enim Deus est vaniloquus. Satis fuisse judicamus, quod promissio ita diserte exposita est de naturali filio Abrahae, qui nascatur ex ipsius corpore; sed additur etiam signum: educitur Abraham, jubetur intueri coelum, et numerare stellas, ac promittitur ei innumerabilis posteritas.

Sicut igitur supra saepe dixi, has historias ideo excellere, quia Dei vox in iis sonat: ita hic ipse locus propter tam copiosum Dei cum Abraha colloquium merito magni faciendus est. Non enim aliter cum Abraha fabulatur Deus, ac amicus cum bene noto et cum amico. Sic scilicet solet Deus, et haec est ejus natura, ut, postquam bene afflixit suos, benevolentissimum se exhibeat, ac totum se effundat.

Quod stellas jubetur intueri Abraham, argumentum est, nocte visionem hanc apparuisse, gemente et plorante Abraha. Hoc enim sublimium tentatio-

num proprium est, ut occupent animos, cum sunt soli. Ideo in scriptura sancta celebratur oratio nocturna et solitaria, cujus magistra est tentatio.

Ita Abraham arreptus his tristibus cogitationibus non potuit dormire; surrexit igitur et oravit, oranti autem ac ita tumultuanti secum apparet Deus, et cum eo colloquitur familiariter, ita ut vigilans Abraham totus extra se in illa visione rapiatur.

Sicut Petrus, Actorum duodecimo, cum liberatur ab Angelo ex carcere, initio non sentit, revera hoc agi, quod agebatur; putabat, se videre visionem, aut somniare: sed paulo post ad se quasi veniens vidit, veram rem geri.

Ita Abrahae objicitur visio haec, et tamen sentit tandem, rem vere sic geri, nec ludi se somno. Nam visionum talium proprium est, ut faciant homines exstaticos, sicut Lucas de Petro significat, cum dicit: γὲνόμενος ἐν ἑαυτῷ, cum ad se rediisset. Nam hactenus putaverat, se visionem in somnis vidisse, non senserat, rem vere sic geri, ut liberaretur vinculis et carcere.

In nocte igitur facta visio haec est, et tamen non fuit somnium, sed res vera. Audivit Abraham vocem Domini, prodiit ex cubiculo sub dium, intuitus est coelum stellis splendescens, et tandem audivit promissionem de innumerabili posteritate.

Porro supra dixi de differentia inter hanc promissionem et illam superiorem, in qua promittitur posteritas arenis maris similis. Occulte enim Moses ostendit, hic includi promissionem de semine spirituali et coelesti, cum supra tantum loquitur de posteritate corporali. Ideo hoc in loco additur:

Et credidit Domino, et reputatum ei hoc est ad justitiam.

Hunc locum nemo melius, copiosius, lucidius, potentius tractavit, quam sanctus Paulus in capite ad Romanos tertio usque ad duodecimum. Ita autem eum tractat, ut ostendat, promissionem hanc de posteritate non esse intelligendam tantum de semine legitimo corporali seu temporali, sed de spirituali et aeterna hereditate.

Moses enim ostendit similitudinem non terrenarum, aut temporalium rerum, sed coelestium. Ideo promissio quoque coelestis est non de filiis carnis, sed spiritus, seu, ut Paulus eos appellat, „de filiis promissionis" (Rom. 9, 8.). Haec sententia ex Paulo clara est. Quod autem Moses addit, credidisse Abraham Deo, is primus locus scripturae est, quem hactenus de fide habuimus. Nam alii, quos supra commemoravit Moses, tantum requirunt fidem, non autem praedicant, aut commendant fidem, sicut illa de semine mulieris, mandatum de exstruenda arca et comminatio de diluvio, mandatum ad Abraham, ut exeat de terra sua etc.

Hae tum promissiones, tum comminationes omnes sunt verba fidei, quae requirunt fidem, non autem commendant fidem, sicut praesens locus. Ideo est unus de principalioribus totius scripturae locis. Et Paulus non solum exposuit eum diligentissime, sed etiam ecclesiae magna cura commendat; cum hoc addit elogium (Rom. 4, 23.): „Non scripta propter ipsum Abrahamum", qui postea mortuus est, „sed propter nos, ut nos doceremur et confirmaremur" (ibid. 15, 4.).

Hoc vero est apostolice tractare scripturas, et statuere illam universalem sententiam, ipsis inferorum portis formidabilem et invisam, quod omnes, qui credunt verbo Dei, sunt justi.

Ne igitur optimum interpretem meis disputationibus obscurem, brevius hic ero. Vos Paulum legite, et legite attentissime, ac videbitis, ex hoc loco exstruere eum praecipuum nostrae fidei articulum, mundo *) et Satanae intolerabilem, quod sola fides justificet; fidem autem esse promissionibus divinis assentiri, et statuere, quod verae sint.

Ex hoc fundamento auctor épistolae ad Hebraeos erudite omnium sanctorum res gestas includit in fidem, et dicit, ex fide ab eis gesta esse omnia. „Sine fide enim impossibile est placere Deo" (Hebr. 11, 6.), et Deus cum promittit aliquid, hoc exigit, ut id credamus, hoc est, ut verum esse fide statuamus, nec dubitemus, eventum responsurum promissioni.

Si interroges igitur, an Abraham ante hoc tempus fuerit justus, respondeo: Fuit justus, quia credidit Deo. Hic autem diserte id Spiritus sanctus testari voluit, quia promissio est de spirituali semine, ut recta consequentia statuas, amplectentes hoc semen, seu credentes in Christum esse justos.

Fuit fides in Abraha eximia, cum jussus deserit patriam, et se exsilio committit; sed non omnes jubemur idem facere: ideo tum non addit: „Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam". Hic autem addit, cum de coelesti semine loquitur, ad ecclesiam omnium temporum confirmandam, quod, qui cum Abraha huic promissioni credunt, vere sunt justi.

---

*) Edit. princ. mundum.

Hanc sententiam in hoc tanquam maxime proprio loco voluit Spiritus sanctus diserte et clare proponere, quod justitia nihil sit, nisi credere promittenti Deo.

Hic magna disputatio oritur de lege et fide, an lex justificet, an fides legem tollat etc. Hic Paulus erudite urget circumstantiam temporis, quod Moses in hoc capite loquatur de justitia et justo Abraham seu justificato ante legem, ante opera legis, imo ante populum legis, et antequam nasceretur Moses legislator. Igitur justitiam non solum non esse ex lege, sed esse ante legem, nec legem aut legis opera quicquam ad eam facere.

Quid igitur, lexne ad justitiam inutilis est? Ita prorsus. Fides autem sola absque operibus justificat? Ita prorsus: aut nega Mosen, qui ante legem, ante opera legis dicit Abraham esse justum, non quod immolarit filium, qui nondum natus erat, non quod hoc aut illud opus fecerit, sed quod promittenti Deo crediderit.

Hic nulla ad gratiam praeparatio, nulla fides formata operibus, nullus habitus praecedens commemoratur; hoc autem commemoratur, fuisse Abrahamum tum in mediis peccatis, dubitationibus et pavoribus, in summa animi perturbatione.

Quomodo igitur acquisivit justitiam? Hoc solo modo, quod Deus loquitur, et Abraham loquenti Deo credit. Accedit autem Spiritus sanctus, testis fide dignus, et affirmat, hoc ipsum credere seu hanc ipsam fidem esse justitiam, seu imputari ab ipso Deo pro justitia, et haberi pro justitia. Quia autem verba, quae Dominus loquitur, praecipue respiciunt semen spirituale, Christum, evolvit Paulus ministerium hoc,

et clare pronunciat, justitiam esse per fidem in Christum (Gal. 2, 16). In hac igitur sententia acquiescamus, nec ab ea dimoveri nos furoribus Satanae et Pontificum sinamus.

Argumento autem est, quam Satan hanc sententiam oderit, quod non solum hodie per pontificias larvas sic eam hostiliter impugnat, et impudenter blasphemat ac damnat; sed Rabini Iudaeorum hic quoque suam stultitiam et furorem suum, quem contra Christum habent, patefaciunt.

Sic enim hunc locum legunt: Credidit Abraham in Deo, et cogitavit ei in justitia, hoc est, Abraham credidit Domino, et cogitavit, Deum esse justum, et daturum ei semen, quia sit justus, hoc est, quia respiciat merita et sanctitatem patris Abraham. Digna profecto Rabinis et hostibus Christi cogitatio. Hoc enim modo tota sententia invertitur, excluditur promissio et gratia, ac stabilitur justitia humana: cum Paulus ex hoc ipso loco gravissime eam sententiam, tanquam falsam et impiam, oppugnet.

De verbo חָשַׁב non valde repugno, sive id pro reputare, sive cogitare accipias; nam res eodem redit. Cum enim divina majestas de me cogitet, me esse justum, mihi esse remissa peccata, me liberum esse a morte aeterna, et ego cum gratiarum actione in fide hanc cogitationem Dei de me apprehendo, vere sum justus, non meis operibus, sed fide, qua apprehendo cogitationem divinam.

Nam Dei cogitatio est infallibilis veritas. Igitur cum eam apprehendo firma cogitatione, non vaga opinione et dubia, justus sum. Fides enim est firma et certa seu cogitatio, seu fiducia de Deo, quod per Christum sit propitius, quod per Christum cogitet

de nobis cogitationes pacis, non afflictionis aut irae. Relativa enim haec sunt, cogitatio Dei, seu promissio et fides, qua promissionem Dei apprehendo.

Recte igitur Paulus verbum חָשַׁב reddidit per verbum λογίζεσθαι, quod etiam ad cogitationem alludit, sicut reputandi verbum. Si enim tu Deo promittenti credis, Deus te reputat justum. Neque hic vel legis, vel circumcisionis, vel sacrificiorum fit mentio, quod ea Deus dignari velit justitia: sola sua reputatio, sola illa gratiae de nobis cogitatio haec facit. Datur enim justitia Abrahae non operanti, sed credenti. Neque autem fidei, ut nostro operi, datur, sed propter cogitationem Dei, quam fides apprehendit.

Scitum igitur est, quod Paulus sic urget reputandi verbum: „Operanti, inquit, non imputatur merces ex gratia, sed ex debito: non autem operanti, sed credenti in eum, qui impium justificat, imputatur fides ejus ad justitiam". (Rom. 4, 4. 5.). Et paulo ante: „Ex operibus legis nemo justificatur" (ibid. 3, 20.).

At notum est, quae sint opera legis: summae scilicet et pulcherrimae virtutes. Hae igitur ad justitiam nihilne faciunt? Nihil, inquit Paulus; sed sola misericordia, repudiatis omnibus virtutibus nostris, valet. Etsi enim Deus exigit virtutes nostras, nec vult, indulgere nos cupiditatibus carnis, sed serio mandat, ut eas non frenemus tantum, sed penitus mortificemus, tamen in judicio Dei non possunt nobis prodesse; sunt enim pollutae et contaminatae concupiscentia. Nisi igitur Deus avertat oculos a peccatis nostris, imo etiam a justitia et virtutibus nostris, et propter fidem, quae apprehendit Filium, nos

reputet justos, actum de nobis est. Misericordia sola, seu reputatio sola nos servat.

Fundata igitur hic est doctrina nostra, quod justificemur coram Deo tantum per misericordiam Dei reputantem. Ex hoc fonte Paulus disputationes suas in Romanis et Galatis hausit, quibus justitiam tribuit fidei, et non operibus, seu legi. Sed negligentiam, oscitantiam, imo caecitatem superiorum temporum vide; etiam Lyra cum interpretatione sua depravat hunc locum. Dicit enim, fidem formatam caritate formaliter justificare mentem; statuit igitur fidem nudam, quae non sit formata caritate, et eam abjicit: hoc quid aliud est dicere, quam neglecta fide, Deum respicere in dilectionem et opera?

Sed haec quomodo cum Mose, quomodo cum Paulo conveniunt? Si enim fides formatur caritate, igitur opera praecipuum illud sunt, quod respicit Deus; si autem opera, ergo nos ipsi. Caritas igitur, seu opera sunt vivi colores. Fides est monogramma, res rudis et insuavis.

Hae insulsae cogitationes nascuntur ex alta ignorantia rerum sacrarum, qua confunduntur lex et promissio, fides et opera, cum longissime inter se sint distinguenda.

Promissio caput est doctrinae et principale; huic adjungitur fides, seu, ut clarius dicam, hanc apprehendit fides. Apprehensio autem promissionis certa vocatur fides, et justificat, non, tanquam opus nostrum, sed tanquam Dei opus. Promissio enim est donatio, est cogitatio divina, qua Deus nobis aliquid offert: non est nostrum aliquod opus, cum nos Deo facimus aut damus aliquid, sed accipimus aliquid a Deo, idque tantum per ipsius misericordiam.

Qui igitur promittenti Deo credit, qui sentit, eum esse veracem, et esse praestiturum, quicquid promiserit, hic est justus, seu reputatur justus.

Postea est lex quoque: Deus enim non solum promittit, sed etiam jubet et mandat. Ad legem autem pertinet, ut accommodes voluntatem tuam, et jubenti Deo pareas, seu obtemperes. An non autem dices hanc perversitatem insignem, statuere, quod promissio et lex idem sit? Si autem distincta sunt, et sola fides promissionem amplectitur, opera autem legi serviunt, quae insania est, fingere fidem informem, et dicere, quod fides formata caritate justificet? Cur non utrunque relinquis intra suos certos limites?

Profecto fides aliud nihil est, nec aliud potest, quam assentiri promissioni. Si autem hic assensus reputatur pro justitia, cur, insane sophista, inseris dilectionem, spem et alias virtutes?

Scio, has esse insignia Dei dona divinitus mandata, per Spiritum sanctum in nostris cordibus excitari et ali: scio, fidem sine his donis non exsistere; sed nunc nobis quaestio est, quid cujusque proprium sit.

Tenes manu varia semina; non autem quaero ego, quae cum quibus conjuncta sint, sed quae cujusque propria virtus.

Hic aperte dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem, credit promittenti Deo; Deo porrigente aliquid admovet manum, et id accipit. Hoc proprium solius fidei opus est: caritas, spes, patientia habent alias materias, circa quas versantur, habent alios limites, intra quos consistunt.

Non enim amplectuntur promissionem, sed mandata exsequuntur. Audiunt Deum mandantem et jubentem, non audiunt Deum promittentem; id fides facit.

Scripturae autem testimonium hic clarum et indubitatum est, quod fidei imputatur justitia, hoc est, quod Deo credens Abraham reputatur a Deo justus. Hoc non pronunciat scriptura de operibus.

Sic ex fontibus haec erant judicanda, non ex stultis sophistarum opinionibus, qui cogitant sic: Ecce, non satis est, si credas; oportet etiam, ut bene opereris: quasi vero nos statuamus, Deum tantum promittere, non etiam legem dare, et imponere certa officia.

Sed cum Deus promittit, ibi ipse Deus nobiscum agit, nobis aliquid dat et offert. Cum autem per legem jubet, requirit aliquid a nobis, et vult, ut nos aliquid faciamus. Retinenda igitur distinctio haec est, quod fides, quae agit cum Deo promittente, et ejus promissionem accipit, haec sola justificat. Caritas autem, quae agit cum Deo jubente et mandante, ea mandata exsequitur, et paret Deo. Sicut autem promissio et lex, sic fides et caritas, sic finis fidei et caritatis est distinguendus, et pestilens illa glossa explodenda de fide formata caritate, quae caritati tribuit omnia, fidei adimit omnia.

Attendendum autem scripturae sanctae est, quae abunde testatur, quod nemo possit satisfacere legi. Exigit lex, ut diligas Deum ex toto corde tuo, et proximum sicut te ipsum. Sed quis, quaeso, est, qui hoc faciat? Nam etiam sanctorum dilectio imperfecta est, et saepe turbatur metu, saepe diffidentia, saepe impatientia in adversis. Ubi igitur manet tua

fides

fides formata caritate? Si enim te Deus non habiturus est pro justo, nisi dilexeris eum ex toto corde, et praestiteris legem, nunquam justificaberis.

Disce igitur justitiam tribuere non tuae dilectioni, non tuis operibus et meritis (haec enim semper contaminata, imperfecta et polluta sunt; ideo requirunt confessionem indignitatis, et humiliationem cum deprecatione veniae) sed soli misericordiae, soli promissioni de Christo, quam fides accipit, et se ea in judicio Dei contra conscientiam tuetur ac defendit.

Haec est sana et vera doctrina. Contra illa sophistica doctrina de fide informi et formata est ex Diabolo, et exstinguit fidei doctrinam, nosque involvit in Turcicos et Iudaicos errores. Abjiciamus igitur eam tanquam pestem infernalem.

Scimus quidem, quod fides nunquam est sola, sed affert secum caritatem, et alia multiplicia dona. Qui enim in Deum credit, et certus est, quod faveat nobis, si quidem et Filium dedit, et cum Filio spem aeternae vitae, quomodo hic non amaret ex toto corde Deum? quomodo eum non revereretur? quomodo non studeret declarare pro tantis beneficiis gratum animum? quomodo non probaret Deo obedientiam in adversis perferendis?

Sic fides chorum pulcherrimarum virtutum secum ducit, neque unquam sola est: sed non ideo confundendae res, et, quod solius fidei est, aliis virtutibus tribuendum. Fides ceu mater est, ex qua soboles illa virtutum nascitur. Haec nisi prima adsit, frustra quaeres illas: haec nisi amplexa fuerit promissiones de Christo, non caritas, non aliae virtutes aderunt, etsi earum quasi simulacra hypocritae pingant ad tempus.

Discernenda igitur est promissio a lege. Promissio requirit fidem, lex opera. Promissio certa et firma est, ac certo fit, quia Deus eam facit. Lex autem non fit, quia nos, qui eam facimus, sumus homines, hoc est, infirmi peccatores.

Iustitia igitur nostra non stat in lege et operibus, quia legem non possumus perfecte facere, sed in promissione, quae firma et immutabilis est. Itaque cum eam apprehendit fides, certo fit, et impletur ac sequitur infallibili consequentia, quia sola fides promissionem amplectitur, quod sola fides justificat. Lex et opera non justificant, et tamen lex docenda, ac opera docenda ac facienda sunt, ut intelligamus nostram miseriam, et tanto avidius amplectamur gratiam.

Haec theologia non, ut blasphemi Papistae clamant, nobiscum nata, aut a nobis excogitata aut inventa est: tradit eam D. Paulus, et citat ejus testem Mosen, qui dicit, Abrahamum credidisse Deo, et hoc ei reputatum ad justitiam, hoc est, reputatum Abrahamum justum, miserente Deo, cum crederet promissioni. Porro omnis promissio Dei includit Christum; si enim absque hoc mediatore sit, Deus nihil nobiscum agit.

Differentia igitur fidei Abrahae et nostrae nulla alia est, nisi quod Abraham credidit in Christum exhibendum, nos credimus in exhibitum jam, et illa fide justificamur omnes.

Et dixit ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam.

Latina ecclesia habet paucos commentarios in

Mosen. Lyra praecipuus est; ex eo nati sunt postea alii, Hugo Carensis etc. Admonet autem hoc in loco de canone quodam ad sacram scripturam intelligendam pernecessario, quod multi loci scripturae habeant duplicem intellectum, literalem unum de terrenis, alterum de spiritualibus et aeternis donis, atque in eo numero praesentem quoque locum ponit.

Ac in scholis theologorum notissima regula est, scripturam quadrupliciter intelligendam. Alium enim esse sensum historicum, seu literae, alium tropologicum, alium anagogicum, alium allegoricum. Ego quidem facile patior, unumquemque abundare suo sensu; sed nostrum studium in hoc praecipue ponendum est, si sacra dextre tractare volumus, ut habeamus unum simplicem, germanum et certum sensum literalem. Nam plures sensus scripturae tribuere non solum periculosum esse judico, et ad docendum inutile, sed etiam scripturae auctoritatem elevat, cujus unam eandemque sententiam perpetuo esse convenit.

Etsi igitur cum Lyra non pugno hoc in loco, tamen eum sequi nolo. Exponit promissionem minus principalem de possessione terrae Canaan, principalem autem de promissione spirituali et aeterna vita.

Sic Psalmi (89, 27.) sententiam: „Erit mihi in filium, et ego ei in patrem", minus principali sensu exponit de Salomone, filio Davidis; principaliter autem dicit intelligendum de Christo.

Adjuvari igitur discentium studia hoc canone Lyra existimat, ut evolvere se ex obscurioribus locis possint: sed ego diversum judico, et statuo, in ecclesia hunc canonem sequi neque tutum, nec utile esse. Unus enim ubique certus et simplex historiae

sensus captandus est, quem si mutas, aut ab eo discedis, a scriptura te discessisse scias, atque adeo incertam et dubiam sententiam sequi.

Quod igitur ad praesentem locum attinet, certum est, de utraque possessione, et spirituali et corporali, loqui Mosen: sed non, ut Lyra putat, iisdem verbis, sed distinctis; ita ut aliis verbis spiritualem, aliis corporalem promissionem ostendat, sicut etiam supra in capite duodecimo. Ibi concionatur Dominus de possessione terrae Canaan; tandem autem addit particulam: „In semine tuo benedicentur omnes familiae terrae“. In ea propriis verbis promissionem spiritualem de Christo constituit. Et gravis error est, si Lyra secundum suum canonem verba in alium sensum transformare, et minus principaliter de corporali Israel benedicendo corporaliter exponere conetur.

Ad hunc modum hoc in loco principalis, unus et singularis sensus est, loqui Dominum de promissione corporali terrae Canaan, nec geminus historiae seu literae sensus hic concedendus est.

Si quis allegoriam quaerat, et ex Ur Chaldaeorum faciat infernum, peccatum et mortem, ex terra Canaan autem vitam aeternam, eum peregrinam sententiam et a verbis alienam sequi nemo dubitabit.

Etsi autem ad docendum non inepta est allegoria, tamen sententia infirma est, et ad pugnam inutilis. Quis enim prohibeat tales multas sententias fingere, sicut ex una cera multae possunt formae fingi?

Nobis autem cura debet esse certae et verae sententiae; ea alia non potest esse, quam literae et textus, seu historiae. Sicut igitur paulo ante de promissione spirituali et vera justitia locutus est Moses, *ita* nunc loquitur de terrae Canaan promissione: ne-

que allegoria hic opus est, ut interpreteris Ur peccatum, terram promissam immortalitatem; hoc enim jam antea de Abraha dixit Moses, imputatum ei pro justitia, quod Deo credidit, hoc est, remissa ei per fidem peccata, et donatam vitam aeternam.

Haec ipsa litera per se ostendit, si eam dextre tractes, quod sit Abraham heres justitiae et vitae aeternae per Christum. Iam quia Abraham non solus est, sed habet promissionem posteritatis, posteritas autem est, quae ex promissione est, hoc est, quae credit promissioni, Paulus a semine carnali ad credentes ex gentibus promissionem transfert. Quia enim tota res in eo consistit, quod Abraham Deo credidit, et reputatum est ei ad justitiam, hoc est, quod credendo factus est justus et heres aeterni regni, universalem hanc inde exstruit, quod omnis, qui promissioni credit sicut Abraham, sit heres aeterni regni et iustus, sive sit carnale Abrahae semen, sive non.

Hanc sententiam nisi ex literali et simplici sensu hausisset Paulus, nunquam eam vidisset. „Cum fideli Abraham, inquit in Galatis (3, 9.), benedicentur omnes, qui sunt ejusdem fidei". Item (v. 7.): „Qui sunt fidei, sunt Abrahae filii". Contra (v. 10.): „Qui sub lege sunt, sunt sub maledicto" etc.

Unde ista disputat Paulus? Unde sumit ea? Ex hoc nimirum loco, quem nisi Apostolico spiritu suscepisset explicandum, omnes nos tanquam inutile et obsoletum dictum praeterivissemus. Debetur igitur Paulo tanquam summo sacrae scripturae doctori praecipua gloria, et nos merito eum sequimur, neque ulla ratione ab ejus sententia per mendaces sophistas patiemur abduci.

Haec rudiorum causa dixi, qui cum incidunt in tales doctorum locos, gemmam se reperisse putant, cum tamen periculo non careant, et a vera via abducant, hoc est, a litera et historico sensu, quae sola retinenda et urgenda est.

Et dixit: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?

Mos est sacrae scripturae addere promissionibus signa. Sic in Baptismo et coena Domini non verbum solum promissionis, sed etiam signum, seu opus, seu ceremonia est. Factus igitur familiarior Abraham Deo et confirmatus audet petere signum, quod alioqui tentatio Dei esset et peccatum. Est enim tentatio conjuncta cum dubitatione. Itaque videtur virgo Maria rectius fecisse, quae credit promissioni, nec extorquet signum: sed Angelus ultro ei signum offert de Elizabeta.

Sed aestimanda haec sunt non ex rationis judicio; persona inspicienda est, ea est fidelis, et heres aeternae justitiae: igitur Deo placet, quod signum cupit promissioni addi; quodsi persona fuisset sine fide, signum petere fuisset peccatum.

Sic Gedeon, sic David petunt signa, et fortunantur eorum consilia. Impius Achas etiam jussus a Domino signum non petit, sed persistit in usitata incredulitate.

Sic judicium vel a persona, vel, ut clarius dicam, ex ipso corde sumendum est. „Quicquid enim non est ex fide, peccatum est" (Rom. 14, 23.). Contra: Quicquid ex fide est, Deo placet.

David gerit bella, et fortunatur, alius infeliciter pugnat. Manet enim David in fide et vocatione, et

occidens hostes servit Deo. Vocatio autem non est unius formae, aut fit per signa, aut per verbum vocale, aut etiam per internum motum spiritus.

David, Samson leones interficiunt, non jussi a quoquam, sed impulsi divino motu. Qui hunc motum non habet, et idem tentat, periculo certissimo involvetur. Sicut igitur haec singularis vocationis opera in exemplum trahenda non sunt, ita quoque hoc Abrahae exemplum non est omnibus sequendum. Non ideo tu signum petere debes a Deo, quia Abraham signum petit; Abraham describitur reputatione divina justus et plenus Spiritus sancti; ideo etiam cum signum petit non jussus, non peccat, sed placet Deo, et Deus libens ei auscultat. Hoc tu, nisi habeas praelucentem solem Spiritus sancti, nunquam facies, sed haerebis in voce et mandato Dei; id quovis signo tibi certius esse debet.

Saepe autem monui, magna prudentia opus esse in judicandis sanctorum operibus. Saul cum insiliisset in eum Spiritus, dissecabat boves, ac minabatur, idem passuras illorum oves, qui ipsum et Samuelem non essent secuturi ad bellum, 1. Sam. 11. Hunc heroïcum motum ex Spiritu sancto secutus est successus.

Monetarius in causa, ut sibi videbatur, non injusta, postquam concitasset agricolas ad arma, etiam spe victoriae plenus erat, sed concidebat, et jure. Ex suo enim spiritu, non ex Dei Spiritu gerebat ista, nec potuerunt eum sublevare exempla sanctorum in veteri testamento, quibus tamen nitebatur. Nam sanctorum exempla maxima ex parte sunt miracula; ea in exemplum trahenda non sunt.

Mihi non est mandatum, ut cum Petro ambulem in mari, sed ut diligam proximum, ut patiens sim

illo crucе etc. Haec cum facio, non erro, et sum quoque extra periculum.

Describitur igitur Abraham hoc in loco, quod sit amicus Dei, qui familiariter cum Deo loquitur, et Deo tanquam amico grata sunt omnia, quae facit. Nos cum favemus alicui, omnia sustinemus et toleramus, nec ulla re offendimur; sicut Paulus (1. Cor. 13, 7.) dicit: „Caritas omnia suffert". At in homine inimico et adversario displicent omnia, et ne quidem ad levissimum erratum connivemus. Idem hic accidit. Abraham fiducia maxima, qua est justus, procedit, et petit signum, non propter se (ipse enim terram non erat possessurus) sed propter posteros, ne fides eorum succumberet in horribilibus istis persecutionibus et impedimentis, quae obventura erant.

Quae enim erat trepidatio, cum ex Aegypto essent educendi, et in ipsa Aegypto sic premerentur miseri? In ipso quoque deserto quoties per impatientiam murmurabant? Quid multa? Ex tanta populi multitudine tantum duo ingrediuntur in terram Canaan. In tot periculis et difficultatibus nisi haec promissio et similes suos confirmassent, quomodo potuisset eorum fides consistere? Necessaria igitur haec signi petitio et ecclesiae utilis fuit.

Respondit ei: Sume mihi vitulam triennem, et capram triennem, atque arietem triennem, turturem quoque et pullum columbae. Accepit igitur omnia ad se, et divisit ea per medium, posuitque unumquodque membrum e regione comparis sui: aves autem non divisit. Et cum volatilia descendissent super illa cadavera,

abegit ea Abram; cumque sol occumberet, irruit sopor super Abraham; et ecce, horror tenebrosus et magnus irruit super eum.

Hoc est signum, quod Dominus dat Abrahae, ex quo discat posteritas ejus, promissionem de terra Canaan esse certam, utcunque eam differat Dominus. Moses sacrificii descriptionem satis copiosam ponit; sine dubio autem ab ipso Adam ad posteros hic mos sacrificandi translatus est, et paulatim usurparunt eum gentes quoque, donec per legem confirmatus est denuo.

Apparet autem, Abrahamum toto die apparatu hujus sacrificii et exstruendis aris fuisse occupatum, donec tandem sub noctem fessum sopor obruit. Quod autem peculiariter Moses meminit de avibus coeli, et quid totum hoc signum sibi velit, ipse textus explicat.

Et dixit ad Abram: Certo scias, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et servient eis, et illi affligent eos quadringentis annis. Verum gentem, cui servituri sunt, ego judicabo, et postea egredientur cum magna substantia: et tu vades ad patres tuos in pace, sepelierisque in canitie bona. Generatione autem quarta revertentur huc, quia nondum est completa iniquitas Amorraei usque nunc.

Haec est signi interpretatio. Mactata animalia sunt populus Israel, varie vexatus et afflictus in Aegyto. Aves devoraturae carnes sunt Pharao et Aegyp-

tii. Abraham, qui pater hujus populi est, depellit aves; promissio enim Abrahae facta non sinit, populum hunc penitus opprimi, etsi duriter prematur.

Sicut autem quatuor animalium genera mactantur, ita quadringentis annis posteritas Abrae in Aegypto affligitur. Aves significant ultimam aetatem, qua Israel avolavit ex servitute in libertatem et terram promissam.

Si tempus consideres, durum est, tam longa servitute premi. Sed hoc consolationis plenissimum est, quod certa promititur tandem liberatio. Itaque Abraham hoc signum sine dubio posteris suis assiduis concionibus inculcavit et commendavit, ne fracti calamitatibus cederent, sed urgèrent firma fide et inconcussa spe promissionem terrae Canaan et liberationem: hortatus quoque est, ut, sicut ipse abegit aves, ne polluerent sacrificium, ita posteri quoque scandalis se opponerent, et ea vincerent, donec Dominus misericordia sua finem imponeret hisce malis, et hostes populi sui perderet.

Sic non solum promissum Abrahae est temporale semen, antequam esset, sed etiam praedictae ei sunt passiones et vexationes praecessurae promissionem.

Abraham adhuc erat solus, sine herede; sed coram Deo jam tum natus erat populus, imo devorabatur ab avibus, aves quoque procul abactae erant, imo demersae in mare, populus autem liberatus et incolumis. Sed Abraham haec tantum in verbo et promissione videt, et credit, sic certo futura.

Haec est hujus loci hisorica sententia, quod Dominus per hoc sacrificium Abrahae voluit signum dare, ex quo disceret futuros eventus, quasi dicat: *Populus* hic erit mihi in mundo tanquam gratissi-

mum sacrificium. Aves coeli, seu gentes impiae non cessabunt in eum involare; sed tu depelles eos, hoc est, promissio mea tibi facta eum servabit incolumem: ego autem judicabo gentes, et educam meum populum cum magna substantia. Necessarium autem hoc signum fuit non propter Abrahamum, qui Deo credebat et justus erat, sed propter posteritatem, quae tam varie erat inter gentes affligenda, ne desperaret aut frangeretur animus.

Porro hic locus pertinet eo quoque, ut discamus, quae Dei sit natura. Est quidem servator et liberator ex morte: sed priusquam servat, perdit; priusquam vivificat, immergit in mortem; sic enim solet, „ut ex nihilo faciat omnia" (Hebr. 11, 3.). Sic cum populum hunc vellet extollere, et multiplicare supra numerum stellarum, permittit prius, ut aves in eum involent, et varie vexent, premant ac lacerent eum. Hinc ista tyrannis in imponendis et exigendis operis, et crudelitas infinita, quae exercebatur jussu tyranni Aegyptii contra natos infantes. Sic Mosen undis expositum Satan cogitavit devorandum. Vere igitur comparatur populus hic victimae, quia subinde mortificatus est carne.

Huc facit terror, quo Abraham occupatur in ipsa nocte; caro enim non potest non dolere et gemere, cum sentit crucem.

Hic quaestio nascitur de isto numero annorum, unde incipiendus sit. De fine certa res est, durasse eos usque ad exitum de Aegypto; sed de initio sunt variae opiniones.

Lyra satis evidenter ex historia, exodi sexto, convincit, quod Iudaei non fuerunt quadringentis annis in Aegypto. Levi enim habuit tres filios, antequam in

Aegyptum descenderet. Kahath vixit annos CXXXIII. natus in Canaan, sed mortuus in Aegypto. Ejus filius Amram vixit annis CXXXVII. in Aegypto natus et mortuus. Filius Amram est Moses; hujus octuagesimo anno populus exiit ex Aegypto. Non igitur supputatio haec ab ingressu in Aegyptum incipienda est; hi enim anni tantum sunt, si totius vitae annos horum Patriarcharum annumeres CCLXXXVI. Iudaei igitur a nato Isaaco supputationem incipiunt: sed ibi quoque multi anni desiderantur.

Incipienda igitur est ab eo anno, quo Abram ex Ur Chaldaeorum est vocatus. Nam inde usque ad descensum in Aegyptum praecise sunt anni CCXV. Mansio autem in Aegypto etiam sunt anni CCXV. Hi juncti nunc faciunt annos CCCCXXX. sicut numerantur Exod. 12. (v. 40.) et Galat. 3. (v. 17.).

Erat Abraham annorum LXXV, cum egrederetur ex Ur; ab eo anno sunt anni XXV. usque ad centenarium, quo ei est natus Isaac. A nato Isaac autem usque in descensum in Aegyptum sunt anni CXC. Hi juncti faciunt annos CCXV. His si addas CCXV. mansionis in Aegypto, efficiuntur anni CCCCXXX.

Hanc supputationem ego judico veram esse: nam Moses in Exodo, et Paulus in Galatis numerant annos CCCCXXX.

Quod autem hoc in loco tantum CCCC. annorum mentionem scriptura facit, non exacte supputat tempus; sed significat, circiter quadringentos annos exulaturum populum. Ita enim solemus: aliquando definite, aliquando indefinite numeramus aliquid.

Sed cur, inquies, ab egressu Abrahae ex Ur

supputationem incipis, cum textus diserte dicat, semen Abrahae exsulaturum tot annis.

Respondeo: Cum evocaretur Abraham ex Ur, jam tum declarabatur pater istius populi, et quod ad promissionem attinebat, jam erat pater, etsi adhuc sterilis esset. Sic epistola ad Hebraeos (7, 9.) dicit, „Levi decimatum a Melchisedec, cum adhuc esset in lumbis Abrae". Abraham enim, qui per promissionem erat pater hujus populi, cum solus decimaretur, decimabatur ejus tota posteritas, quae adhuc in lumbis ejus erat abscondita: exsulante Abraham, exsulat ejus posteritas: afflicta posteritate Abrahae, affligitur ipse Abraham: et tamen circa finem, cum proxima esset liberatio, omnia perturbatissima et miserrima fuerunt.

Sicut hodie, cum jam in vicino est dies Domini et vera ecclesiae liberatio, paroxismus vehementissimus et acerrimus est. Plus enim sanguinis a Turca et Pontifice funditur, quam ullis antea temporibus.

Admonemur autem hic quoque de dignitate sacrarum historiarum. Quid enim simile invenis in omnium gentium libris? Praedicantur enim hic eventus quadringentorum annorum, ita ut Abraham depictam videat historiam suae posteritatis in tam longinquum tempus, quod et affligenda sit in Aegypto, et tandem cum gloria liberanda. „Sic scilicet vocat Deus, quae non sunt, ut sint" (Rom. 4, 17.). Non enim apud Deum est praeteritum, aut futurum; omnia sunt ei praesentia, quae nobis a longe futura sunt.

Igitur hoc caput unum est de principalioribus in tota scriptura sancta, ex quo multa per Spiritum sanctum hauserunt Prophetae. Hinc Psalmus (100.

30 dicit: „Dominus fecit me, et non ipsi nos". Hinc Psalmus 139. (v. 1.): „Domine, probasti me", factus est. Hinc prophetiae omnes de tribulationibus justorum.

Mirabiliter enim potens hic textus est, si Spiritus sanctus accedat, et eum nobis explicet. „In libro tuo, inquit David (139, 16.) omnes scribuntur, dies formantur, et nemo in eis". Hujus sententiae nonne hic clarum habes exemplum? Numerantur anni, praedicitur afflictio multiplex, sed nemo adhuc in eis; nondum enim nati sunt, de quibus concionatur hic Dominus. Ad hunc modum sancti Prophetae illustrati Spiritu sancto ex Mose hauserunt suas conciones.

Maxima autem consolatio est, quod divina veritas neque in praeterito, neque in futuro fallit: igitur Abraham, etsi adhuc sine herede est, tamen per promissionem hanc certus est de possessione terrae Canaan et universa posteritate; et quod ad fidem ejus attinet, jam possidet terram.

Facit autem praesens locus etiam pro confirmatione fidei nostrae contra Judaeos. Si enim Deus semen Abrahae sic dilexit, ut certo tempore definierit, quando sint liberandi, quomodo nostri Iudaei se defendent, quod nunc annis plus mille quingentis sine omni prophetia, sine omni temporis definitione in duro exsilio, sine cultu et sine politia errant et vagantur, praesertim cum exstent gravissimae prophetiae in Ieremia et alibi: „Non deficiet coram Deo vir in throno David" etc. (Ierem. 33, 17.).

In captivitate Babylonica, cum videretur populus prorsus abjectus, tamen haerebant pii in prophetia Ieremiae, qui captivitatis tempus per Spiritum sanc-

sanctum definierat, redituros in Canaan post annos LXX.

An non autem cogentur Iudaei nostri fateri, quod a tempore Christi crucifixi non fuit vir sedens in throno David coram facie Dei?

Quid igitur? num Deus mentitur? Non: sed ipsi Iudaei mentiuntur, negantes, Christum venisse, et exspectantes Messiam tot jam annis frustra.

Si autem vera ipsorum spes esset, et Messias in vicino esset, num putas, Prophetis carituros, qui de tempore adventus eos monerent? Quia autem tam longo tempore ministerium Prophetarum eos destituit, et neque certum, nec incertum tempus finiendae suae captivitatis norunt, certum est, vanam eorum exspectationem et irritam fidem esse; verbum autem Dei esse certum et firmum, quo promittitur, non defuturum de posteritate David, qui sedeat in throno David, usque dum veniat Messias.

Sequitur quoque, Iudaeos non amplius esse populum Dei; sed esse abjectos a Deo propter incredulitatem, quod promissum et exhibitum Messiam non sunt amplexi.

Memineritis igitur hujus argumenti, quod nulla ratione eludi potest. Deus est servans sui promissi, atque adeo servans, ut etiam illorum curam habeat, qui nondum sunt nati, sicut hoc in loco videmus. Quomodo igitur jam natos negligeret, et tanto tempore sine Prophetis errare sineret, si essent populus Dei vel semen Abrahae? Eventus igitur convincit eos, quod non sint populus Dei, sed rejecti a Deo. Nam gentium ecclesia etiam cum va-

rie his ultimis temporibus oppressa sit, tamen habet sua testimonia, quibus Deus sibi eam curae esse ostendit.

Turcatus et Papatus sunt potentissima monstra, quibus ecclesia novissimis temporibus graviter affligitur: et tamen in mediis furoribus draconis et leonis manet Baptismus, manet Eucharistia, manet clavium potestas, manet textus Bibliorum seu scriptura sancta, non quidem humana virtute (alioqui jam dudum utrique abolevissent haec) sed Deus sua virtute haec conservat, ut manente verbo et sacramentis maneat quoque fides et ecclesia, invitis Papa et Turca. Quia igitur nobiscum adhuc loquitur Deus, non deseruit ecclesiam suam, etsi affligi eam sinit.

Tale nihil Iudaei possunt afferre. Nam quod ipsi quoque scripturam sanctam habent, addita ea poena est, ut mensa ipsorum eis sit in laqueum (Psalm. 69, 23.). Ac comparat Esaias (29, 11. 12.) eos tenenti librum, sed imperito literarum, ut legere non possit. Scripturam quoque vocat clausum librum et obsignatum, quem non possint aperire. Sunt igitur Iudaei in certo errore.

Deus enim semper populo suo ostendit per Prophetas certum tempus tum afflictionis, tum liberationis. Hoc igitur neque Dei, nec populi ejus est, quod nunc ad annos mille et quingentos extorres et sine Prophetis sunt.

Contra nos Christiani certissimi sumus, nihil esse reliquum, quam extremum diem et redemtionem nostram. Interim nobiscum loquitur Deus, exhortatur et docet nos, ut simus parati omni die et hora

Haec certa ratio est, esse nos Dei populum et veram ecclesiam, quam Deus adeo non deserit, ut etiam nondum natam posteritatem Abrahae de exsilii tempore tam diligenter praemoneat.

Tam enim apud Deum futura, quam praeterita sunt praesentia. Posteritas Abrahae Deo tum vivebat: ideo ad eam loquitur, et eam docet.

Ad hunc modum etiam mortui coram Deo sunt et vivunt. Sicut enim ego Deo vixi, antequam essem et antequam nascerer; ita etiam mortuus ei vivam, et ero. Haec potenter asserit praesens textus, quod Deus sit Deus vivorum, et quod tam vivant Deo, qui nondum sunt, quam qui sunt, aut per mortem inter vivos esse desierunt. Sancti Prophetae ex hoc loco multas conciones hauserunt.

Quod in textu sequitur: „Et tu vades ad patres tuos", pulcherrima consolatio est. Sic enim cogitamus: Abraham exsul moritur, et tanto tempore post ipsius mortem posteritas ejus consequitur promissionem terrae Canaan: ubi igitur manet, quod supra dixit: „Noli timere: ego enim merces tua magna nimis"? Mortuo quid haec prosunt? Hoc sane magnum est, quod mihi contingere precor, quod promittit de senectute suavi et placida morte. Sed quid haec ad promissionem tam magnificam?

Abraham illuminatus Spiritu sancto intellexit hic resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi, cujus ceu signum, vel testimonium indicavit istam promissionem corporalem de terra Canaan. Statuit igitur, Deum sibi mortuo jam et in pulvere terrae quiescenti fore mercedem copiosam.

Ac notanda inprimis hoc in loco est descriptio mortis suavissima. Non appellat mortem, sed suavibus verbis eam quasi extenuat: „Colligeris, inquit, ad patres tuos", et dormies cum Noah atque aliis heroibus. Item: „sepelieris", hoc est, non rapieris, sicut Henoch, sed defodieris in terram, et redigeris in pulverem in placida senecta, cum jam satur dierum, et quasi defatigatus hac vita fueris.

Definit igitur, moriturum Abrahamum, et tamen promittit, se ejus mercedem fore. Haec quomodo conciliabimus, si non statuemus, post hanc vitam aliam meliorem et aeternam restare, ad quam per Filium Dei ex ipso pulvere mortis excitabimur?

Tales notas futurae vitae habuerunt sancti Patres, quibus se in hac vita tam calamitosa et misera sustentarunt. Faciunt autem huc superiora illa de justitia imputata, hoc est, de gratuita remissione peccatorum et redemtione ex morte aeterna.

„Non autem propter Abrahamum haec sunt scripta", inquit Paulus, Rom. 4. (v. 23. 24.), „sed propter nos", ut nos quoque credamus, nobis repositam mercedem, ubi jam sepulti jacebimus in terra, ac talem quidem mercedem, ut cum Deo vivamus, quam diu ipse vivet, hoc est, in aeternum. Hac spe contentus Abraham, etiamsi promissionem terrae Canaan non consequitur, tamen securo animo est, mortem negligit et contemnit. Scit enim, victurum se in perpetuas aeternitates cum Deo.

Notabitis igitur diligenter hunc locum, qui ceu oceanus et mare magnum est multarum illustrium concionum in Prophetis de justificatione, de redem-

rum, e peccatis, de resurrectione mortuorum et aeterna vita.

Non enim, ut diximus, Abrahamo haec scripta sunt; nobis serviunt, ut cum Abraham credentes in semen mulieris spe hac superemus mortem, hac hortamus transitum ex hac vita. Defodientur quidem corpora nostra in terram, imo in terra putrescent et redigentur in pulverem: sed suo tempore terra depositum hoc ei reddit, qui se promisit nostrum haeredem fore. Haec spes certa et firma est.

Sententia ultima de iniquitatibus Amorraeorum nondum completis pertinet ad patientiam Dei ostendam. Sicut enim piis definita est portio in terra viventium, ita impii habent definitam portionem suam in inferno. Itaque feramus nos quoque ad tempus horum iniquitates; non enim perpetuo manebunt impunitae.

Sic Papae et Turcae iniquitates nondum sunt completae. Deus longanimis et patiens non statim punit nocentes; sed non ideo penitus evadunt: determinatum tempus est, quo arripientur, et luent dignas poenas scelerum.

Sic Petrus (2. Pet. 3, 7.) servari dicit iniquos ad diem judicii, ut puniantur: et Paulus (Rom. 2, 4.) docet, hoc consilio differri poenas, ut concedat Deus spatium poenitentiae. Sed imprudens et secura caro abutitur longanimitate Dei ad licentiam peccandi, quia poena non statim infligitur, somniat perpetuam securitatem.

Ad hunc modum de Cananaeis hoc loco Dominus promittit: Parcam adhuc eis, concedam spatium

[illegible] certo tra- [illegible] transit [illegible] cum [illegible]

[illegible] constitutus est [illegible] in hoc [illegible] diligen- [illegible] ostensa [illegible] in loco [illegible]

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA

LATINA

CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ERLANGENSIS PROFESSOR.

TOMUS IV.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. XVI — XIX.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXIX.

IN GENESIN

ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM, PER VITUM THEODORUM

TOMI II. PARS II.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DECIMUM SEXTUM CAPUT GENESIS.

Ac Sarai, uxor Abram, non genuit ei. Habuit autem ancillam Aegyptiam, nomine Hagar: dixitque Sarai ad Abram: Ecce, prohibuit me Dominus, ne parerem. Eia, ingredere ad ancillam meam Hagar, si forte aedificer ex ea.

Postquam Abram liberatus est illa tentatione de herede; (verebatur, ne Damascenus servus, si quidem herede carebat ipse, in possessionem promissionis succederet, tanquam legitimus heres et non naturalis; ideo Dominus diserte ei promittit, futurum, ut habeat naturalem, et ex suo utero heredem): nunc sequitur alia tentatio, quae exercet conjugem ejus Saram. Fuit igitur piorum conjugum vita plena tentationibus et vexationibus perpetuis. Homines rudes et imperiti spiritualium rerum tantum oculos in id intendunt, quod ancillam in uxorem ducit: quia enim ipsi libidine ardent, non in promissionem, quae huic facto occasionem praebet,

sed tantum in illas carnis sordes intuentur, sicut Iudaei quoque.

Sic audivi ego saepius in schola non solum ex jureconsultis, sed etiam ex theologis, in Mose nihil contineri, nisi libidines Iudaeorum, quia in genealogiis describendis et connubiis jungendis admodum diligens est.

Sed hujusmodi judicia arguunt animos impuros, judicantes temere ex suo ingenio sanctorum facta. Non libidine incitati ad haec consilia decurrunt sancti conjuges; tentationi succumbunt, et quia de posteritate propter promissionem solliciti sunt, et avide exspectant semen Adae in Paradiso promissum: ideo Sara, quae et effetam et sterilem se esse novit, etsi de promissione non dubitat, tamen de personis, quas velit Deus ad hoc opus eligere, dubitat, et, communicato cum Abram consilio, Hagar ancillam ei adjungit, ex qua aedificetur.

Commendatur igitur hic fructus matrimonii, propagatio scilicet generis humani, quam etiam gentium literae magnifice commendant. Etsi enim mundus cogitationes has, quibus Abraham exercetur, intelligere non potest, tamen et probat conjugium, et vagas libidines damnat.

Ac semper honestorum parentum haec fuit voluntas, ut liberi honesto matrimonio alligarentur potius, quam ut scortarentur.

Ac primum ratio honestatem intelligit, quae in hac conjunctione legitima maris et feminae erit. Deinde ducitur etiam ingentibus commodis; videt enim, ex hoc fonte manare politias et oeconomias, quas ruere et perire necesse esset, si nulla legitima *et certa* connubia essent.

Sed Abraham non solum spectat posteritatis augendae occasionem, sed etiam redemtionem totius orbis terrarum, quam norat per promissum semen obventuram mundo; hanc expetit quovis modo promotam.

Anno aetatis suae LXXV. egressus est ex Ur Chaldaeorum. Hic autem jam decimus exsilii annus est, necdum spes aliqua prolis apparet: promissionem quidem habet, sed differtur ea, ac differtur quidem ipsius judicio nimis diu.

Quodsi res ipsius gestas aestimamus, tot scilicet peregrinationes et profectiones, deinde pugnam cum quatuor regibus, breve admodum hoc decennium fuit: sed si ad promissionem dilatam respicias, sane longum fuit; mensis post mensem, annus post annum abiit, et Sara tamen mansit infecunda.

Hic non cogitationes libidinis, sed anxia seminis exspectatio torsit animum. Quae autem putamus hisce annis de hac tentatione fuisse inter sanctos conjuges colloquia, gemitus, lacrymas, consolationes mutuas? Quanto enim dilata longius promissio est, tanto gravior incubuit crux, et tentatio intolerabilior est facta.

Moses igitur in hoc capite singularem Sarae tentationem voluit pingere. Exemta per promissionem Abrahae erat dubitatio de herede; norat enim, ex se nascendum esse. Certus igitur de prole sui corporis nunc de matre dubitat, nec nullam hujus dubitationis causam habet; Sara enim natura sterilis, etiam aetatis ratione ad partum inepta erat.

Describitur igitur Sara, quod fuerit sapientissima mulier et fidissima marito, in exemplum omnium mulierum. Secuta fuerat maritum in exsilium, de-

sertis amicis et cognatis omnibus. In exsilio constanter ferebat incommoda et difficultates omnes: humilis obediebat marito in omnibus. Nunc postquam circumstantiae omnes spem sobolis adimunt, non tamen abjicit fidem, non dubitat de promissione. Etsi enim videt, differri promissionem, et tum propter sterilitatem, tum propter aetatem se matrem fore desperat, tamen in summa humilitate maternitatis gloriam resignat, et contenta est, si Hagar ancilla ex marito fiat gravida.

Retinet igitur fidem et spem misericordiae divinae; in summa humilitate patiens est contumeliae hujus, quod sterilis est, et volens cedit eam laudem ancillae. Hoc non fecisset uxor Iob, nec Tobiae, nec Davidis uxor; vocassent hae in dubium promissiones divinas, et indignabundae dixissent, se a Satana delusas; rixatae essent cum Abrahamo, quod Satanae ludibriis inductus deseruisset patriam. Quodsi horum nihil fecissent, saltem de Dei erga se benevolentia dubitassent, et sterilitatem signum irae Dei judicassent.

Sed Sara pulcherrime distinguit inter dona Dei: etiam sterilis se amari a Deo credit, et ideo volens gloriam fecunditatis cedit ancillae. Ita in omnem partem eximia hujus feminae virtus est.

Merito igitur a Petro proponitur, ut sit exemplar totius sexus feminei. Sed in Papatu hujusmodi historiae, quia cum coelibatu pugnant, contemtae jacuerunt; cum tamen longe plures virtutes in hac conjuge videas, quam in omni coelibatu omnium. Hoc enim quis pro merito explicare et ornare poterit, quod resignat sua sponte gloriam maternitatis, *et vult in hac parte repudiata quasi haberi*, modo

maneat in gratia et miseratione divina, ac promissio per aliam impleatur?

Abrahae quoque insignis sanctimonia est, qui, cum se usitato exemplo tueri, et aliam ducere poterat (polygamia enim tum in usu erat), tamen id non facit, nisi uxore jubente. Utrunque rari exempli res est. Potuit aliam ducere Abram, quam illam servam Aegyptiam, forma praestantiorem, moribus commodiorem, conditione meliorem: sed acquiescit uxori, quae hoc consilio ancillam ei adjungit, ut ipsa maneat mater et domina, ac habeat promissum semen, si non naturale, tamen legitimum.

Observabis autem moderatam Sarae orationem. „Dominus, inquit, prohibuit, ne parerem". Non, ut nos solemus, indignabunda accusat Satanam: sed cum humilitate agnoscit Dei opus: Dominus, inquit, non voluit hactenus mihi dare prolem. Agnoscit igitur, conjugium genus vitae esse, quod a Domino institutum divinitus gubernatur, atque ultro aequo animo fert sterilitatem, gratias actura Deo summas, si benedixisset ipsius ventri.

Hebraea phrasis propter verecundiam admodum suavis est. „Ingredere, inquit, ad Hagar". Sic de David dicit scriptura (Psalm. 51, 2.): „Ingressus est ad Bathseba".

Aedificandi autem verbum significat benedictionem prolis, ideo, quia, cum proles datur, aedificatur domus, et recte constituitur oeconomia: norunt enim parentes, quibus laborent, et quos suorum bonorum habituri sint heredes.

Ostenditur autem hic quoque fides sanctissimae feminae, quae ideo ancillam marito adjungit, ut sibi vindicet prolem tanquam suam, ut, cum naturali-

tex, mater esse non possit, tamen sit legitime mater. Atque haec ratio Abramum movit, ut uxori sollicitanti et jubenti pareret; quia enim promissio aderat, et tamen naturaliter impossibile erat, Saram parere, concludunt, alia matre prolem quaerendam, ne impediatur promissio.

Porro ex hoc facto non est constituendum exemplum, quasi nobis eadem liceat facere. Circumstantiae enim considerandae sunt. Nobis non est facta promissio seminis, sicut Abrahae, et, ut maxime habeas sterile conjugium, nihil inde periculi est, etiamsi tota tua progenies, ita volente Domino, occidat.

Abraham autem non solum habebat promissionem seminis, sed constabat quoque, Saram esse sterilem. Hae circumstantiae apud te non habent locum. Igitur singulare hoc horum conjugum factum neutiquam in exemplum est trahendum, praesertim in novo testamento. Nam vetus testamentum polygamiam etiam liberorum causa permisit, et exstat in Mose (5. Mos. 22, 29.) lex, si quis vitiaverit ancillam, ut eam retineat uxorem; sed ista caeremonialia, seu legalia cessarunt: et Abrahae casus longe alius est, quam ille, qui apud Mosen exstat.

Et obedivit Abram voci Sarai. Tulitque Sarai uxor Abram Hagar, Aegyptiam ancillam suam, a fine decem annorum, quo habitavit Abram in terra Canaan, et dedit eam Abram, marito suo, in uxorem.

Diserte dicit Moses, Abrahamum obediisse Sarae, non dicit, quod delectatus sit facto hoc. Ego quidem, omnino judico, invitum eum paruisse Sarae; amavit enim eam summo amore, ut ostendit

historia, et tamen cedit ejus rationibus, cum allegaret sterilitatem et senium. In obsequium uxoris igitur hoc facit, non ut in lege solebant polygami.

Et Moses non sine causa subinde Saram uxorem, Abramum autem maritum vocat, ut ostendat, Abramum non factum adulterum, nec dissolutum hoc novo contractu*) prius matrimonium inter Saram et Abramum. Manet Abram castissimae conjugis castus maritus: quod autem cum Hagar conjungitur, tantum eo consilio fit, ut promissio divina non impediatur.

Cum ingressus esset ad Hagar, concepit; et videns, quod gravida esset, despecta est domina ejus in oculis suis.

Hic nova tentatio incipit. Quod autem Moses decem annorum meminit, id Iudaei eo accommodant, quod sit regula et canon, ut maritus decem annis cohabitet cum uxore; quodsi per decennium maneat sterilis, tum jus esse marito ducendae alterius, ne sine herede decedat. Hoc sive ita servatum sit, sive non, ignoro. Mihi tamen non probatur, quod in exemplum hanc historiam trahunt, quae, ut supra dixi, suas certas circumstantias habet.

Et cur Iudaei Abrahae exemplo polygamiam probent, cum ea in lege praecepta fuerit? Fratris enim uxor sine liberis decedentis necessario a fratre ducebatur, ut fratri excitaret semen (5. Mos. 25, 5.).

De hoc mandato cum cogitamus, fere in eam sententiam concedimus, ut putemus, libidini multum licentiae inter Iudaeos datum, si quidem non solum permissa, sed etiam mandata polygamia fuit.

*) Fort. contracto.

Sed mea alia sententia est: videmus enim, quid soleat natura. Statim, cum lege aliquid jubemur facere, inviti id facimus, et nitimur in vetitum: nec nulla fuerunt in hac re incommoda. Videmus infirmitatem hujus sexus infinitam. Affectibus indulgent et ducuntur, alia iracunda et rixosa, alia elata animo est: haec ad gubernationem oeconomiae inepta, illa in educanda sobole negligens etc. Grave igitur fuit ducere fratris mortui conjugem; nullo enim praetextu lex eludi poterat. Non igitur libidini licentia data, sed molestia, labor et curae auctae sunt hac lege.

Et per Adae inobedientiam natura sic contumax et rebellis facta est, ut nullam legem possit ferre. Sic cum matrimonium praeceptum sit, ut unusquisque ad vitandam scortationem habeat suam uxorem, experimur, et praedicari coelibatum ab aliis immodicis laudibus, et juventutem proniorem ad vagas libidines.

Omnes, qui amant, inquit senex apud Comicum (Ter. And. 1, 2. 20.), graviter sibi uxorem dari ferunt. Et exempla infinita ante oculos sunt, quod conjuges ardentissime inter se amantes facillimis occasionibus inter se oderunt, se mutuo deserunt, conjungunt se cum alienis.

Tam fera et corrupta est humana natura. Opus habet conjugio ceu remedio libidinis, et Deus per conjugium concedit usum feminae; ac non tantum tegit peccatum, quo carere non possumus, sed etiam benedicit conjunctioni maris et feminae: et tamen hanc legitimam, divinitus institutam et Deo placentem conjunctionem refugit totus mundus, et sectatur *potius* vagas libidines, quae non uno genere mali

nocent: prodiguntur opes, laeduntur gravibus morbis corpora, provocatur Deus ad horribiles poenas infligendas, et, quod caput est, dissipantur politiae et oeconomiae.

Cur tot et tanta incommoda non declinamus? Cur non potius benedictionem Domini per legitimam conjunctionem quaerimus? Quia scilicet natura nostra per peccatum corrupta, rebellis et legum impatiens est, nec vult domari aut frenari. Adeo inenarrabilis et pestilens morbus est inobedientia originalis. Hinc nata illa Graecorum et Latinorum elogia, quibus damnant et dissuadent conjugium propter illas molestias carnis, quas affert; et tamen, qui cordatiores fuerunt, pluris fecerunt honestatem, ac definierunt, conjugium esse individuam conjunctionem maris et feminae.

Haec conjunctio ex utriusque consensu et voluntate ut fiat necesse est. Sic conjuncti conjuges postea conferunt consilia et operas, parant victum sibi et liberis, liberos educant in timore Dei, gubernant familiam. Ad hunc modum cum conservatur disciplina oeconomica, ecclesiis parantur ministri, parantur gubernatores rerumpublicarum idonei, et propagatur ecclesia, quae sola veram Dei notitiam habet.

Haec utiliter docentur, et saepe admonenda de his juventus est, ut mature veras et honestas sententias amplectatur et discat.

Ac valet huc praesens locus: nugae enim sunt, quae Iudaei de decem annis somniant, cum ad exemplum haec de Abraha trahunt. Ad erudiendos animos de vera pietate pertinent, ut videamus, quo modo pii conjuges in tentatione conferant consilia, et maritus Abraham Sarae consiliis honestis et piis

acquiescat; et uterque firmiter retineat spem et fidem de divina misericordia.

Difficilis res Abrahae fuit sic tenere amanti suam conjugem, cum qua tot annos vixerat, conjungi cum ancilla, eaque Aegyptia: et tamen vincit se, et Sarae obtestanti paret. Haec maxima humiliatio sancti Patriarchae fuit; sed quem eventum res habuit?

Sanctissima Sara non invidet ancillae maritum, et sponte ei cedit maternitatis honorem. At ancilla mater facta incipit dominam Saram contemnere prae se. Sic sunt res humanae. Necessaria virtus est beneficentia, et digna laude; sed longe major virtus magisque necessaria est non offendi ingratitudine, seu ferre ingratos. Hic enim nullum est medium; aut Dei, aut Diaboli regnum est: Dei, benefacere, consulere, prodesse, imo etiam subesse et servire: Diaboli autem est, accipere caritatem et omnia officia, et reddere ingratitudinem.

Observandus igitur hic perpetuus canon est, si voles esse pius, et sperare futuram vitam, ut benefacias omnibus, ut miserearis omnium calamitosorum, ut ipsa viscera et vitam impendas, et tamen nullam inde speres gratiam, sed animum certo obfirmes, futurum, ut beneficii loco maleficium tibi rependatur. Qui autem hoc non vult facere, quaerat alium mundum, in quo tantum sint grati homines, et sapientius de collocandis beneficiis deliberet, quam sancta Sara et humilis Abraham.

Experimur autem, paucissimos esse, qui hoc modo obfirment animum. Omnes ex beneficiis speramus gratiam: ea cum non redditur pro voto, sequuntur querelae, convicia, plagae et irreconciliabilis in-

dignatio, sicut etiam poëtarum et maxime tragicorum exempla ostendunt.

Cum ego Erfordiae discerem, summus magistratus ab eo suspensus in patibulum est, quem ipse de patibulo liberarat. Et in Psalmo (41, 10.) nota Christi querela est: „Qui manducat panem meum, me conculcat pedibus".

Non igitur in ecclesia solum, sed etiam in politia et oeconomia haec regula servanda est, ut ingratis benefacias. Sic enim sunt res humanae, et merito pro proverbio usurpatur illud Christi: „Qui manducat panem meum", hoc est, cui do victum et amictum, quem ut carissimum natum foveo, quem in sinu meo alo, „hic me conculcat pedibus".

Sic igitur instituenda vita est, ut primum sis Dei servus, hoc est, ut fidas in Deum, non solum, quod ad hanc temporalem vitam attinet, sed etiam, quod in aeternum sit noster Deus, quem, ut reliqua omnia desint et deficiant, in aeternum habituri et retenturi sumus.

Postea ut benefacias non solum amicis, sed etiam inimicis. Quodsi egerunt tibi gratias, bene; tanto felicius collocatum beneficium est: sin conculcarint pedibus, et pro gratia odium reponunt, non tamen periit beneficium, et tu in eo patris coelestis exemplum secutus es, qui sinit, solem suum oriri super bonos et malos.

Tales sunt res humanae: nec contingentia haec dixeris, sed necessaria, et impossibiliter aliter se habentia, ut Aristotelis verbo utar.

Nullum majus et praeclarius opus est recta et vera institutione. Es igitur paedagogus tu, seu moderator scholae alicujus, quid facies? Erudies, do-

cebis, castigabis, monebis tuae fidei commissam juventutem ea spe, quod aliqui sint facturi officium, aliqui non. Perdere enim beneficium debet, qui praestare beneficium vult; semper enim major eorum copia est, qui sana consilia aspernantur, quam qui sequuntur. Ac satis nobis sit, non in totum periisse beneficium; si inter decem leprosos unus redit, et agnoscit beneficium, satis est. Si inter decem discipulos unus est, qui corrigi se patitur, et studiose discit, satis est. Non enim periit prorsus beneficium, et Dei exemplo jubemur gratis et ingratis benefacere.

Hoc mundus nescit, aut saltem facere recusat: exspectat gratitudinem, et officia officiis emi judicat. Haec spes cum fallit, indignatur, imitatur misanthropum Timonem, qui pariter omnes odit, et nemini benefacit.

Haec inhumanitas fugienda est, et sic est benefaciendum aliis, ut non speres remunerationem in hac vita; sicut pater coelestis beneficus est erga ingratum mundum. Hujus exemplum sequamur, et non mundi. Verum enim verbum illud est: „Qui comedit panem meum, me conculcat pedibus". Et fallaces esse spes hominum, multa exempla comprobant.

Qui ambit uxorem, deligit studio sibi unam, quam sperat suis moribus bellissime responsuram. Sed latebrae animorum sunt imperscrutabiles; paulatim aperit se superbia, invidia, iracundia. Disce igitur, talem esse mundum; sicut enim Deus Deus est, hoc est, beneficus et bonus: ita mundus est mundus, hoc est, ingratus et malus. Qui igitur sub Deo vo-

lunt vivere, sint officiosi in omnes, et adsuefaciant se ad ferendam ingratitudinem.

Monachi ignari Dei et hominum abdiderunt se in deserta, et ibi sibi vixerunt: sed hoc neutiquam Christianum est. Maneas in mundo et inter homines, ac feras mundi molestias et Satanae, neo vincaris a carne. Hoc enim non viri tantum, sed Christiani est, vincere hominum malitiam.

Legendae seu historiae sanctorum, quas in Papatu habuimus, non sunt scriptae ad normam scripturae sanctae. Nihil enim est gestare cucullum, jejunare et similia in speciem dura opera suscipere prae illis molestiis, quas oeconomica vita affert, et sancti in patientia sustinuerunt et vicerunt. Sarae merito doluit injuria, quod emta ancilla, quae in hoc seculo nihil habebat, nisi panem et vestem, non suis meritis, dignitate aut pretio, sed tantum beneficentia et caritate suae dominae erecta in hunc honorem, ut ex tanto Patriarcha susciperet prolem, inflatur et superbit contra dominam suam.

Non dedignatur autem ista incommoda oeconomica Spiritus sanctus describere nobis in consolationem, ut videamus, quae fuerint sanctorum exercitia in hac vita. Politicum malum erat, quod quatuor reges, populati totam terram Canaan, Loth *) cum omni sua familia et substantia captivum abduxerant. Hoc, quod Sara ab ancilla sic contemnitur, oeconomicum est.

Etsi autem in speciem exigua et nullius momenti

---

*) Edit. princ.: Loth captivum cum o. s. f. et substantia captivum etc. Prius in editt. posterioribus omittitur.

ti res videatur, tamen Spiritui digna visa historia est, quam prolixe describeret, in consolationem scilicet, exemplum et doctrinam omnium fidelium, ut similia exspectent ipsi quoque, ac in patientia tolerent, et sperent tandem liberationem. Huc pertinet historia de Hagar, quae misera et pauperoula famula, cum ipsam vitam, ut sio dicam, ipsum habitum habeat a domina sua, tamen elevatur et effertur contra dominam.

Disce igitur benefacere aliis, et tamen para te ad ingratitudinem ferendam. Non enim, quae optamus, eveniunt: falluntur spes nostrae, quas concipimus de aliis. Natura enim corrupta et depravata est, et mira animorum est inconstantia.

Nemo tam abjecti animi est, quin adspirante fortuna insultet, quibus possit: sicut Germanicum proverbium probat, quod nullum animal sit superbius, quam pediculus in scabioso capite. Foedus et pusillus vermiculus ponit nidum suum in capite, ibi regnat et imperat: sic Hagar ingrata insultat dominae. Sed quid Sara facit?

Et dixit Sarai ad Abram: Injuria mea super te est; ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quae videns, quod conceperit, vilipendor ego in oculis ejus. Iudicet Dominus inter me et inter te.

Haec est declamatio domestica, et justa expostulatio cum marito. Non enim nullam irascendi causam habet Sara, quae tot annos cum marito vixerat, et tamen sine prole manserat, ac nunc ab ancilla, *quae ipsius* consiliis mater facta erat, despicitur: sci-

scilicet pediculus nidum reperit, et nunc sublimis in vertice dominatur.

Huic malo occasionem praebuit Abraham, qui cum de herede jam certus esset, liberalius tractabat ancillam gravidam, adhibebat eam mensae suae, ut non amplius Sarae famula, sed socia esset.

Fecit autem hoc Abraham jure naturali et divino. Sed servile ingenium, ut fit, abusum est Patriarchae bonitate, ac ideo se putat haberi liberalius, ut dominam non amplius agnoscat dominam, sed contemnat et negligat prae se.

Ut igitur solet inter mulieres, Hagar sine dubio non nunquam in has prorupit voces: Ego vera Abrahae uxor sum, tu non; tu enim sterilis es: Deus abjecit te, nec voluit tuo conjugio benedicere; me autem elegit, quae statim sum facta gravida. Hoc enim divinae gratiae certissimum signum esse, quis neget?

Intolerabilia autem Sarae haec fuerunt: itaque accusat maritum. Injuria, inquit, mea super te est. Tu causa mihi hujus mali es, quod servam non tractas serviliter.

Cur Spiritus sanctus harum rixarum meminit? Nihilne fuit gravius aut utilius, quod scriberet?

Sed profecto non levis res hic agitur. Pingit Spiritus sanctus in hac historia fontem omnium periculorum, quae tum in oeconomia, tum in politia et ecclesia exsistunt. In politia hoc invenies verum esse, quod fere eam administrent, qui minime sunt politici; sic ecclesiae gubernationem sibi vendicant, qui ecclesia non sunt. Sic supra de Eliezer, Abrahae servo, audivimus, quod somniabat sibi hereditatem benedictionis Abrahae. Sic Hagar hic vult esse domina.

Ad consolationem igitur haec pertinent, ne offendamur, cum similia nobis accidunt, quod aut Saram Hagar, aut Abramum Eliezer vult premere. Dominus enim mirabili consilio differt auxilium, et triumphant tandem, qui ipsius bonitate fidunt (Ies. 28, 29.).

Observabis autem, quod non solum cum Abraha marito expostulat Sara, sed etiam contra eum invocat judicem Deum. Magna igitur dissensio inter conjuges fuerit, necesse est: sed talis est conjugum vita; non possunt caveri offensiones omnes, sicut nec in politia, nec in ecclesia, quanquam ibi acerbiores et periculosiores sunt. Pertinet igitur exemplum ad erudiendos nos de vita humana. Durus profecto sermo: „Iudicet Dominus inter me et *) te"; sed expresserunt hanc vocem insignes injuriae, quas Sara norat magnum esse peccatum.

Hagar gravida voluit dominari, voluit heres esse omnium, quae habebat Abraham, nec potuit eam ulla ratione compescere Sara. Adeo superbiebat dono prolis Hagar. Sed hic mihi inspice Abrahamum, tantum Patriarcham, quid faciat, et quid respondeat.

Dixit autem Abram ad Sarai: Ecce, ancilla tua in manu tua. Fac illi, quod bonum est in oculis tuis.

Hic maritus diligenter considerandus, et merito praedicandus et laudandus est. Potuit dicere: Mea Sara, quid ita commoveris animo? Patientia ista vincenda erant, non erant tantae movendae lites: vides, eam Dei dono gravidam esse, et ex me habere prolem, quae promissionum mihi factarum possessionem

*) *In edit. princ.* deest et.

habitura est. Igitur tolera, et serva gravidam matrem, dum pepererit: postquam pepererit, amplius deliberabimus.

Haec honesta et aequissima fuit sententia, quam ego in simili casu essem secutus. Mea domina, dixissem, tu es sterilis: Deus privavit te fructu ventris, et huic dedit. Patere igitur aliquid etc.

Sed Abraham hoc non facit. Praefert suam sterilem et senem dominam praegnanti matri. Permittit judicium conjugi, ut faciat de ancilla, quod volet, nulla habita ratione sobolis: ac vult potius matrem cum prole abjicere, quam ut piam conjugem contristet.

Pertinet autem haec quoque particula ad descriptionem non tantum periculorum conjugii et oeconomiae, sed etiam tentationum. Tentatus est Abraham de servo Eliezer, nec eam tentationem potuit sanare, nisi Deus per verbum suum. Hic tentatur Sara; eam consolatur Dominus per maritum. Adest igitur Dominus, inspector et gubernator conjugiorum, seu oeconomiae, ac ostendit, se delectari illo quasi lusu humanarum rerum.

In oeconomia oriuntur rixae et lites inter conjuges; in politia varie turbatur pax; in ecclesia excitantur sectae, ita ut, qui haec diligentius intueatur, paene desperare de successu incipiat. Sed historiae hae docent ac monent, ut paremus nos ad molestias ferendas, et patientia superandas, neque in illorum numero simus, qui sine tentatione mariti esse, aut rempublicam gubernare volunt. Frustra enim haec ab hominibus hujus vitae imperitis cogitantur.

Impossibile est, si es maritus, ut non habeas domi tuae vel Hagar, vel Eliezer molestum.

Talis etiam est gubernatio ecclesiastica, quam sectae et alia scandala perturbant. Meminerimus igitur hujus exempli, et cum fideli Abraha nos quoque credamus Deo, et retineamus, quantum fieri potest, concordiam. Nam cum inter homines, eosque ingratos et malos vivendum sit, occasiones discordiarum et molestiae nusquam deerunt. Haec moralis hujus loci sententia est, ad vitam regendam admodum utilis.

Complectitur autem theologicam quoque sententiam, cum qua fere convenit allegoria, quam Paulus in Galatis (4, 29. 30.) usurpat. Sicut enim Hagar*), quae conditione emta ancilla et mancipium erat, dono Dei inflabatur, et Sarae imperitare volebat, eamque sibi subjicere; sic falsa ecclesia veram ecclesiam damnat, despicit, affligit, et titulum populi Dei sola usurpat.

Haec disceptatio domum ecclesiae perpetuo exercet: qui non sunt ecclesia, volunt ecclesia esse: contra qui vera ecclesia sunt, a falsa vexantur et opprimuntur.

Cain, Ham, Ismael, Esau, omnes hi ecclesiae titulo superbiebant, et promissiones ad se rapiebant, tanquam ipsi essent earum heredes. Et illa inter Apostolos Christi contentio, quid aliud erat, quam tentatio de eminentia et dignitate? Ex hoc fonte nascuntur postea in ecclesia haereses et sectae.

Sicut autem Hagar occasione benedictionis inflatur contra dominam, ac jure se id facere existimat, ita falsa ecclesia, quia opibus et dignitate ac potentia superior est, veram ecclesiam destitutam his praesidiis ac afflictam persequitur et damnat.

---

*) Edit. princ. Sara.

Hoc Moses pulchre ostendit in verbo videt. „Videns Hagar, se esse gravidam, vilipendebat Saram". Videndi verbum significat sensum doni, conjunctum cum superbia et elatione animi.

Agnoscere, quod sis eruditus, sapiens, dives, non malum est: ingratitudo enim esset dona haec contemnere. Sed superbire propter dona illa est diabolicum et ex peccato originali conceptum vitium.

Sic Adam et Eva habebant post peccatum apertos oculos, scientes bonum et malum: sed quos sanctus Spiritus regit, hi quanto donis excellunt*) magis, tanto sibi plus laborandum et aliis studiosius serviendum norunt, qui talibus donis destituti sunt. Sed fere omnes sumus Hagar similes, superbientes propter donum et benedictionem contra inferiores.

Si Hagar dixisset: Sum Dei beneficio gravida; sed non ideo desino ancilla esse. Itaque, sicut antea, parebo dominae meae, atque eo nunc id studiosius faciam, quia ipsa sic volente et jubente mater sum facta. Ipsa mihi maritum suum non invidit: vicissim igitur ei gratificabor, quacunque ratione potero. Hoc si fecisset Hagar, recte fecisset; sed sequitur corruptae naturae morem, et superbit donis, quae habet, contra suam dominam. Certa enim est, se fore matrem promissi seminis, per quod benedictio veniat omnibus gentibus.

Hanc injuriam Sara videt, sed non dissimulat. Etsi enim patientia praestanda est, et exspectandum auxilium, tamen hoc omnino cavendum est, ne justifices aliorum peccata. Sic fero ego excommunicationem Papae et odium totius mundi: sed non ideo

*) Ita exhibet editio d. a. 1552. Edit. princ. extollunt.

probo, nec laudo, quasi recte hoc Papa faciat, quod se verae doctrinae opponit, et Christi membra tantum ob retinendum regnum suum damnat et occidit.

Sic Christus patiebatur injurias omnes, sed non dissimulabat; libere objurgabat pontificis servum, et dicebat: „Cur me caedis?" (Ioh. 18, 23.). Conjungi enim debent patientia et confessio. Confessio enim si absit, proditur causa, quae contra Satanam et mundum defendenda est.

Apparet autem hic, quanta sit infirmitas hominum. Sara recte queritur de injuria sua: et tamen patitur humanum aliquid, quod innocentem maritum sic tractat duriter, et invocat contra eum judicium Dei. Non enim ea Abrahae fuit mens, quam ipsa fingit. Gavisus quidem est de benedictione Domini, quod ex se tandem esset habiturus heredem, ac matrem, etsi serva esset, tractabat humaniter, sed non ideo abjiciebat suam Saram.

Est igitur oeconomicus paroxysmus hic, quales inter conjuges saepe incidunt, cum altera pars nimis indulget affectibus aut suspicionibus *). Si enim Abraham talis fuisset, qualis a Sara accusatur, sine dubio defendisset Hagar, et dixisset ad Saram: Quid ad te, si ego eam volo esse dominam? Nihil tibi decedit. Maneas in tuo loco, quo antea; mihi autem permittas eam ornare, quam video a Domino ornatam laeta benedictione.

Sed nihil horum audis; simpliciter resignat Abraham suam potestatem in manum Sarae, et subjicit ei superbientem ancillam, ut pro suo arbitrio cum ea agat. Hoc factum liberat optimum Patriarcham omni

*) Edit. princ. superstitionibus. Nos secuti sumus editiones posteriores.

suspicione libidinis, et arguit, quod, quicquid fecit, fecit impulsu uxoris, ne promissio impediretur: et tamen sic diligit vetulam suam Saram, ut potius, quam cum ipsa dissideat, etiam spem prolis abjiciat. Talem maritum tam amantem uxoris ac retinendae concordiae oeconomicae tam studiosum quis inveniet? Hoc vero est gubernare uxorem in caritate et cum discretione, ut Petrus (1. Pet. 3, 7.) loquitur. Si enim paria reddere, et commotae uxori durius respondere voluisset, et non cedere aliquid de suo jure, dissolutum esset vinculum matrimonii, amor scilicet *). Sed plenus Spiritu sancto cogitavit; Ecce, ego sum vir, Sarai autem mea est mulier, infirmum vasculum; per patientiam igitur servabo pacem etc.

Haec insignis virtus est, quod tantus vir sic amanter uxori cedit, ne Asmodeus, quem vocant, oeconomicus Diabolus dominaretur. Homines imperiti, qui in eo laudem ponunt, si duriores sint erga uxorem et familiam, cum talis tentatio objicitur, indulgent irae, et conatus Satanae egregie adjuvant.

Prodest igitur hujus oeconomici exempli saepe et diligenter meminisse patremfamilias. Non enim sine hujusmodi turbis oeconomia gubernari potest, sicut neque ecclesia, neque politia. Consolatio autem retinenda est, futurum, ut per Angelum Domini defendamur et servemur.

Et cum humiliaret eam Sarai, fugit illa a facie ejus.

Verbum עָנָה significat humiliare, vexare, affligere. Sic Christus vocatur עָנִי a Zacharia (9, 9.),

*) Ita in edit. d. a. 1552. Edit. princ. amoris.

pauper et afflictus, et de Mose idem dicitur, Num. 12. (v. 3.).

Sensus igitur hoc in loco est: Elevarat se Hagar, ac in loco dominae Sarae voluerat sedere, ac possidere omnia. Sed impatiens injuriae Sara humiliavit eam, jussit, ut obiret servilia officia, ac forte pro more istius gentis, qui mihi ignotus est, eam castigavit. Valde autem acerbum est ex fastigio gloriae et dignitatis dejici, et redigi in ordinem. Itaque haec humiliatio magis doluit Hagar, quam ullae plagae, et tamen sanari non potuit. Humiliatum corpus erat; sed mens non solum perstitit in superbia, sed etiam odium et iram adjecit ad superbiam.

Inflata enim Hagar, et quasi in furorem versa de vindicta cogitat, et non solum suum corpus, sed etiam prolem vult surripere dominae: sic enim cogitat se habere bonum pignus secum, quod Abrahamum coacturum sit, ultro ut quaerat ipsam, et cum honore reducat in domum, ex qua sibi indigne videbatur ejecta.

Talis est revera justitia legis. Lex enim cum sola adest, inflat et iracundos reddit. Animi enim concitantur contra Deum, cum non permittit fieri, quae volumus, et nos cruci subjicit. Ideo inquit Paulus (Rom. 4, 15.): „Lex operatur iram". Pertinent autem ad legem civiles poenae et gladius: his enim coguntur mali, ut faciant nolentes officium: sicut scriptura quoque dicit, stultos corrigendos verberibus. Sicut autem pueri plagas sine lacrymis ferre non possunt, ita impossibile est, ut adulti ferant poenas sine murmure et odio.

Turcae sunt hodie fere totius orbis terrarum *domini; hi* suos in officio severitate disciplinae reti-

nent. Captivis ater datur panis et aqua, neque quantum satis: laboris autem certum demensum praescribitur: quod sicubi cessant, aut negligentiores sunt, coguntur fustibus. Ac sane servilia ingenia aliter tractari nec possunt, nec debent; et tamen verum est, quod hac ratione non sanantur. Hagar, quae prius bona fuerat, beneficiis dominae ornata, insolescit, ac fit pessima. Huic malo cum mederi Sara cogitat, prorsus aufugit Hagar.

Habes igitur hic quoque statum mundi ceu in tabula depictum; videmus, frustra moneri et corrigi homines verbis. Nam etiam plagae frustra sunt, sicut Esaias (49, 4.) queritur de suis Iudaeis. Hoc quidem solemus, cum sentimus plagas, ejulamus et querulamur. Sed primum propter peccata ejulandum erat, quae provocarunt iram Dei.

Cum totos septuaginta annos populus in Babylone inter gentes exsulare cogeretur, non deerant querelae, lacrymae, gemitus, preces. Sed quid Prophetae dicunt, imo Deus per Prophetas? „Ego, inquit, mittebam Prophetas, clamabam, plorabam, ut vos revocarem in viam; sed vos eos occidistis. Itaque vos quoque frustra plorare sinam“ (Ier. 7, 25. ib. 35, 15.).

Sic Germania hodie non clamavit, non ploravit, non doluit hactenus super horribilibus peccatis, quae facimus. Cum autem poenae nunc se exserant, incipimus lamentari et ejulare. Atqui jam olim illud oportuit factum. Nam cum poenae adsunt, frustra clamamus et ploramus. Qui autem, antequam poena veniat, plorant, horum gemitibus Dominus movetur, et mitigat poenas; sicut in Ezechiele capite nono promittitur, ubi Deus sumturus poenas de sacerdotibus

et populo, jubet, excerpi et servari gementes propter idolatriam, ne una cum impiis pereant.

Est igitur Hagar exemplum carnalis hominis, qui nec flagris, nec beneficiis emendari potest. Beneficentia herae inflatus: castigata autem prorsus aufugit. Et tamen hic quoque proponitur exemplum misericordiae.

Invenit autem eam Angelus Domini juxta fontem aquae in solitudine, juxta fontem, qui est in via Sur. Dixitque: Hagar, ancilla Sarai, unde venisti, et quo vadis? Dixit illa: A facie Sarai dominae meae ego fugio. Dixitque ad eam Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, et humilia te sub manibus ejus.

Hoc pulcherrimum exemplum est, quod Deus amat oeconomias, et eas per ministerium Angelorum suorum servat. Satanae opus fuerat, quod Hagar commota profugerat in solitudinem, et deseruerat dominam: sed Angeli, custodes huic patrifamilias additi, Hagar iterum reducunt, ut servetur promissio, qua Deus confirmarat, se Abrahae Deum fore et semini ejus.

Sine dubio autem oraverunt tum Abram, tum Sara pro Hagar in tam grave peccatum lapsa. Non enim suum solum corpus subtraxerat dominae, sed etiam commiserat plagium, quod Abrahae filium rapuerat.

Desertum Sur est inter Iudaeam et Aegyptum. Itaque cogitavit de repetenda Aegypto et patria Hagar. Nec abiit consilium hoc nefarium sine ingenti perturbatione piorum conjugum; Saram poenituit,

quod durior fuit in famulam gravidam: Abram quoque se reprehendit, quod nimium indulserit uxori.

Haec autem mirabilis commutatio est. Qui sancti et sine crimine erant, sustinent conscientiam peccati; Hagar, quae sola omnium peccatorum causa erat, secura vivebat, ac si nihil peccasset. Hoc quoque oeconomicum, politicum et ecclesiasticum malum est, quod, qui peccarunt, excusant se, et peccatum non agnoscunt.

Quis Angelus fuerit, qui cum Hagar locutus est, Moses non explicat. Hilarius sentit, fuisse ipsum Deum, et fere hujusmodi apparitiones Angelorum accommodat ad mysterium Trinitatis. Etsi autem homines quoque vocantur Angeli, tamen Angelum indutum specie hominis hunc fuisse existimo. Cum enim se ostendunt hominibus, speciem corporis, in qua apparent, assumunt.

Sic oculis cerni potuit Angelus, qui Paradiso custos est additus: item duo illi, qui eduxerunt Lothum e Sodomis, qui adsederunt ad sepulchrum Domini, qui docuerunt discipulos de reditu Christi ex nubibus.

Mos enim hic perpetuus est Angelis, ut appareant in forma humana, sive juvenili, sive senili. Sicut enim nos non semper eadem veste utimur, sed nunc hac, nunc alia induti nihil amittimus, aut mutamus de corpore nostro: ita Angeli manent iidem spiritus, licet non semper eadem specie sese hominibus offerant, sed quasi vestem mutent.

Agnovit autem Hagar statim Angelum, a quo proprio nomine appellatur. Quia enim longo tempore in domo sancti Patriarchae vixit, saepe ex eo audivit, gubernari humana per ministerium Angelo-

rum; demittit igitur cristas jam, quas in domo Abrahae contra dominam erexerat, et interrogata ab Angelo respondit, se fugere dominam Saram. Itaque ipsa se accusat inobedientiae et rapinae, si quidem confitetur fugam, et agnoscit Saram dominam.

Angelus quoque ex ipsius verbis eam judicat. Si, inquit, Sara est tua domina, revertere ad eam, et humiliare sub manu ejus: hoc enim est ancillae officium. Est itaque haec concio legis efficacis in operando terrore. Territa enim Hagar veritatem dicit, quam non territa dixisset nunquam.

Ubi igitur Sara loquebatur cum ancilla Hagar, erat Mosi facies adhuc velata: sed hic cum Angelus loquitur, procedunt ex vultu Mosis cornua, seu radii intolerabilis lucis, ad quam expavescit misera femina: ac sane esset mortua ex animi angoribus, nisi eam Angelus denuo erexisset et consolatus esset.

Sic solet lex; cum ferit animos radiis suis, simpliciter ad desperationem adigit, sicut in Iuda et Saul videmus. Dei igitur ineffabilis bonitas est, quod non tantum per praedicationem legis terret, sed etiam erigit, et consolatur per promissionem.

Pertinet autem hic locus ad confirmationem oeconomicae vitae, quod Deo grata et curae sit. Non enim vult, mutari vocationes aut deseri. Sicut in Papatu religio habebatur, deseruisse usitatum vitae genus, et abdidisse se in monasterium.

Sic Hagar quoque potuit in solitudine manere: sed Dominus eam vult servire vocationi, et parere suae dominae. Nemo igitur arbitrio proprio, aut sua voluntate mutet conditionem suam. Deus enim *aut per* mortem eam mutabit, aut voluntate et arbi-

trio eorum, qui te superiores sunt. Hoc nisi fiat, peccant, qui vocationem deserunt.

Sic contrita Hagar non per velatam faciem Mosi, sed radiantem, una cum Paulo (Actor. 9, 6.) dicit: „Domine, quid vis ut faciam"? Ante hanc contritionem superba contempsit jussa dominae Sarae.

Nunc amplissimae consolationes sequuntur, quae non debentur Hagar propter suam bonitatem, sed debentur Abrahae propter promissionem, cujus semen erat Ismael.

Rursumque dixit ad eam Angelus Domini: Valde multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine.

Haec est insignis promissio, qua territa Hagar iterum erigitur. Hae enim sunt vices divinae; afflictionem sequitur consolatio, desperationem spes, mortem vita.

Satan contrarium solet. Primo laetificat: postea perturbat, et securitatem in peccatis sequitur tandem desperatio. Nemo igitur perturbetur animo, cum sentit terrores et pericula: sed erigat se in spem, futurum, ut Dominus iterum consoletur et erigat. Haec spes quia in piis certa est, ideo tam diligenter et ardenter pro liberatione rogant.

Ceterum promissio haec, etsi illi, quae Isaaco facta est, non par est, tamen ab Hagarenis, qui se Saracenos nominant, magnifice est praedicata, et praelata illi Isaaci. Hac enim nitentes efferunt se super omnes populos terrae. Ac fingunt grande mendacium in suo Alcorano de Abraha parcente Isaaco, ac volente ipsius loco immolare Ismaelem etc. Haec

fingunt tantum, ut promissiones Abrahae factas in se transferant, et se legitimos Abrahae filios ostendant.

Ad hunc modum Pontifices quoque pugnantur, et jactant, omnes promissiones Christi in omnibus Apostolis cecidisse, et in Petro tantum haesisse ac stabilitas esse. Tanta humanorum cordium est vanitas: ex ea, ceu ex fonte, natae sunt hae gloriationes Saracenorum et Pontificum.

Porro Saracenorum magna potentia fuit, cum Turcorum nomen adhuc mundo esset ignotum. Graeciam, Italiam et Africam duriter afflixerunt, donec propter superbiam a Turcis in servitutem redacti tandem eadem cum ipsis gens facti sunt.

Igitur hic quoque cernimus, quod superbia carnis, quando tueri se verbo Dei potest, verbo Dei flagitiose abutitur, et intumescit. Provocatur igitur Deus, ut exaltatos iterum deprimat, et humiliet Hagarenos, qui ideo se posteritati verae Abrahae anteposuerunt, quod Ismael esset primogenitus Abrahae.

Sed Paulus (Gal. 4, 23.) erudite disputat: Non qui ex carne Abrahae, sed secundum promissionem nati sunt, sunt filii Abrahae. Hoc impiae gentes non viderunt, et gloriati sunt de primogeniturae dignitate: huic tribuerunt promissiones, ac certi fuerunt, ideo se nunquam ruituros.

Sed corporalis promissio jam olim est impleta. Sunt enim ex Ismael nati duodecim reges, ac duravit ipsorum potentia longo tempore: obtinuerunt orientem, occidentem autem graviter afflixerunt, donec tandem Gog et Magog, hoc est, Turcae eos *humiliarunt.*

Dixitque ad eam: Ecce, tu praegnans es, et paries filium, et vocabis nomen ejus Ismael. Audivit enim Dominus afflictionem tuam.

Ex hoc loco mirabiles et stultas nugas finxerunt Iudaei. Dicunt enim, ex itinere defatigatam, et curis ac angoribus circumventam Hagar in deserto abortivisse; deinde denuo concepisse fetum, ac suo tempore peperisse. Hujus autem miraculi esse hic Angelum nuntium, ut consoletur calamitosam feminam. Huc trahunt, quod Angelus dicit: „Dominus audivit afflictionem tuam", id est, extinctionem fetus in utero. Sed indignae hae sunt nugae, quae recitentur.

Afflictionem sine dubio vocat, quam Hagar afflictionem sentiebat esse, nempe conditionem servilem, et quod castigata esset a Sara, quasi dicat: Ne graveris esse serva. Deus aeque diligit servas ac liberas; non est apud eum acceptio personarum. Igitur feras hoc, subjiciaris dominae, etiamsi praegnans sis: diligit Deus Saram, diligit te quoque, nec nocet tibi haec vitae conditio apud Deum. Rependit incommodum hoc loco laetissima benedictione; ea te sustentes etc.

Haec mea de hoc loco sententia est. Qui de humilitate contritionis legis volunt intelligere, per me licebit: sed hoc simplicius est. Deus audit, quod graveris, te servam esse et mancipium, nec quicquam habere proprium. Respexit autem miseriam tuam, et vult tibi benedicere: bono igitur sis animo, nec desperes.

Ad hunc modum nos quoque invicem consolemur. Conditiones hujus vitae sunt dissimillimae. Pau-

per Lazarus esurit, et cruciatur morbo: dives splendide vivit, et gaudet. Suavior conditio videtur regis, quam alicujus hominis privati. Haec dissimilitudo saepe perturbat, et evertit quoque saepe animos, ut cum peccato conditionem mutent.

Sed retinenda erat haec consolatio, quae hic proponitur, ut cogites: Ecce, ego sum servus, serva, conflictor cum paupertate, obruor laboribus etc. Bene: consoletur autem me hoc, quod Deus meus aequaliter respicit reges et servos, divites et pauperes, peccatores et justos. Est enim omnium Deus, ac vult, omnes nos niti sua misericordia et favore. Differentia, quae apud homines in hac vita est, non facit differentes personas coram Deo. Aeque audit te Deus in servili statu, atque alium in liberali statu.

Haec consolatio necessaria est et saepe inculcanda hominibus; confirmat enim animos, et prohibet periculosam vocationis desertionem, quae nunquam sine peccato tentatur. Animi enim natura fugiunt crucem, et caeca ambitione nituntur in altum.

Nomen יִשְׁמָעֵאל significat, Deus audit, Gott hör, vel Gott hört; nos enim verba praeterita accipimus in praesenti. Est pulcherrimum, quod sine dubio etiam inflavit Saracenos. Nam Abrahae, Isaaci, Iacobi nomen non tam gloriosum est.

Docemur autem hic quoque, quod Deus optima sua dona distribuit etiam in impios. Afflictam Hagar sic curat Deus, ut prae illa Abrahae et Sarae oblitus esse videatur; imo nondum natum Ismael non curat solum, sed etiam opulentissima promissione ornat. Ne tamen aequaretur ea promissioni Abrahae et ejus vero semini factae, additur limitatio. Nec *satis est dixisse*: „Multiplicabo semen tuum“, etiam de-

descriptio additur, qualis Ismael et populus ex eo nascendus futurus sit. Haec limitatio singulari studio expendenda est.

Is erit homo silvestris. Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et in facie omnium fratrum suorum habitabit.

Haec descriptio proprie ad Arabes pertinet, qui nullo certo in loco consistunt, sed omnia sua secum in plaustris vehunt, et ex rapina fere vivunt.

Vocabulum פֶּרֶא est fere nostrum: ferus. Nam assueti solitudinibus et silvis feri sunt. Iudaei exponunt pro onagro: id quale animal sit, nescio; non enim vidi. Nos autem in translatione nostra Germanica Bibliorum pro nomine generali exposuimus Wild, ferum.

Primum igitur vides, Ismaelem non habere certam et fixam terrae portionem, sicut Abrahamum, cujus posteritati diserte promittitur terra Canaan. Mores igitur et ingenium Ismaelis vere est contra omnes. Alii enim manent in certis civitatibus aut pagis, Ismael autem solitudines amat, est ferus et errabundus, hodie sub hac arbore, cras sub alia cum familia sua vivit, sicut hodie Arabes et Troglodytae, qui, ut Breitenbach scribit, licere sibi jure putant, ut ex rapinis et latrociniis vivant.

Hoc significat Angelus, cum vocat פֶּרֶא, silvestrem hominem, qui non curabit civitates, non leges, non instituta necessaria ad societatem generis humani conservandam.

Et tamen cum evangelium in mundum spargi coeptum est, in has quoque partes pervenit, et ha-

buit ibi Dominus ecclesiam numerosam. Anachoritae enim fere in has solitudines secesserunt, de quibus multa Hieronymus. Sic etiam spiritualis promissionis populus ad bellum natus et ferus tandem est factus particeps. Romanos et Persas latrociniis suis saepe infestarunt.

Nugae Iudaeorum, de quibus supra dixi, arguunt, eos nihil scire sacrarum rerum, et tamen trahunt secum magnos viros, sicut Lyram, et nostro tempore viros in ipsorum lingua doctissimos, qui tales nugas saepe admirantur. Accidit autem hoc Iudaeis ideo, quia amiserunt cognitionem rei. Notitiae enim duplices sunt: alia, quid nominis, alia, quid rei. Qui notitiam rei non habet, illum notitia nominis non sublevabit.

Vetus verbum est: Nihil dicas, quod non probe scieris. Exempla plurima protulit nostra aetas. Multi enim doctissimi et facundissimi, quia loquuntur de rebus non intellectis, praeter modum inepti et ridiculi sunt.

Erasmus, homo ad miraculum usque eruditus et facundus, quoties de justificatione et rebus fidei loqui incipit, miserrime balbutit et ineptit: in aliis rebus explicandis felicissimus. Idem in Sadoleto videas. Contra qui habet, quid rei, is etiamsi parum facundus et impeditae linguae sit, recte docet, afficit et persuadet.

Sic Ciceronem Cato in senatu vincit, etsi nihil loqueretur, nisi paradoxa; eaque horride proponeret sine omni oratorio apparatu.

Idem Iudaeis evenit; nihil enim habent, nisi cognitionem, quid nominis: rem prorsus amiserunt.

Grammaticus cum audit proverbium: Lupus est in fabula, si expers rei est, cogitat, fabula est in ore: si autem lupus est*) fabula, sequitur, lupum in ore esse. Talem doctórem quis non rideat? Et tamen patiuntur idem magni homines in gravissimis disputationibus.

Iudaeus quia nescit perpetuam sententiam sacrae scripturae, quod Deus velit, humiliari omnes inferiores sub superioribus, nugatur foedissime de afflictione, et fingit novum et inusitatum miraculum, ubi miraculo prorsus nihil opus est.

Quanto rectius et ad vitam instituendam utilius esset docere, quod Deus eos diligit, qui sinunt, se castigari, ac benefaciat eis?

Castigatur Hagar a domina Sara, ac Hagar castigationem hanc non fert aequo animo, sed fuga conatur sibi consulere. In hoc etsi peccat, tamen Deus respicit afflictionem ejus, et consolatur eam. Quid potuit dici magis φιλάνθρωπον?

Adsuescamus igitur ad patientiam, et feramus aequo animo etiam verbera et plagas, liberi a parentibus, subditi a magistratu, discipuli a magistro; Deo enim gratum est obsequium, si patiamur, nos castigari.

Sed natura cum sentit plagas, non solum murmurat, sed etiam de gratia et misericordia Dei desperat. Haec mala nascuntur ex ignorantia sacrarum rerum. Qui enim norunt, respici se divinitus, cum sunt sub disciplina, et affliguntur vel a parentibus, vel a patrefamilias, vel magistratu, mitigabunt ista spe dolorem et luctum, ac exspectabunt benedictio-

*) Scribe in fabula.

nem Domini, quam vident contingere Hagar etiam injuste fugienti.

Ita si rem habeas bene notam, facilis est grammatica: sicut Horatius (A. P. 311.) quoque monet, verba non invita sequi, ubi res bene praevisa, cognita et meditata sit; ubi autem notitia, quid rei, non est, ibi notitia, quid nominis, frustra est. Ego autem verbosius vos de hac re admoneo, ut, cum legetis aliquando Rabinos, sciatis, quales sequamini magistros. Norunt, quid nominis: quid rei, non norunt. Itaque nihil sani docere possunt.

Nos Dei benignitate habemus cognitionem rerum, ipsi excaecati sunt. Etsi igitur grammaticam norunt, tamen sententiam veram scripturae non norunt; est eis scriptura, ut Esaias (29, 12.) ait, liber, quem non possunt legere". Quis igitur eos sibi imitandos proponet? Non autem accipienda haec eo modo sunt, quasi grammatices studium damnem, quod omnino necessarium est. Sed nisi cum grammatica etiam ipsas res discas, nunquam fies bonus doctor. Oratio enim, ut ille dicebat, in pectore, non in ore nasci debet.

Habes igitur, quis sit Ismael, et qualis populi pater, qui scilicet sit sine legibus, assuetus solitudinibus, venationi, praedationibus, latrociniis etc.

Ad hunc enim modum explicat vocabulum פֶּרֶא Esaias (18, 2.), cum vocat populum lacerum et convulsum *), diripientem et direptum. Diripuit omnes vicinas gentes, tandem a Turca etiam direptus est, qui ipse quoque est Ismaeliticus; manus enim ejus contra omnes etc.

---

*) *Edit.* princ. commissum. Nos secuti sumus edit. d. a. 1552.

Et invocavit nomen Domini loquentis cum ea: Tu, Deus vides me. Dixit enim: Nonne hic vidi posteriora videntis me? Idcirco vocatus est puteus ille puteus viventis, et videntis me. Et hic est inter Cades et Bared.

Verbum Dei nunquam est sine fructu. Itaque rebellis, superba, inobediens Hagar convertitur ad vocem Angeli, redit ad dominam, ac patienter fert ejus imperium. Nec id solum, sed agnoscit Dei misericordiam, praedicat et invocat Deum novo nomine ad celebrandum beneficium ejus, quo se erga ipsam declaraverat.

Sic in novo testamento appellamus Christum redemtorem a suo opere, quo se nobis patefecit; Spiritum sanctum vocamus Paracletum: sic Hagar Deum videntem vocat, qui respexerit humilitatem seu afflictionem suam.

Hoc quoque exemplum ad nos erudiendos est utile, ut unusquisque in sua vocatione discat beneficia Dei, et pro iis sit gratus, ac praedicet ea: item ut patienter feramus castigationes superiorum, si quidem Deus illa patientia delectatur, et opem mittit.

Sic scriptura, ut Paulus (2. Tim. 3, 16.) inquit, ad docendum est utilis: non est futilis grammatica, ubi de literis, punctis et vocabulis rixemur. Docemur enim exemplo Hagar nos quoque, ut Deo, qui nos consolatus est, demus nomen, et dicamus: Domine, tu me liberasti de morbo, tu me ditasti, tu mihi bonam adjunxisti uxorem etc. Hoc est sacrificium laudis, et Deo gratissimus cultus, si agnoscas et praedices beneficia ejus, ac nomines רֹאִי videns me, quasi dicas: Putavi, me prorsus desertam (a

Deo: sed nunc video, quod respexerit me, et calamitosam non *) abjecerit.

Pulcherrimum hoc Dei nomen est, quod utinam omnes possimus Deo tribuere, hoc est, certo statuere, quod respiciat, quod curet nos Deus, tum maxime, cum videtur nostri oblitus, cum nos a Deo derelictos existimamus. Qui enim hoc in afflictione potest dicere: Deus videt me, habet veram fidem, et potest facere ac ferre omnia, imo vincit et superat omnia.

Itaque omnino statuo, numerandam Hagar inter sanctas mulieres. Nam quod Paulus (Gal. 4, 30.) eam cum Sara confert, ac ancillam vocat, quae non habeat locum in domo, nihil impedit. Hoc enim in scriptura usitatum est, ut etiam sancti gerant figuram impiorum. Sic Esaias, Ieremias, Oseas gerunt figuram impiae synagogae, cum tamen ipsi sancti et pii sint. Ismaelem quoque et multos ex ipsius posteritate salvatos credo, nec nocet ei, quod mater synagogae figura est.

Nam tota ecclesia gestat figuram maledictionis aeternae; affligitur enim et occiditur crudeliter ab hostibus, sed non deseritur tamen.

Sic Christum vocat Simeon (Luc. 2, 34.) „portentum“, ex Esaiae capite 8. (v. 14.), item „scandalum in ruinam“. Ad hunc modum Hagar justificata et sanctificata verbo Dei sine suo incommodo gerit figuram impiorum.

Particula: „Nonne vidi posteriora videntis me“? valde cruciat grammaticos. Ego autem, priusquam de sententia aliorum opiniones refero, moneo, ne ullo modo Rabinorum expositiones legentes eis adhibeatis fidem. Grammatica quidem necessaria est et vera; sed ea

*) Edit. princ. omittit non.

non debet regere res, sed servire rebus. Amiserunt autem Iudaei excaecati rerum cognitionem omnem, et tantum de vocabulis grammatice disputant.

Rabbi Salomo putat, Hagar mirari de Angelo in deserto, cum antea solita sit Angelos videre in domo Abrahae. Lyra sequitur Rabinum Kimalthi, et vertit hoc modo: Vidi post visum meum, hoc est, initio Angelum non novi; sed cum subito evanuit ante oculos, ibi primum intellexi, esse Angelum.

Sic quia rerum cognitionem nullam habent, tantum haerent in vocabulis explicandis, sensum autem verum non attingunt. Non vident, Hagar, quae antea varie turbabatur, nunc erectam per Angelum, gratias Deo agere, et hilari esse animo.

Res igitur primum inspicienda. Tu, Deus, inquit, vides me, non deseris afflictam, sed visitas et consolaris. Quoties igitur de hoc fonte vel cogitabo, vel ad eum veniam, praedicabo hoc ingens beneficium, quod hic viderim eum, qui me vidit.

Est igitur vox laetantis et admirantis. Ah, inquit, quam fui ego incredula. Non existimabam, me Deo esse curae; putabam, me videre non faciem Dei, sed posteriora, hoc est, putabam, Deum a me aversum. Sed nunc intelligo, dorsum, quod mihi ostendit, esse faciem ejus. Vidit me quidem antea, sed ego absorpta afflictionibus non potui perspicere: nunc agnosco, quod me amet, quod curet me etc.

Est igitur ceu generale canticum omnium piorum hominum. Quando enim afflictio adest, videmus Dei posteriora, hoc est, judicamus, Deum a nobis aversum, sicut apud Esaiam (54, 8.) dicit: „In momento abscondi faciem meam: sed in misericordia respexi ad te", hoc est, initio me sic gessi, quasi non

agnoscam te, quasi projecerim te: haec sunt posteriora, cum nihil sentimus, quam afflictionem et errores; sed postea, cum tentatio abiit, apparet, Deum eo ipso, quo nobis posteriora ostendit, ostendisse faciem, non abjecisse nos, sed paululum oculo s d flexisse.

Sic 1. Petr. 1. (v. 11.): „Prophetae testati sunt de prioribus passionibus, quae sunt in Christo, et de gloria sequente postea".

Hoc igitur totius ecclesiae est canticum; ea canit cum Hagar: „Vidi hic posteriora videntis me", hoc est, dorsum mihi prius obvertit Deus. Sic enim in tentatione judicamus, nos negligi a Deo; sed tandem cognoscimus, illa posteriora fuisse veram Dei faciem, et quod non solum nos viderit Dominus, sed nos quoque eum viderimus. Qui hoc in cruce non discit, desperat. Hinc enim sunt voces illae (Ps. 31, 23.): „Projectus sum a facie tua", hoc est, Deus me non respicit, non curat me. Item (ib. v. 17.): „Ostende nobis faciem tuam; praecedant nos facies tuae".

In hoc sensu irae Dei animus fide se exsuscitet, non sinat, se frangi, sed speret futurum, ut cum Hagar hoc canticum aliquando canat: „Vidi posteriora videntis me"; sunt enim verba tripudii et triumphantis animi, qui nunc gaudio exsultat, cum antea oppressus desperatione paene defecisset.

Qui vult quaerere allegorias, faciat sane. Ego hac literali sententia, quam ipsa historia ultro offert, contentus sum.

Lyra dorsum vocat cognitionem Dei imperfectam, faciem autem cognitionem perfectam. Sed simplicius est, ut dorsum accipias pro irae signo, cum

scilicet se avertit a nobis Deus, nosque non dignatur adspectu, hoc est, cum nostri animi statuunt, Deum iratum esse: adversus autem vultus est signum gratiae. Dicit igitur Hagar: Non intellexi, servitutem et subjectionem meam placere Deo; jam autem video, dorsum, quod ostendit mihi, fuisse veram faciem, et me ei curae esse.

Haec sententiam nobis dat non grammatica, quam solam Rabini habent, sed rerum sacrarum cognitio; ea cum destituantur Rabini, prorsus negligendi sunt. Vos curate, ut primo res bene habeatis notas; postea facile erit grammaticam discere. In ea qui peccat, peccat venialiter: sed in rebus peccare, est peccatum mortale.

Porro voco notitiam rerum aliud nihil, quam notitiam novi testamenti: eo bene cognito patet universa veteris testamenti scriptura. Quia autem Rabini non solum ignorant Christum, sed in totum abjiciunt, quid possumus ex eis discere? et tamen multi magni et docti viri hodie sapientiam magnam judicant, si nugas Rabinorum omnes habeant notas.

Rhetores oratorem vocant, qui non in sermone solum est copiosus, sed in cognitione rerum; et nota sententia est: Pectus disertos facit. Quibus enim verba nascuntur in ore, hi loquaces, non diserti sunt; horum similes sunt Rabini omnes, nullo excepto. Nihil habent, nisi fallaces siliquas verborum et inanes bullas.

Retineamus igitur sententiam hujus loci, quam non ipsorum grammatica, sed rerum cognitio affert, quod scilicet sit canticum ad erudiendos nos omnes, qui, dum sentimus afflictionem, judicamus, nos a Deo abjectos non respici, non curae esse Deo: sed

laeti tandem canimus: „Vidi posteriora videntis me". Non abjecit, non neglexit me Deus, ut suspicabar, sed respexit me: hoc vidi post visa ipsius posteriora, hoc est, post afflictionem sublatam.

Porro in signum gratitudinis, quod velit confiteri Deum, et cultum meritum ei praestare propter beneficium sibi a Deo collatum, dat simul et Deo et loco nomen, et vocat puteum viventis, videntis. Utrunque nomen plenum est consolationis. Si enim Deus est vivens Deus, igitur nos, qui ejus sumus populus, etiam vivemus ipsius, hoc est, aeternam vitam.

Hoc cum magnum sit beneficium, illud recte cum eo comparatur, quod vivens Deus est videns Deus, qui non deserit afflictos, sed respicit et juvat eos. Hoc elogio ornat Deum sancta Hagar, ac puteum eum celebrat. Atque hic est verus cultus, quem tam benefico Deo reddere debemus.

Cades est respectu terrae sanctae ad meridiem, in ea parte, quae postea tribui Iudae cessit; per eam ex terra sancta in Aegyptum iter est. Voluit autem Moses tam insigne beneficium commendare suo populo, quia deserti loci, in quo puteus ille fuit, meminit.

Peperit autem Hagar ipsi Abram filium. Vocavitque Abram nomen filii sui, quem peperit ei Hagar, Ismael. Porro Abram erat filius octuaginta et sex annorum, cum Hagar pareret Ismaelem.

Vides, rebellem Hagar et impatientem jugi post revelationem hanc prorsus aliam factam. Itaque *redit domum*, paret Sarae, narrat ipsi Abram sermo-

nes Angeli, qui posuit nondum nato filio nomen, ac placet Abrae factum. Ideo de nomine nihil mutat.

Addit autem Moses de aetate Abrahae, ut sciamus, adhuc ei exspectandos fuisse annos tredecim, dum ex ipsa Sara ei promissionis filius Isaac natus est.

DECIMUM SEPTIMUM CAPUT GENESIS.

Ut autem factus est Abram filius nonaginta et novem annorum, apparuit Dominus Abram, et dixit ad eum: Ego sum Deus omnipotens; ambula coram me, et esto perfectus.

Hactenus recitavit Moses historiam Abrahae usque ad nativitatem Ismaelis, de quo satis luculenta promissio per Angelum Dei facta, qui matrem ejus Hagar, impatientem herilis jugi et profugientem non solum persuasit, ut rediret, ac se submitteret dominae suae Hagar: sed etiam territam lege, et agnoscentem peccata promissione, iterum erexit, et perduxit eam ad veram Dei notitiam, ut crederet, se Deo curae esse, et respici a Deo, qua fide sanctificata et a peccatis justificata est.

Cum redit in domum Abrahae, parit filium, cui suavissimum nomen imponitur Ismael, quo etiam testatur fidem suam, quod Deus afflictorum gemitus et vota exaudiat.

Nunc in historia pergit Moses, et totos annos tredecim silentio praeterit, nihil scribens, quid eo toto tempore vel egerit, vel passus sit Abram.

Apparet autem, Abramum nato Ismaele et acquievisse, et propter promissionem ab Angelo factam existimasse, quod Ismael sit heres promissionis futurus, quam supra in duodecimo capite Dominus fecerit. Itaque Sara quoque hunc servae filium summo amore est complexa, et fovit diligentissime. Cum autem uterque jam animo securo sunt, et nato Ismaele omnia in tuto esse videntur, aeterno silentio Moses involvit omnia, quae ab eo tempore usque ad annum Abrae nonagesimum nonum gesta sunt: cum tamen verisimile sit, tantum virum non fuisse sine magnis et multis negotiis, post tam praeclaram victoriam, idque inter gentes et alienos a religione ipsius.

Quiescentibus autem et secure stantibus rebus venit Deus, et interpretatur priores promissiones de semine nova concione, et totum excludit Ismaelem ab hereditate promissionis. Sic paulatim promissiones evolvuntur, et fiunt clariores.

Cum audiret Abraham illam in capite duodecimo, credebat, se ex Sara patrem fore. Sed praecedente tempore cum argumenta multa essent, Saram sterilem esse, adjungitur ei Hagar, ut saltem ex ancilla fiat pater.

Etsi autem hic non exigua tentatione excipitur, quod Hagar clam profugit, priusquam pariat, tamen reducta domum Ismaelem parit. Ibi Abram statuit, promissioni satisfactum. Sinit enim Deus, sanctissimos viros aliquandiu simpliciter credere, etiamsi non intelligant omnia.

Orditur igitur hic novam historiam Moses, et omissis omnibus, quae tredecim annis interlabentibus acciderunt, primum docet de novo pacto cir-

cumcisionis in isto populo instituto; deinde de promissione disertius explicata, quod Dominus sit Abrahae daturus semen ex ipsa sterili et effeta Sara. Est igitur insigne hoc caput propter institutam circumcisionem, quam solam Iudaei immodice efferunt, et mire de ea superbiunt. Imo Saraceni quoque hoc ipso nomine, quod circumcisi sunt, promissionis heredes se esse statuunt.

Itaque Paulo tam vehemens contra Iudaeos pugna est, ut hanc praesumtionem carnalem eis eximat: imo ipsa circumcisione et lege durante Prophetis et ipsi Mosi sedulo contra circumcisionem dimicandum fuit, cum appellant populum incircumcisum carne et labiis, ac hortantur ad circumcisionem cordis.

Itaque saepe miratus sum, postquam Satan in odium evangelii omnis generis sectas hoc tempore excitavit, non exstitisse hactenus, qui ad circumcisionem hortarentur, et eam necessariam ad salutem dicerent. Si quis enim hoc caput gnaviter urgeat, inveniet suae sententiae suffragatores et discipulos infinitos: adeo enim robusta et firma argumenta in hoc capite pro circumcisione a Mose colliguntur, ut necesse fuerit Divo Paulo omni impetu se opponere.

Quodsi Hierusalem non concidisset, et funditus esset vastata, et adhuc modicum floreret, sicut Apostolorum tempore, tum sacerdotium, tum regnum Mosaicum, profecto vix multo labore possent contineri nostri, ne ipsi quoque circumciderentur, et Iudaei fierent. Quantum enim Apostolis hic articulus unicus initio negotii fecit? cum etiam pii, et promissionibus de Christo credentes necessariam circumcisionem iudicarent. Et illa Pauli tonitrua (Gal. 5, 2—4.): „Si circumcidimini, nihil vobis proderit

Christus, rei estis totius legis, amisistis Christum, excidistis a gratia"; an non arguunt, magna contentione ab adversariis rem gestam esse?

Illa igitur pestis statim initio regni Christi ecclesiam concussit, quod evangelion et lex ab hominibus indoctis coeperunt confundi: sicut portentum Mahometicum, Alcoranus, ubi optimus est, nihil est nisi farcimen sententiarum legis et evangelii. Utrinque enim fanatici homines decerpserunt suo instituto et carni servientia.

In Austria et Moravia audio hodie quosdam judaizantes urgere et sabbatum et circumcisionem; hi si verbo Dei non praemunitos invaderent, certe magnum darent malum. Itaque disputatio haec de circumcisione non negligenda, sed diligentissime est tractanda, non tam, ut confutemus Iudaeos, quam ut nostros confirmemus et muniamus.

Divus Paulus duo praecipue argumenta circumcisioni opponit. Primum, quod finis legis sit Christus. Si enim lex in Christum respicit, et per ipsum Mosen Iudaei jubentur Christum audire, Deuteron. decimo octavo (v. 15.), sequitur, quod Christo praedicante lex tacere debeat, et qui antea legem audiverunt, tanquam doctrinam ad salutem non sufficientem, nunc Christum audiant, cujus verbum est verbum vitae.

Alterum est, quod Abraham est justus ante circumcisionem, et sine circumcisione ex fide. Ergo circumcisio ad justitiam nihil valet.

Haec duo argumenta nemo unquam poterit solvere aut refutare. Non igitur periculum est apud firmos Christianos et munitos verbo, si quis fanaticus urgeat circumcisionem: Apud infirmos autem ingens

periculum est, idque Papistarum culpa, qui pios et eruditos concionatores persequuntur, et in exsilium agunt, ac miseros homines expositos Diabolo et omnibus sectis sine verbo errare sinunt.

Evenit igitur eis, quod stulto pastori, qui cum occidisset canes, lupum non poterat arcere ab ovibus, libere grassantem jam submotis custodibus. Quomodo enim, nisi verbo Dei praeclare instructus sis, negabis, circumcisionem non esse aeternam legem, ad quam cogantur omnes, qui volunt esse populus Dei?

Primum igitur non frustra esse existimabis, quod Moses diserte de aetate Abrahae admonet, quod circumcisio praecepta sit tredecim annis post natum Ismael, et annis quindecim postquam fide justificatus et sanctificatus est. Deinde observanda quoque studiose est praefatio illa, qua utitur Dominus, antequam praeceptum de circumcisione tradit. Iudaei tanquam inutilem eam sicco pede praetereunt: sed quis tam grandia verba putet sine certa causa pronuntiata? „Ego Deus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus“. Quid autem aliud voluit, quam ut Abraham in illa justitia et fide, propter quam justus pronuntiatus erat, permaneret, et immaculatus, integer et perfectus esset?

Si autem ante legem circumcisionis requiritur, ut perfectus ambulet, quis non videt aut intelligit, hoc pactum circumcisionis ad perfectionem non facere, sed hominem ante hoc pactum esse perfectum fide, et requiri tantum, ut hac in perfectione maneat?

Diximus autem aliquoties, quid sit ambulare coram Deo, et nota est expositio, quam auctor episto-

lae ad Hebraeos affert, cum dicit (11, 5. 6.), „habuisse eum testimonium, quod placeret Deo. Sine fide enim impossibile est placere Deo, et eos, qui ad Deum volunt accedere, credere debere, quod sit, et sit retributor quaerentium se".

Antequam igitur jubetur Abraham circumcidi, inculcatur justificatio fidei, quod fuerit tum justus; si quidem jubetur, sic, ut coeperat, manere justus et perfectus. Nam quod plurale nomen hic est, תְּמִימִים, sit vir perfectionum, seu integritatum, non inepte eo referes, quod sit duplex justitia: prima et perfecta, qua sumus justi coram Deo fide: secunda et imperfecta, qua sumus justi coram Deo et hominibus, quod ad mores et opiniones attinet.

Hanc tam gravem praefationem caeci Iudaei praetermittunt tanquam frustra positam et nihil ad se pertinentem, ac tantum urgent circumcisionem, quasi per eam sola sit justitia et salus: cum pater ipsorum Abraham tanto tempore ante circumcisionem fuerit justus, cum adhuc in praeputio esset, et hic tantum moneatur, ut in ista justitia fidei et incorrupta vita perseveret.

Nonne autem qui jam coram Deo justus est, plus jam antea habet, quam circumcisio dare potest? Sed frustra haec dicuntur oculis atque auribus captis Iudaeis. Nobis autem firmissimum argumentum subjiciunt, quod circumcisio non justificet. Ita ex hoc ipso capite, quod suae fidei firmamentum Iudaei somniant, destruitur circumcisio. Nam Moses antea affirmat, justum Abramum, et Dominus tantum hic monet, ut in justitia olim coepta perseveret Abraham. Igitur circumcisio invenit Abrahamum jam *antea* justum, sanctum et perfectum coram Deo.

Quod

Quod autem mandatur ei circumcisio, tam non est circumcisione justificatur, quam non justificatus est David, cum ei a Propheta regnum promitteretur.

Certa igitur et indubitata sententia est, quod circumcisio non facit populum Dei, et sequitur ex ea certa et bona consequentia, quod non sint omnes gentes circumcidendae. Quid, igitur, inquies, est circumcisio? Nihil aliud, nisi opus obedientiae et exercitium fidei, sicut immolatio Isaaci et alia similia, quae Deus certis hominibus imposuit.

Ideo a Paulo non vocatur circumcisio justitia, sed signaculum justitiae. Nam justificari per opera, et justificatum facere opera non sunt similia. Persona prius justa est; postea ei datur mandatum, ut circumcidatur, non ut per circumcisionem justa fiat. Haec diligenter considerata patefacient Iudaeorum errorem et impiam superbiam.

Sed quorsum attinet nova Dei appellatio, qua hoc in loco primum Moses utitur? Appellavit antea Deum אֱלֹהִים: hic vocat שַׁדַּי, sine dubio ad significandum mysterium aliquod. Id etsi pro singulorum opinione aliud ab alio fingi potest, hoc tamen ego praecipuum judico significatum hac nova appellatione, quod hoc de circumcisione praeceptum non pertineat ad universam creaturam, sed hunc populum hoc modo fuisse separandum ab aliis terrae populis.

Vocabulum אֵל fortem significat: usurpatur autem aliquoties substantive; sicut in Deuteron. (28, 31.): „Alius rapiet tuum asinum coram te, item bovem tuum abducet et mactabit, et non erit in manu tua אֵל, ut id prohibeas". Proverbiorum tertio: „Cum

fuerit fortitudo tua in manu tua ad faciendum", hoc est, cum facultatem habebis, ut facias.

Sic in primo praecepto (2. Mos. 20, 5.): „Deus tuus Deus sum, fortis zelotes". Hic sunt Angelorum nomina Raphael, Uriel, Michael, Gabriel. Item de quo paulo ante diximus, Ismael. In summa significatur hoc nomine virtus et potentia Dei, quod solus sit potens, quod habet ex se sufficientiam omnium, quod sit compos omnium, quod nullius virtute indigeat, quod omnia possit dare omnibus.

Altera appellatio שַׁדַּי fere transfertur: omnipotens. Nec moror hic grammatistarum rixas, unde derivetur. Nam quod ex pronomine et nomine componunt, quod significet sufficientiam ex se habentem, non sane repugno, etsi non credo. Cum nomine שֵׁד, quo appellarunt daemonia, quibus Iudaei immolarunt, prorsus nihil commune habet, nec cum שָׁדַד, quod vastare significat.

Sed undecunque tandem trahat originem, mihi ideo videtur Moses noluisse generali appellatione totius generis humani אֱלֹהִים uti, sed singularem hanc et novam appellationem usurpasse ad significandum mysterium hoc, quod hoc pacto circumcisionis, quam hic praecipit, nolit teneri universum orbem terrarum, sed particulariter pertinere ad semen Abrahae.

Praevenire igitur voluit Moses rabiosam Iudaeorum superbiam, qui ex hoc textu contendunt, totum mundum esse circumcidendum, sed non sequitur bona consequentia: Iudaeis est mandata circumcisio; igitur omnes, qui volunt esse populus Dei, sunt circumcidendi.

Sunt enim clarissima exempla in oppositum. Ionas missus ad Ninivitas convertit eos, at non circumcidit: crediderunt enim Deo, et emendaverunt vitam, atque ita sunt facti populus Dei sine circumcisione, quod nequaquam esset factum, si circumcisio sic esset praecepta, ut omnibus gentibus esset necessaria. Sic Ioseph venditus in Aegyptum, et mirabiliter perductus ad culmen dignitatis sine dubio notitiam Dei veram in Aegypto plantavit, non autem circumcidit Aegyptios.

Patriarchae igitur bene intellexerunt, non latius patere mandatum de circumcisione, quam ad semen Abrae, nec in aeternum a semine Abrahae esse servandam, sed ad verum semen Abrahae, Christum.

Ideo omnibus seculis etiam non circumcisi venerunt in societatem ecclesiae, sicut Hiob, Cyrus Persa, vidua Sareptana, Naaman Syrus. Et tempore Christi adoraverunt multi in templo, ut Eunuchus, Cornelius et alii, qui tamen circumcisi non fuerunt.

Recte igitur Paulus contendit, circumcisionem non transferendam in gentes, sed retinendam in אֵל et שַׁדַּי, hoc est, in isto populo adhuc sub Mose constituto, ante adventum veri seminis Abrahae.

Imposita enim haec de circumcisione lex Iudaeis est, non ut per eam justificarentur: frustra enim sic promissus esset Christus: sed ut essent populus distinctus ab omnibus aliis populis, ut sciretur, ex quo populo, ex qua mundi parte nascendus esset salvator. Itaque Moses, qui tam diligenter describit initia circumcisionis, valde Iudaeos pungit, dum jubet, ut circumcidant praeputia cordium. Idem Prophetae faciunt, Esaias et Ieremias (9, 26.): „Omnes

gentes, inquiunt, habent praeputia, sed filii Israel sunt incircumcisi corde[a].

Hoc an non contra gloriam circumcisae gentis atrox verbum est? Sed necessitas cogit Prophetas, hoc ut facerent, et pestilentissimam justitiae fiduciam suis adimerent sic pertinaciter affirmantibus, quod circumcisio carnis faciat populum Dei, et justificet.

Retineamus igitur hanc sententiam firmiter, quod circumcisio non pertinet ad alias gentes, sed tantum ad hanc unam gentem, cui facta est promissio de Christo: sic autem ad eam pertinet, ut, postquam Christus promissus in carnem venit, et exhibitus est mundo, circumcisio tum plane cesset ac desinat. Is enim quia ex mandato aeterni patris, solus audiendus est, et non circumcisionem, sed Baptismum docet, baptizari posthac omnes, non circumcidi debent, qui volunt esse verus Dei populus. Circumcisio enim servit promissioni, et est inclusa promissio in circumcisionem. Cum igitur promissio impleta est, quid amplius opus est circumcisione?

Sic nisi promissio inclusa esset in Baptismum, frustra baptizaremur. Cum autem haec Baptismi promissio implebitur in futura vita, tum Baptismus quoque non amplius requiretur.

Ineptum, imo impium quoque est, quod quidam Iudaei שַׁדַּי dicunt appellatum a שָׁדַד, vastare, quod solus vastet coelestia et terrestria. Hoc nomen cum hac sententia daemonibus verius convenit, quam Deo vitae et lucis; est enim Deus benefaciendi, non perdendi. Rectius formatur a primitivo שַׁד, quod mamma sonat, sicut Graeci vocarunt πολύμαστον, seu mammosam deam, cui tribuerunt

beneficium alimoniae: et nos Deum vocamus alumnum, qui alat universum genus humanum, qui non solum potentiam ex se habet, sed dat omnibus aliis sufficientiam, ut se alant.

Haec significatio proprie ad Iudaeos pertinet, quibus solis facta erat promissio de terra Canaan. Fuit igitur his אֵל; satis enim habuit potentiae ad defendendum populum suum contra gentes. Fuit quoque שַׁדַּי, quasi dicas ubera ad fovendos et alendos eos. Etsi enim gentes quoque defendit et aluit, tamen Iudaeos ex promissione cogebatur alere et defendere.

Haec mihi hujus nominis ratio vera esse videtur. Etsi autem me harum rixarum inter grammaticos judicem non constituo, tamen res convenit, quod Deus hunc populum fovit, defendit, et, ut Paulus 1. Timotheum sexto (v. 17.) loquitur: „omnia contulit ad sufficientiam".

Sicut igitur pactum hoc novum est cum novo et nascituro populo, ita etiam nova nomina, ceu novam vestem, et habitum novum circumdat sibi Deus, ut ostendat, se pactum hoc condere, non cum omnibus populis, sed cum hoc uno, qui ex Abraha erat nasciturus.

Hoc libenter inculco. Nam haec de circumcisione quaestio admodum difficilis et impedita est; ac nisi Divus Paulus intercessisset, eamque sic tractasset copiose et graviter, vix liberassemus nos erroribus. Ita enim Actorum decimo quinto legitur, quod post resurrectionem Christi Iudaei conversi ad fidem urgebant legem, et cogebant baptizatos ad circumcisionem, imo etiam ad totam legem servandam. Sic

enim dicunt (v. 5.): „Oportet eos circumcidi, et mandare, ut servent legem Mosi".

Fuit igitur haec gravis quaestio, quae, ut apparet in primitiva ecclesia, ipsis Apostolis negotium fecit, et coëgit Paulum, ut Hierosolymam iret, et cum Apostolis de ea conferret.

Porro non simplex, sed gemina haec in Actis quaestio est. Prima est, an homo justificetur ex operibus: altera est, an circumcisio sit necessaria.

Nam circumcisio posteritati Abrahae mandata est longo tempore ante legem, ac lex non Iudaeos tantum, sed gentes quoque obligat: est enim aeternum et immutabile Dei decretum de Deo colendo, et diligendo proximo. Ac fuit decretum Dei omnium hominum animis inscriptum a principio mundi. Operae pretium igitur fuerit videre, quomodo Paulus hanc disputationem tractet.

Quod ad circumcisionem attinet, est demonstratio haec perfecta, et indubitata propositio, et ex sacris literis per se nota, quod Abraham ante et sine circumcisione fuit justus. Sequitur igitur, propter justitiam circumcisionem non imponendam. Sic de altera quaestione certa demonstratio est, qua idem Paulus utitur, eamque scite urget in Romanis et Galatis, quod Abraham reputatus justus non propter opus aliquod, sed simpliciter, quia Deo credidit. Aliud autem est reputatione divina esse justum, et esse justum suis operibus ac meritis.

Conveniunt igitur haec, ac non argute tantum et dialectice, sed demonstrative quoque probantur. Si Abraham non est justus ex circumcisione, multo minus est justus ex ulla lege Mosi, quae ipsa quoque nondum scripta fuit, cum Abraham pronuntia-

retur justus. Imo ipse Moses, et qui sub eo fuerunt, non sunt justificati ex lege. Iustitia enim non est facere legem, sed credere promittenti Deo.

Sic unicam hanc voculam urget Paulus profecto erudite et prudenter. Quodsi vel Papistae, vel Iudaei huic sententiae reclamant, faciunt id suo, non nostro vitio et peccato. Haec enim clara et certa sunt, Abrahamum ante circumcisionem fuisse justum, ac quia fide justus reputatur, justitia non ex lege aut operibus, sed simpliciter ex fide, seu fiducia in promissionem contingit.

Solis Iudaeis est data scripta lex: gentes eam habuerunt scriptam in cordibus suis, hoc est, secum natam, et nos hodie revelato evangelio cogimur diligenter docere legem, et inculcare populo. Sed etiam natura duce et ex ipso rationis lumine possumus concludere, legem non justificare.

Aristoteles disputat, opus non esse bonum, nisi fiat ex recta ratione et bona voluntate. Cum igitur voluntas mala sit, et ratio erret, sicut experientia testatur, sequitur profecto, operibus in speciem optimis hoc vitium voluntatis et rationis non corrigi. Igitur philosophi quoque concludunt, quod ante bona opera oportet personam esse bonam, hoc est, quod oporteat voluntatem esse bonam, et rationem rectam esse, priusquam aliquid recte fiat. Nec potest refutari sententia haec. Sed Iudaei contra urgent, quod hic est de sempiterno foedere, et quod additum est, quod non circumcisus eradicabitur ex hoc populo: in contradictione igitur consistit disputatio. Neganda est autem consequentia, quod ideo justificet circumcisio.

Cur igitur, inquiunt, data est? Respondet Paulus (Rom. 4, 11.): ut esset signaculum justitiae, hoc est, oportuit hoc opus adesse ad signandam justitiam, debuit esse circumcisio ceu chirographum in confessionem, quod promissio vera sit. In summa fuit sacramentum, quo admonerentur, se esse Dei populum, sed per circumcisionem non sunt facti Dei populus.

Rursus circumstantiam urgent Iudaei, quod circumcisio non ut opus ad Abrahamum solum pertinens mandata est, sed una cum Abraha toti ejus posteritati imponitur, ac promissio totam posteritatem, non solum Abrahae personam includit. Sic enim dicit textus: „ut sim tibi in Deum, et semini tuo post te".

Si ergo qui non circumcisi sunt, hac promissione coguntur carere, et non sunt populus Dei, sequitur a contrario sensu, quod per circumcisionem posteritas Abrahae fiat populus Dei.

Hoc argumentum non amplius philosophicum est, sicut illud prius, quod recta ratio et bona voluntas requirantur ad bonum opus, et praecedant bonum opus, sed est theologicum argumentum, contra quod praecipue Paulus pugnat, qui id optime intellexit.

Nec eludendum est, quod promissio sit accipienda de hac corporali vita tantum; loquitur enim Deus non cum lapidibus, lignis, bobus aut asinis, cum hominibus et posteritate Abrahae loquitur, eique promittit, si hoc circumcisionis pactum servent, se eis Deum fore non solum in hac vita, sed in futura et aeterna vita.

Nam vocabulum Deus relative hic significat, qui scilicet creditur a semine Abrahae esse Deus, et vicissim se semini Abrahae ut Deum et aeternum benefactorem ostendit. Neque enim cavillo hic locus est; aqua, sol, luna etiam intelligunt Deum: faciunt enim voluntatem Dei: nos hic loquimur de vero promissore et de verbo promissionis. Id verbum certe non sol, non ligna, non bos, non asinus intelligit.

Sequitur igitur (sic enim arguunt Iudaei), quod circumcisio justificat. Includit enim promissionem, imo ratam facit promissionem, quod Deus sit semini Abrahae futurus Deus. Nisi enim circumciderentur, promissio locum non haberet; nam non circumcisi sunt eradicandi, hoc est, non habent Deum.

Quid hic dicemus? Cum enim dictum sit, Abraham fuisse justum ante circumcisionem, hic contrarium statuitur, quod circumcisio faciat, ut Deus nobis sit Deus.

Respondeo: Abrahamo est data circumcisio, ut per eum propagaretur in omnem posteritatem hoc signum foederis; igitur longe alia ratio fuit circumcisionis in Abraha, et alia in ejus posteritate. Erat jam antea Deus Deus Abrahae, sicut Moses clare testatur: igitur per circumcisionem non primum coepit Abraham fieri Dei filius; et tamen, quia jussit Deus eum circumcidi, nullo modo debuit voluntati Dei resistere. Posteritati autem Abrahae circumcisio fuit symbolum, quod essent heredes promissionis, quae Abrahae adhuc in praeputio erat facta.

Sic necessarium discrimen facimus inter opus et opus. Cum baptizaretur Christus et cum nos baptizamur, quod ad ipsum opus attinet, nihil interest inter Baptismum Christi et aliorum credentium; utri-

que abluuntur aqua in Iordane, utrisque proponitur consolatio, quod Deus velit ignoscere peccata: sed personarum discrimen maximum est.

Christus baptizatur, non ut justificetur: est enim Filius Dei, et aeterna justitia ornatus, ut nos justificemur per ipsum: sed, baptizatur, ut sic dicam, nobis in exemplum, ut praecedat nos, et nos ejus exemplum secuti etiam baptizemur.

Ad hunc fere modum circumcisio sacramentum est posteritati Abrahae, quod cum promissionem habet, credentes huic promissioni, et utentes sacramento in fide justificantur. Qui autem non credunt, non justificantur, et circumciduntur. In hunc finem Abraham non est circumcisus; nam et promissionem ante hoc signum habuit, et per fidem in promissionem adhuc in praeputio exsistens justificatus est.

Similia exempla multa possunt dari. Praeceptor suis discipulis proponit grammatica, non ut ipse ea discat: jam enim nota et usu confirmata habet praeceptor ille*): sed ut discipuli ea discant. Nos quoque sacra legimus publice non propter nos; nam ea in privato possumus discere, imo jam didicimus, sed propter auditores.

Ad hunc modum circumcisio praecepta Abrahae est, ut posteritati ejus esset sacramentum, quo justificarentur credentes promissioni, quam circumcisioni addiderat Deus. In Abraha, qui jam justificatus erat, alia hujus ratio operis fuit, quanquam ipsi quoque signaculum justitiae erat.

Ad hunc modum responderi potest. Sed Iudaeo nondum est satisfactum; urget enim: Si posteritati Abrahae occasio justificationis fuit circumcisio, ergo sequitur, omnes, qui volunt justificari, debere esse

*) Fort. illa.

filios Abrahae. Hoc autem quia natura impossibile est, ut omnes nascantur ex carne et sanguine Abrahae, relinquitur, esse circumcidendos, et liberandos praeputio, ut secundum hoc opus, quod promissionem hanc habet, Abrahae fiant similes, sicut fuerunt proselyti in populo, Herodes et alii.

Hanc instantiam diluit Christus creditus, quod venerit. Ex veteri testamento homini contentioso vix satisfeceris; sed qui credunt, Christum venisse in carnem, hi norunt, justitiam non petendam ex circumcisione, sed a solo Christo, in quó omnes promissiones sunt amen et ita. Nam Christus circumcisionem, licet ipse circumcisus, non mandat, mandat autem, ut in suo nomine baptizemur. Haec ratio homini pio demonstrationis loco est; sed Iudaeis frustra proponitur non credentibus in Christum. Igitur alia via occurrendum eis est.

Utcunque enim sit de posteritate Abrahae et de praecepto circumcisionis, hoc profecto Iudaeis impossibile probatu est, quod circumcisio sit gentibus necessaria ad justificationem. Hoc enim solum efficient ex hoc textu, quod semini Abrahae sit mandata, et quod, qui ex semine Abrahae sunt, hi Dei populus esse non possunt, nisi circumcidantur. Illud nullo modo efficient, quod nemo nisi Iudaei justificentur, et sint Dei populus.

Nam primum ipse Moses dicit, quod Abram sit constituendus pater multarum gentium. Si pater gentium, et non Iudaeorum, et Deus est Deus seminis Abrahae, igitur semen Abrahae erunt gentes quoque, et Deus etiam non circumcisorum Deus erit. Sic Iudaei urgentur, ut non possint aliud dicere, quam quod circumcisio sit necessaria carnali semini Abrahae.

Postea autem est alia demonstratio a posteriori, seu ex effectu. Sic enim recte argumentamur. Pharao, docente Iosepho Aegyptum, agnovit Deum, et illa Dei notitia justificatus est, cum tamen non esset circumcisus; clare enim textus dicit, quod abominatio sit Aegyptiis comedere cum Iudaeis, propter circumcisionem. Igitur justificantur, etiam qui non circumciduntur.

Sic rex Nebucadnezar insigne testimonium habet, sicut Darius quoque et Cyrus, quod agnoverit, et tamen circumcisus non est. Sic Iob, sic Sareptana vidua, sic Naaman Syrus justi fuerunt. His exemplis obruuntur Iudaei, ut negare non possint, etiam gentes in praeputio esse populum Dei, et placere Deo, nec pertinere praeceptum circumcisionis ad gentes.

Quamdiu igitur Iudaei non credunt in Christum, sunt sub lege, et tenentur ad circumcisionem. Sed ut gentes circumcidantur, probari ab eis non potest. Huc respexit Christus, Matth. 23. (v. 15.), cum dicit: „Vae vobis, scribae et Pharisaei, qui circumambulatis mare et aridam, ut faciatis proselytos, et cum factus fuerit, facitis ex eo filium Gehennae duplo magis, quam vos estis".

Tale nihil fecit Ionas docens Ninivitas, Helizaeus mundans Naamanum; imo reliquit eum in suo vitae genere, et permittit, ut cum rege suo intret templum idoli, modo ipso corde Deum Israel adoraret, cujus fidei testimonium erat terra ex templo Hierosolomitano translata ad gentes. Sic a posteriori clare sequitur, Deum esse Deum non tantum Iudaeorum, sed gentium quoque.

Mirabilis autem res est. Ismaelis posteritas excluditur a circumcisione, et tamen includitur in promissionem, quod Deus sit futurus Deus eorum. Quae igitur illa vel caecitas, vel pertinacia est Iudaeorum, qui se solos Dei populum esse gloriantur propter circumcisionem?

An non haec in contrarium adducta exempla clare docent, circumcisionem ante Christum natum fuisse necessariam Iudaeis, et non gentibus, gentibus autem ad salutem fuisse necessariam fidem promissionis, seu fiduciam in promissum semen? sicut ipse Abraham non per circumcisionem, sed in praeputio per fidem in promissionem justus reputatus est.

Cur igitur circumcisus est, inquis? Responde tu, cur baptizatus sit Christus? Nos per Baptismum, cum credimus promissioni, justificamur; Christus, etsi baptizatus est, tamen per Baptismum non est justificatus. Baptizatus enim est non propter se, sed propter posteritatem credentium. Sic Abraham quoque non propter se est circumcisus. Utor similitudine hac ad patefaciendam rem, etsi agnoscam, multa inesse dissimilia, de quibus disputandi locus nunc non est, et mediocriter erudito per se patent.

Etsi igitur non possumus Iudaeis non credentibus in Christum adimere circumcisionem in sua generatione, (quam diu perstant in suo errore, quod Christus non sit exhibitus, coguntur ferre circumcisionis onus): tamen certum est, circumcisionem ad gentes non pertinere. Peccat igitur, qui eam imponit gentibus tanquam necessariam ad salutem; sicut illi ex conversis Pharisaeis in Actis fecerunt.

Qui autem norunt Christum, hi, quia habent etiam in Mose expressum mandatum, ut Christum

audiant („Suscitabo, inquit enim, ex fratribus tuis Prophetam, quem audies sicut me“) (5. Mos. 18, 15.): hi norunt, Christum esse finem legis, hi norunt, non circumcisionem solum, sed ipsam legem Mosi in Christo finiendam. Christus enim est fac totum. „In eo est plenitudo divinitatis“ (Col. 2, 9.). „Per eum habemus gratiam pro gratia: ac accipimus omnes de ejus plenitudine“ (Ioh. 1, 16.). Igitur possumus dicere Iudaeis, quod impleta sit promissio facta Abrahae, nunc impletas prophetias et visiones, sicut apud Danielem (9, 24.) est; non igitur Abrahamum, non circumcisionem, sed dominum utriusque regnare.

Atque huc facit, quod Paulus (Rom. 2, 25.) simpliciter dicit: Circumcisio nihil est. Est enim data Abrahae in signum justitiae non collatae in Abrahamum per circumcisionem, sed propagandae in posteros, donec promissum semen, Christus, veniret.

Nisi autem Iudaei sic essent excaecati, deberent singulariter moveri vocabulo, quod Dominus ubique hic addit (v. 7.): „Erigam pactum meum inter te atque inter semen tuum post te in generationibus suis“. „Tu custodies pactum meum et semen tuum post te in generationibus suis“ (v. 9.). Item (v. 8.): „Tibi et semini tuo post te dabo terram, in qua nunc peregrinus es“.

Hoc vocabulum: in generationibus suis, diligenter notandum erat. Potuisset simpliciter dicere: sit foedus meum perpetuum inter te et semen tuum post te. Sed quia addit in suis generationibus, significat certi temporis durationem, ut sit sententia: Pactum hoc, seu ipsa circumcisio durabit, dum vestra generatio durabit.

Porro certum est, Abrahae semen amplius non

durare. Nam post captivitatem Hierosolymorum non regnum, non populus, non familia, non sacrificium mansit; quodsi semen maneret, certe maneret domus, et forma aliqua regni: quid enim Abrahae promisit Deus, si hoc non promisit?

Nunc autem, quod summum est, etiam totus Moses jacet et tacet. Quomodo igitur poterit urgeri circumcisio, cum isti, qui circumcidendi sunt, nulli sint, hoc est, non habent amplius generationem certam, non locum certum, in quo consistunt. Postquam igitur Christus venit, debuit cedere circumcisio, sicut umbra soli venienti cedit.

In quem usum igitur data est? Ut innotesceret, salvatorem ex hoc circumciso populo, et non ex gentibus nascendum. A cunctis gentibus desideratus non est in cunctis gentibus incarnatus, sed in hoc uno populo, qui divinitus jussus erat circumcidi. Ac peculiaris ritus ideo propositus est, ut esset toti mundo insigne monitorium, Christum ex Iudaeis venturum. Iudaeis enim solus promissus erat, etsi Iudaei non soli eo erant fruituri.

Dixi satis verbose de circumcisione. At Iudaei credentes, venisse Christum, facile concedent, quod tota lex cum circumcisione et omnibus aliis caeremoniis non debent durare longius, quam usque ad Christum. Nam Moses jubet, ut Christum audiant. Igitur Christus novam doctrinam et novas caeremonias est allaturus, quas jubet Moses ut amplectantur sui, illis legalibus dimissis, sicut certum Christi mandatum est (Matth. 28, 19.): „Ite, docete omnes gentes, et baptizate eos in nomine meo".

Sed Iudaei, qui retinent pertinaciter errorem suum, et exspectant Messiam, hos non solum circum-

cisione non poterimus liberare, sed quia se Abrahae semen agnoscunt, totius legis rei et debitores sunt.

Sive autem credant Iudaei, sive non credant, sive maneant in circumcisione, sive non, manet salva nobis propositio haec, quod nos gentes sumus liberi a lege et a circumcisione, sicut ante legem et in lege multi ex gentibus sunt conversi ad Deum, et tamen a lege et circumcisione manserunt liberi.

Multo autem magis nos Christiani sumus a lege liberi et a circumcisione, qui scimus, non Mosen, sed Filium Dei ex mandato Patris audiendum. Is etsi circumcisus, tamen nos non circumcidi, sed baptizari jussit. Haec sententia vera et firma est.

Sicut autem, cum promissio novi testamenti in aeterna vita implebitur, non amplius sacramento Baptismi opus habemus: ita, cum per Christum promissio Abrahae facta sit impleta, non amplius circumcisione opus est. Aut convertantur ergo Iudaei, aut damnentur sub legem, quam etiam ad literam servare eis impossibile est.

Consilium autem hujus capitis etiam considerandum est. Instabat multiplicatio seminis Abrahae, cui hic promittitur, futurum eum multarum gentium patrem. Quia autem non conveniebat, ut Deus singulis generationibus novum pactum faceret, et novas promissiones confirmaret, sicut Abrahae, Isaaco et Iacob, dat toti posteritati ex Isaac commune vel oraculum, vel signaculum, quo non solum discerneretur a caeteris gentibus, sed etiam ceu sacramento admoneretur, se esse Dei populum, et Deum vicissim ipsis futurum Deum, hoc est, benefacturum et in hac vita, et aeterna, idque totum propter promissum semen *mulieris*, seu Christum.

Sunt

Sunt igitur primum Iudaei populus per circumcisionem separatus ab omnibus populis, ne generatio ipsorum confunderetur cum aliis gentibus, et promissio de Christo certa esset, quibus esset exhibenda. Deinde circumcisio est eis signaculum justitiae. Admonentur enim hoc ipso opere passivo (ut sic dicam), se Dei populum et Deo curae esse.

Inde, quaeso, vide, quam mirabilem propositionem Paulus colligat. Nam ex hac ipsa separatione seminis Abrahae ab universis gentibus, auctore Mose, colligit summam gentium conjunctionem cum Iudaeis et vero semine Abrahae. Sic enim dicit textus: „In patrem multarum gentium dedi te". Hoc quid aliud est, quam quod gentes tanquam filii et heredes Abrahae ad possessionem promissionis Abrahae factae sint perventurae? Quomodo enim, hoc si non fiat, potest Abraham multarum gentium pater esse? Et tamen vides gentes a Iudaeis separatas. Nam semen Abrahae jubetur circumcidi, gentes non jubentur circumcidi.

Haec pulcherrima consequentia ex ipso Mose sequuntur, quod cum Iudaeis, separatis per circumcisionem ab omnibus gentibus, gentes debent conjungi, ut fiant participes promissionis, et tamen non debent circumcidi.

Ad hunc modum Ismaël separatur a semine Abrahae et non separatur, sicut aliae quoque gentes. Quod enim attinet ad illam civilem societatem et ad carnalem congregationem, Ismael et gentes separatae sunt a Iudaeis: soli enim Iudaei habent illud justitiae signaculum: sed ab ipso promisso semine gentes non sunt separatae.

Hinc nascitur Paulo illa erudita distinctio inter filios Abrahae, qui carnis filii sunt, et qui sunt filii promissionis: ad quam Ioannes quoque alludit, cum Dei filios vocat, „non qui ex sanguinibus, neque ex voluntate viri aut carnis, sed ex Deo nati sunt“ (Ioh. 1, 13.).

Facit autem hoc quoque ad circumcisionis mysterium ostendendum, quam gerunt Iudaei divinitus impositam in futurum Christum, et simul, dum Christus nondum exhibitus fuit, gerunt, ut ceterae quoque gentes ea admoniti haberent occasionem credendi eidem Deo, qui Abrahamo benedictum semen promiserat, et sperandi in Christum.

Utrunque igitur fit, separantur et conjunguntur Iudaei cum gentibus. Nascitur autem ex hac ratione, ut dixi, illa praeclara sententia, quam Paulus gnaviter urget in 9. (v. 6—8.) ad Romanos, quod non satis sit esse filios Abrahae secundum carnem, sed requiri, ut ipsi Iudaei, qui carnale semen sunt, fiant filii promissionis: sicut dicit textus: „In Isaac vocabitur tibi semen“.

Inde nascitur caput theologiae, quod Deus sit Deus Iudaeorum et gentium, dives in omnes, etiam illo ipso tempore, quo lex et circumcisio floruit. Nam aliae gentes audiverunt Abrahamum, audiverunt Prophetas, viderunt Hierosolymis cultum, et Deum Iudaeorum crediderunt solum et verum Deum esse. Interim Iudaei soli habuerunt signaculum hoc justitiae, quo fulgebant inter omnes gentes, ut, etsi gentes non circumciderentur, tamen eundem Deum invocarent et colerent, qui per circumcisionem Iudaeorum populo se patefecerat.

Non igitur negligimus Divum Paulum, optimum et doctissimum Mosi interpretem. Sic enim de hoc capite nos docet, scripsisse hactenus Mosen de nato filio Ismael et semine Abrahae secundum carnem, sed semen id natum est sine promissione. Non enim Deus locutus est ad Abraham de filio nascituro ex ancilla: fuit id Sarae consilium, ut cum ancilla se consociaret Abraham, non fuit mandatum Dei, multo minus fuit mandatum cum promissione.

Humanum igitur consilium, seu, ut augustius aliquid dicamus, caritas ibi valuit, et non fides; nam promissio nulla adfuit de Ismaële ex serva. Sed de Isaac alia res est; is ex promissione nascitur, et promissio in ipsum figitur. Haec differentia observata clarum lumen huic de circumcisione disputationi afferet.

Sed Iudaei, submersi in cogitationibus legis, promissionem non spectant, nec distinguunt inter legem et evangelium: imo evangelium prorsus ignorant, persequuntur et oderunt.

Et tamen negare non possunt, quod Ismaël, secundum carnem verus Abrahae filius, et ex mandato Dei circumcisus quoque, tamen non reputatur in semen Abrahae; sed solus Isaac, qui secundum promissionem est natus. Non autem hoc ita accipiendum est, quasi ideo damnemus Ismaëlem, quem ego in notitia veri Dei mansisse, et salvatum esse judico. Hoc agitur, ut Iudaei, impia et superba gens, doceantur, quod nativitas carnis, de qua ipsi tantopere glorientur, nihil valeat. Sicut Christus (Ioh. 3, 6.) dicit: „Quod ex carne natum est, caro est“. Item (v. 3.): „Nisi quis renatus fuerit, regnum Dei non videbit“.

Haec necessaria doctrina est, et sola altos cervices Iudaeorum deprimit. Non enim possunt negare, quod Ismaël sit rejectus a possessione hujus promissionis, et tamen fuit verum semen Abrahae, carnale scilicet. Sed id non satis fuit; oportuit enim, si salvari voluit, fieri fidelem filium fidelis Abrahae.

Ita clare conspicitur, praerogativam nativitatis carnis nullam esse, ne in Isaaco quidem. Nam omne pondus in promissione est; promissio autem sola fide accipi potest. Quod ad carnis nativitatem attinet, omnes nascimur in peccatis: renasci igitur oportet salvandos per aquam, id est, per Baptismum, non per circumcisionem: et per Spiritum, qui fidem in promissionem accendit, et sic a peccatis liberat et salvat.

Quod autem circumciditur hic populus, fit, ut saepe jam dixi, ad notandum et insigniendum eum, ut gentes admiratione adductae Deum Iudaeorum discerent agnoscere, donec Christus veniret et institueret novum signaculum, quo simul Iudaei et gentes consignarentur tanquam socii aeternae gratiae, quae per Filium Dei obtingit, non privilegiatis privilegio carnalis nativitatis, sed credentibus, seu per aquam et Spiritum renatis.

Ad hunc modum accurate inspexit Mosis textum Paulus, quod et separati Iudaei per circumcisionem sint a gentibus, et tamen gentes cum veris Abrahae filiis consociatae per fidem; in certum argumentum, quo toti orbi terrarum innotesceret, quod nativitas carnis coram Deo nihil faciat ad salutem, et patere aditum ad gratiam etiam gentibus.

Sicut supra de Caini posteritate dictum est, qui *etsi* per peccatum a promissione excidit, quae in

pium Seth translata est, tamen verisimile est, multos ex posteritate ejus, consociatos cum Seth, salvatos esse; sed hi sunt salvati non certa promissione, sed, ut sic dicam, vaga. Sicut Pharao in Aegypto non quidem habuit certam promissionem, ut Isaac de salute sua, et tamen, quia audit Iosephum, et ejus Deum colit et invocat, servatur ipse quoque.

Sic non habens promissionem, promissionem consequitur. Iudaei autem habentes promissionem, sectando legem ad legis justitiam, ut Paulus ait, non pervenerunt.

Nemo igitur glorietur in nativitate carnali, in majoribus, in sapientia sua, opibus, regno, sed „in eo solo, quod norit Dominum". Hierem. nono (v. 24.). Deus enim est Deus Iudaeorum et gentium, et quanquam in eo discrimen est, quod Iudaei promissionem habent, et sua certa insignia, quibus noscuntur, quod sint Dei populus; tamen Deus gentes a promissione non excludit, modo eam fide amplectantur.

Sic posteritas Esau, qui sunt sapientes in Theman, habuit multos praeclaros sanctos, etsi non essent circumcisi, nec legem Mosi agnoscerent: contenti hi erant promissione vaga, et pro ea egerunt Deo gratias.

Sic a principio usque ad finem multi ex gentibus salvati sunt, etsi promissio gentibus non esset facta: imo, quod mirabilius est, Iudaei propter superbiam amiserunt promissionem, quae ipsorum erat propria et debebatur eis; gentes autem, quibus non debebatur, arripuerunt eam, et successerunt in locum eorum secundum Ioannis dictum, Matth. 3, (v.

7. 9.): „Genimina viperarum, dico vobis, potens est Deus ex lapidibus excitare filios Abrahae“.

Haec superbia et obstinatia evertit Iudaeos, quod contendebant, se esse Dei populum. Causam si quaereres, respondebant: Sumus semen Abrahae et circumcisi. Haec ratio si valet, quid aliud sequitur, quam omnes gentes alias esse damnatas? Non enim sunt semen Abrahae, nec sunt circumcisae. Itaque Paulus graviter hanc sententiam refutat. Dicit quidem, Abrahae factam promissionem, et per circumcisionem separatum ejus semen ab omnibus gentibus; sed, quia videt, a Mose vocari Abrahamum patrem multarum gentium, recte concludit, gentes quoque esse populum Dei, si amplectantur cum fideli Abraha promissionem.

Circumcisae non sunt, non habent promissionem futuri Christi: ea Iapheto et Chamo negata, soli Sem donata est: et tamen Iaphet habitat in tentoriis, et Chamitae quoque multi salvati sunt. Debuit enim evangelion spargi in omnes gentes.

Utrunque igitur verum est: Salus ex Iudaeis est, sed non soli Iudaei salvantur. Veniunt ad salutis promissionem etiam gentes.

Ad hunc modum voluit Spiritus sanctus errorem Iudaeorum praevenire; sed caeci id non animadvertunt. Hoc solum notant, quod mandatur circumcisio cum promissione, quod sint futuri Dei populus. Quod autem Abrahae dicitur, patrem eum fore multarum gentium, hoc non vident.

Non igitur Spiritui sancto, qui huic errori studuit occurrere, sed ipsorum caecitati tam horribilis *ruina est* imputanda. Sic praevenit Spiritus sanctus

Papistarum haeresin de coelibatu, si quidem docet, Dei institutione Adam copulatum cum Heva.

Ad hunc modum hoc in loco monentur Iudaei, ne praesumant de nativitate carnali; filios enim Dei non nasci ex carne, sed ex gratia et misericordia Dei. Sicut enim nondum natis ex misericordia signaculum et promissionem dedit, non ex meritis: ita gentibus quoque ex misericordia communicatur promissio et salus.

Sed frustra haec cum Iudaeis disputamus. Quia enim Christum non amplectuntur, manet velamen ante oculos Mosis, quod non tollitur, nisi in Christum credas. Permittendi igitur sunt suo malo genio, sicut Turcae et Papistae, qui dementati suis opinionibus, etiam clarissimo scripturae testimonio, aut non vident, aut cavillantur. Haec de consilio seu statu hujus capitis satis sint: nunc textum explicabimus.

Annus Abrahae nonagesimus nonus valde est insignis. Ea enim omnia eo anno gesta sunt, quae Moses quatuor deinceps capitibus complectitur. Instituta circumcisio, separata per eam posteritas Abrahae ab omnibus gentibus, ablegatus Ismael cum matre, Sodomitarum superbia et impietas punita etc. Hae sunt grandes historiae, sicut postea patebit. Annus igitur hic diligenter est notandus. De nominibus אֵל et שַׁדַּי supra diximus.

Quod jubetur Abraham ambulare coram Deo, et integer esse, etiam in superioribus notum est. Complectitur enim utranque tabulam. Primam, ut credat in Deum, ut invocet Deum, ut praedicet verbum et exerceat pietatem. Haec omnia includit, cum jubet, ut coram Deo ambulet. Cum autem addit, ut sit

integer, etsi illa, quae ad cultum Dei pertinent, includit, tamen respicit praecipue secundam tabulam.

Significat autem תָּם perfectum et integrum, quod habet suos numeros perfecte; et non est vitiatum seu vitiosum, quod est incorruptum. Positum autem hic est in plurali numero, „sis perfecti", hoc est, sit vita tua integra et incorrupta, ambules coram hominibus sine offensione. Pluralis autem numerus non frustra est. Nam paterfamilias, et omnis, qui est in aliqua administratione, non tantum est debitor suae personae, ne quid peccet, sed etiam eorum, quos gubernat.

Sic Paulus (1. Tim. 3, 2.) Episcopum vult esse תָּמִים, qui non solum ipse sit inculpatae vitae, sed etiam suos coërceat severa disciplina, ne quid admittant se indignum. Quodsi qui corrigi nolunt, illi potius ejiciantur vel ex domo, vel ecclesia, quam ut scandalo sint aliis; sic omnis gubernator debet esse תָּמִים, non תָּם, non tantum in uno praecepto, sed in omnibus sit תָּמִים. Hactenus exhortatio ad integritatem vitae.

Et dabo foedus meum inter me et inter te, et multiplicabo te vehementer nimis.

Hic promittitur multiplicatio, sicut aliquoties supra, et additur confirmatio promissionis, foedus seu pactum circumcisionis, cujus quis fuerit finis, satis copiose diximus. Sine dubio autem Abraham spem hanc habuit, Ismaëlem promissionis hujus heredem fore.

Etsi enim promissio per Angelum ipsi Hagar de Ismaële facta non obscure significabat, aliam prolem Abrahae obventuram, tamen circumclusus ratio-

nibus quis Abraham in Ismaël acquievit. Quid enim speraret de Sara nonagenaria jam et natura sterili?

Itaque diligenti institutione uterque parens gubernarunt filium, et summo amore sunt complexi, tanquam stirpem, ex qua tam copiosa posteritas secutura esset. Sed Dominus de improviso supervenit, et plene instituit Abrahamum de herede promissionis, quod ex Sara ei sit nascendus filius.

Et cecidit Abram in faciem suam, et locutus est Deus cum eo, dicens: Ecce ego et foedus meum tecum, erisque in patrem multitudinis gentium, nec vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, quia in patrem multitudinis gentium dedi te. Ego faciam, te crescere vehementer nimis, et ponam te in gentes, et reges ex te egredientur.

Quod procidit Abraham in terram, non reverentiae solum, sed et laetitiae et gratiarum actionis signum est. Intelligit enim sanctus Patriarcha ingens beneficium, quod et corporalem vitam variis donis cumulaturus sit Deus, et sublata maledictione, in qua propter peccatum omnes gentes erant, benedictionem et aeternam vitam restauraturus.

Atque hic est textus, de quo supra dixi, quod Paulus erudite disputet. Sicut per circumcisionem Iudaeorum populus ab omnibus gentibus separatus est, ita per promissionem gentes cum Iudaeis rursus uniti et conjuncti sunt, ut sint idem et unus populus in eadem gratia, et sub eodem Deo.

Quod Deus Abrahae nomen mutat, mysterio non caret. Prius nomen est אַבְרָם: id significat pater

excelsus. Posterius nomen crescit una litera אַבְרָהָם; nam ה interponitur inter ר et ם in Hebraeo. An ostendit etymologiam ipse textus, quod sic vocetur ab הָמוֹן, quod multitudinem significat. Igitur ex tribus voculis constat, אָב, pater, רָם excelsus, et הָמוֹן multitudo. Inde exsistit vocabulum Mammon, quod copiam, seu multitudinem divitiarum significat. Dicendum autem erat אַב רָם הָמוֹן. Sed cum syllaba am bis repetita insuavem vocem faciat, semel tantum ponitur. Non autem carent haec mysterio, sicut forte posthac latius disputabimus.

Locus de circumcisione maximi momenti est; itaque in eo prius explicando nobis laborandum est. De Iudaeis nihil sumus solliciti, seu retineant circumcisionem, seu abjiciant; nobis haec satis sunt contra ipsos, quod primum non possint probare, eam pertinere ad gentes: nam semini Abrahae mandatur: secundo non possunt negare, quin circumcisio non justificaverit Abrahamum. Fuit enim justificatus, antequam circumcideretur, sicut Moses supra in decimo quinto capite ostendit. Si autem Abraham per circumcisionem non est justificatus, quomodo posteritas ejus se ea justificari affirmare audet?

Tertio, ut maxime justificarentur Iudaei per circumcisionem, quod tamen non est, tamen certum est, non institutam, ut semper maneret, sed tantum usque ad adventum Christi, hoc est, dum duraret generatio Abrahae, dum possideret terram Canaan, et esset populus seu regnum; hoc enim textus significat, et Moses testis est, Christum, cum venerit, aliud sigillum erecturum. Ideo monet Iudaeos, ut

ei pareant eumque audiant. Haec tria certa sunt, ac diligenter notanda.

Quid igitur, inquiet Iudaeus, est circumcisio? Primum secundum rationem naturalem, et philosophice loquendo non potest dici, quod sit opus, sicut sunt caerimonialia et moralia. Nam moralia, quae vocant, ut sunt ex secunda tabula, obedientia liberorum erga magistratus, ex prima tabula, invocatio et gratiarum actio; haec ita sunt mandata, ut perpetuo fieri debeant singulis diebus, imo horis. Circumcisio autem semel tantum fiebat per totam aetatem, nec poterat repeti: sicut in novo testamento semel in nomine Iesu baptisatum esse sufficit, et impietas est repetere Baptismum.

Secundum hanc rationem differt circumcisio a moralibus operibus. Sic caeremoniae quoque repetuntur. Non satis erat semel sacrificasse, semel adorasse in templo, semel reconciliatum esse ecclesiae etc.

Secundo, circumcisio potius est passio et crux, quam opus. Qui enim circumciditur, non facit hoc, sed patitur ab aliis, et quidem cum dolore. Si igitur non est opus morale, non caeremoniale, quid igitur est?

Paulus egregius et bene dialecticus definitor est; definit enim, circumcisionem esse signum seu signaculum justitiae, quae fuit in praeputio Abrahae, priusquam circumcideretur, ac tale quidem signum impressum in ipsam carnem Abrahae et omnium masculorum ab ipso descendentium (Rom. 4, 11.). Quodsi caeremoniam quis appellabit, tamen hoc permittet, in eo a reliquis caeremoniis differre, quod sit passiva caeremonia, sicut Baptismus.

ea, Paulus his sic positis, quod circumcisio sit signum, non justificans Abrahamum, sed significans justitiam, quae in Abraha jam antea est, nascitur quaestio, an signaculum hoc fuerit inane signum, an res etiam sigillo repraesentata?

Ad eam sic respondeo: In Abraha circumcisionem esse merum signum, sine repraesentatione, hoc est, sic esse signum, ut non faciat, quod significet, sed tantum significet. Argumentum enim Pauli irrefutabile est, quo probat, Abraham justum fuisse ante circumcisionem. Ergo circumcisio est signum significans tantum justitiam, non afferens. Invenit enim Abrahamum jam ante justum, non facit justum.

Sed alia ratio fuit posteritatis Abrahae. Eam circumcisio non invenit justam, ut Abrahamum: itaque sic fuit signaculum justitiae, ut justitia per eam repraesentaretur. Sic enim infra scriptum est: „Masculus, in cujus carne praeputium non fuerit circumcisum, exterminabitur anima illa de populis suis, quia dissolvit pactum meum". Significatur autem hic interitus spiritualis et aeternus.

Haec negativa infert affirmativam, quod masculus circumcisus octavo die salvabitur, et reputabitur in populo Dei; quare circumcisio in posteritate Abrahae fuit efficax, hoc est, attulit justitiam, non ratione operis tantum, quod mere passivum fuit, sed promissionis Dei, quae cum hoc passivo opere conjuncta fuit.

Quodsi promissionis ratione valuit circumcisio, et promissio nonnisi fide potest accipi, non solum hoc sequitur, quod parvuli circumcisi, recepti in po-

pulum Dei et justificati sunt, sed quod parvuli cooperante Spiritu sancto habeant fidem.

Hic locus est de pondere, ut ajunt; igitur bene est notandus. Clarum enim testimonium est, quod Deus infantes Iudaeorum suscepit in societatem populi Dei et aeternae gratiae. De hac gloria circumcisionis Iudaei nihil norunt; tantum jactant de misera passione, ei justitiam ceu meritum tribuunt; non promissionem, non Spiritus sancti opus, fidem considerant.

Haec magna caecitas est. Circumcisio enim ut circumcisio nihil facit, sed oportet accedere fidem in verbum. Haec cum adest, tum demum circumcisio est signaculum justitiae, et repraesentat justitiam.

Iudaei stultissimam rationem assignant circumcisionis. Ideo enim dicunt praeputium tolli, quia nulla alia pars in toto corpore humano sit superflua et inutilis, quasi vero non sint alia, quae magis superflua judicari possunt, ut pili, ungues, quos praecidimus, quia superfluos judicamus; aut quasi Deus talis sit architectus, qui superflua condat.

Haec argumenta sunt excaecati animi, et nullam micam sani intellectus habentis. Nos igitur Paulum sequamur, qui vocat circumcisionem signaculum justitiae, atque ita relative reducit circumcisionem ad fidem, ideo quia habet additam promissionem. Quando enim circumcisio separatur a fide, vere mortua et nihil est. De tali circumcisione carnali sine gloriantur Iudaei.

Nascitur autem hic alia quaestio. Si non circumcisi masculi Judaeorum pereunt, quid sentiendum est de infantibus ante octavum diem extinctis? quid de altero sexu, de puellis? Item, quid sentiendum

est de nostris infantibus, qui, antequam baptisentur, exstinguuntur, vel in utero matris, vel post partum?

De exstinctis infantibus ante octavum diem facilis responsio est, sicut etiam de nostris infantibus, qui ante Baptismum exstinguuntur. Non enim peccant in foedus circumcisionis aut Baptismi; quia enim lex mandat octavo die circumcidi, quomodo damnaret Deus ante octavum diem extinctos?

Relinquendae igitur animae illorum sunt voluntati coelestis patris, quem scimus misericordem esse. Et valet hic quoque, quod Paulus Romanorum quinto (v. 14.) mansuete dicit de iis, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adae. Et de Iacob et Esau dicit (ibid. 9, 11.): „Priusquam aliquid boni vel mali facerent“.

Etsi enim infantes afferunt peccatum innatum, quod originale vocamus, tamen magnum est, quod contra legem nihil peccarunt. Cum igitur Deus natura misericors sit, non ideo deteriore conditione eos esse sinet, quod vel circumcisionem in veteri testamento, vel Baptismum in novo consequi non potuere.

De femellis apud Iudaeos facilis responsio est. Quia enim signaculum hoc tantum masculino sexui est praeceptum, non pertinet ad femellas, quae tamen, quia Abrahae semen sunt, a justitia Abrahae non excluduntur, sed consequuntur eam fide. Qui autem adulti vel circumcisionem contemserunt, vel contemnunt Baptismum, hi certo damnantur.

Notandum autem circumcisionis praeceptum est contra furores Anabaptistarum. Hi enim ideo sentiunt repetendum Baptismum, et nonnisi adultos baptisan-

dos, quod infantes non habent intellectum; ubi autem nullus intellectus est, ibi nec fidem esse.

Sed dic mihi: Circumcisio, ut diximus, tantum prodest propter fidem; jussi autem sunt infantes octavo die circumcidi, ac promissio admodum fortis est, Deum eos curaturum et servaturum: aut igitur frustra fuit mandatum circumcisionis, aut infantes quoque, qui sine omni intellectu sunt, crediderunt, ac per circumcisionem consecuti sunt justitiam fide, quam Abraham consecutus est adhuc in praeputio. Circumcisis enim promittitur, quod sint populus Dei, et quod Deus velit ipsorum esse Deus, hoc est, sunt in consortio regni Dei, justificati fide justificante, quam eis Dominus donat per Spiritum suum.

Hoc si cum Iudaeis in veteri testamento factum est, mediante circumcisione, cur Deus non faceret idem cum gentibus, mediante Baptismi novo pacto? Nam praeceptum universale est: „Ite in universum mundum, docete et baptisate omnes gentes". Ubi igitur circumcisio soli semini Abrahae mandata erat, Baptismus praecipitur omnibus gentibus cum promissione salutis, si credant.

Quodsi semen Abrahae virtute promissionis habuit hanc benedictionem, ut octavo die circumcisi donarentur fide, et fierent Dei populus, cur negaretur ea gentibus unitis jam Deo pacto Baptismi? Non enim Baptismi deterior conditio erit, quam fuit circumcisionis, praesertim cum circumcisio tantum masculorum esset, Baptismus etiam alterum sexum complectitur.

Sicut autem Iudaeus per peccatum excidens ab isto pacto Dei non opus habebat denuo circumcidi, sed rediens ad pactum hoc, et promissione se con-

semel receptus est in gratiam, sic excidentes per peccata a gratia non debent rebaptisari. Promissioni semel factae debent firma fide inniti, et per Christum sperare veniam.

Forte igitur hoc argumentum est contra eos, qui negant, parvulos baptisandos, quia non intelligunt, nec credunt. Hic enim mandatur, ut circumcidantur parvuli octavo die, et additur promissio: „Ego ero Deus eorum".

Utrumque igitur, tum praeceptum, tum promissio testantur, imputatam infantibus mediante circumcisione justitiam: sicut Abrahae imputata erat ante circumcisionem per fidem. Nam sine fide impossibile est Deo placere.

Debuit autem pactum circumcisionis durare tantum ad Christum. Is quia gentes quoque erat associaturus regno Dei, voluit veteri signo seu pacto abolito novum signum instituere, sicut dicit (Ioh. 3, 5.): „Nisi quis renatus fuerit per aquam et Spiritum, regnum Dei non videbit".

Similitudo, quanquam non omnino perfecta, potest sumi ex civilibus negotiis. Aliquis strenuam operam in defendenda et servanda patria contra hostes praestitit; huic propter virtutem Caesar donat insignia certa, donat oppida, pagos, arces. His donis fruitur tota ejus posteritas, ac provocatur, ut virtute imitetur majores. Quodsi degenerent, imperator concessit majoribus dona propter virtutem, degeneri posteritati iterum potest eripere.

Sic Deus victoriosissimo Patriarchae, qui fide non solum hostes vicit, sed peccatum et mortem, dat circumcisionem seu insigne quoddam virtutis, quod in carne sua gestet, sed non ut vacuum signum.

num. Posteri quoque ejus benedictione gaudere et frui debent, sic tamen, si sequantur virtutem patris.

Etsi igitur sola familia Abrahae hoc signum, seu insigne debuit portare coram toto mundo, tamen per id etiam gentes sunt invitatae, ut Deum Abrahae cognoscerent, et ei servirent. Ideo Paulus dicit, Rom. 4, (v. 11.), esse datam ei circumcisionem in signum, ut esset signaculum justitiae fidei, quae in praeputio erat. Ac addit Paulus statim, ut esset pater omnium credentium per praeputium. Item (v. 12.), ut esset pater non circumcisionis solum, sed incedentibus in vestigiis fidei, quae fuit in praeputio patris nostri Abraham.

Haec est recta definitio circumcisionis, ut sit publicum insigne, quo invitentur omnes, sive circumcisi, sive non circumcisi, ad vestigia Abrahae, seu ad fidem Abrahae imitandam. Est enim communis pater gentium et Iudaeorum, ideo insignitus novo signo, ut etiam gentes ad eum, tanquam ad signiferum accurrerent, et eundem Deum agnoscerent, confiterentur et colerent. Invitantur enim ad eandem justitiam fidei etiam gentes, ut secundum promissionem Abraham fiat pater multarum gentium.

Sic Hiob, sic Pharao, sic infiniti alii toto tempore legis et ante salvati sunt, licet semen Abrahae non essent. Debuit enim Abraham pater esse non Iudaeorum tantum, sed gentium quoque, quae credunt.

Etsi enim non coguntur ad circumcisionem extranei, tamen recipiuntur ad communionem justitiae. Circumcisio autem interim eo quoque valet, ut ma-

neat certa forma populi, donec veniat ille, in quem omnia referuntur, qui erigeret novum vexillum, seu signum, non in uno aliquo populo, sed per universum orbem terrarum. Non enim ecclesia concludenda amplius est in unum aliquem angulum, sicut Romanus Pontifex ecclesias non agnoscit, qui ipsum non agnoscunt. Vexillum enim, quod Christus erexit, cum diceret (Marc. 16, 15.): „Ite in orbem universum", non est in uno aliquo certo angulo, aut in una aliqua familia. Ideo vocatur Catholica ecclesia. Et tamen haec ecclesia est baptisatorum tantum; extra Baptismum enim non est salus, sicut tum ex circumcisione salus fuit non propter circumcisionem solum, sed propter fidem in promissionem, quae circumcisioni erat adjuncta, et quasi incorporata.

Sic enim ab initio mundi sapientia divina ordinavit et disposuit, ut semper aliquod*) publicum signum exstaret, ad quod respiceretur ab universis populis, et verum Deum invenirent, colerent et adorarent etiam gentes, quanquam non omnes, qui signum illud haberent, crederent, et eo ad justitiam fruerentur. Sic ante circumcisionem signa erant sacrificia; Abel et Cain fratres sacrificant: Abelo sacrificium est signaculum justitiae, quia credit, Caino non est signaculum justitiae, quia non credit, et nudum opus sine fide retinet.

Ad hunc modum circumcisio erigitur in signum seu vexillum, quod respiciatur ab illis, qui debent salvi fieri. Quia enim Abraham benedictione divina erat multiplicandus in populos et regna, ecclesia quasi incorporatur ad tempus carni ejus, et datur

*) In edit. princ. aliquid.

universaliter signum, quod sic ad ecclesiam pertinebat, ut tamen ab ecclesia non excluderentur, qui signum hoc non haberent, et crederent.

Augustinus Sacramentum definit, quod sit visibilis forma invisibilis gratiae. Ac recte definit, et simul causam ostendit, quod fere contemnuntur Sacramenta ab iis, qui ea habent propria, sicut Esaias (65, 1. 2.) dicit: „Inventus sum a non quaerentibus me. Populus autem, ad quem expandi manus meas tota die, incredulus est, et graditur in via non bona post cogitationes suas".

Hoc est judicium Dei, quod ferendum est. Erigit Deus signum gratiae, ut agnoscatur a peccatoribus, ut peccatores salventur: sed fere fit, ut, quibus hoc signum erigitur, contemnant. Sic Baptismus est erectus in signum justitiae omnibus, qui in Christum credunt. Ac gloriantur de Baptismo Papistae quoque, sed frustra, quia non credunt, et justitiae doctrinam damnant ac persequuntur.

Sic Ioannis vox in deserto clamans et baptismus erat erectum vexillum: sed Pharisaei negligebant. Sic Esaias (11, 10.) dicit, radicem esse erigendam in signum, sed Iudaei hoc signum rejiciunt, gentes autem in eo sperant.

Idem quoque de circumcisione dicimus, qua non onerantur gentes, sed invitantur tamen ad eandem fidem, ut sit Abraham pater circumcisionis et praeputii. Multi igitur ex gentibus crediderunt: Iudaei autem retinuerunt corda incircumcisa; sic circumcisio etiam gentibus occasio salutis et utilis fuit. Opus enim habemus hujusmodi notis et signis, quibus deducamur ad cognitionem Dei; nam ratio humana non potest Deum invenire, nisi talia signa ab ipso

Deo instituta nos quasi manu ducant. Et periculosius nihil est, quam si quis ipse sibi iter ad Deum fingat, et suis speculationibus nitatur. Sicut in Papatu soliti fuimus. Hic enim Romae, alius in Hispaniis, alius in alia mundi parte somniabat se Deum inventurum. Hoc cum singuli tentarent, factum est, „ut declinaremus omnes, et fieremus inutiles“, ut Psalmus (14, 3.) loquitur.

Cur enim non secuti sumus nostra signa ab ipso Domino ad nos in unitatem fidei colligendos instituta, hoc est, verbum Dei, Baptismum et Coenam Domini?

Ad hunc modum cum Iudaei haberent templum, circumcisionem et certam cultuum formam, ad quam ceu ad signum militare unum Deum tanquam ducem agnoscentes colligerentur, his omissis versi ad sua studia propriam singuli colendi Dei rationem sibi fingebant, et sequebantur cum certo suo exitio.

Quando enim Deus se patefacit in aliquo signo, qualecunque tandem id sit, est apprehendendus in eo. Sed Satan hoc perpetuo agit, ut vera signa ex conspectu removeat, et falsa signa proponat: sicut noctu errantibus offert faces, quas dum incauti sequuntur, aut in praecipitia, aut aquas ruunt.

Itaque Christus, Matth. 24, (v. 23.) serio ad hujusmodi retia effugienda nos exhortatur, cum dicit: „Si dixerint, ecce hic est Christus, ecce ibi est, nolite credere“. Ibi quaerendus est Christus, ubi se manifestavit, et agnosci voluit, ut in verbo, in Baptismo, in Coena: ibi certo invenitur; verbum enim fallere nos non potest. Sed fere fit, ut ratio illa signa negligat, et divertat ad meretricem, quae sedet *in foribus*. Proverb. 7.

Meminerit igitur unusquisque eam viam ingredi, quam ipse Deus praescripsit, non quam nos eligimus ipsi. Nostra enim electio cum vitio et fallax est, sicut Propheta (Esai. 66, 3.) dicit: „Haec omnia elegerunt in viis suis“, et Paulus, Colos. 2, (v. 18. 23.) damnat electitias religiones. Certum enim est, quod homo per suam sapientiam non potest Deum invenire, et ex ea quoque parte ingens periculum est, quod Satan se transformat in Angelum lucis, et sibi circumdat majestatem divinam, dum signa et prodigia ad errores suos confirmandos facit.

Contra haec pericula sic tuti erimus, si illam formam visibilem, seu signa illa fuerimus secuti, quae ipse proposuit. In novo testamento habemus formam visibilem Filium Dei in gremio Mariae matris, passum et mortuum pro nobis, sicut symbolum docet. Ultra hoc habemus alias visibiles formas, Baptismum, Eucharistiam et ipsum verbum vocale. Itaque non possumus queri, nos relictos.

Hoc autem agit primum Satan; deinde ejus ministri, Pontifex cum tota sua ecclesia, ut ab his formis visibilibus divinitus institutis nos avocet ad suas formas, ad canonisationem sanctorum, ad invocationem, et cultum mortuorum sanctorum, ad statuas in certis locis quaestus causa exstructas etc.

Itaque confirmatos nos contra has insidias esse oportet, ut dicamus: Ego sicut nescio ante adventum Christi aliquam ecclesiam praeter illam, quae fuit in domo Abrahae, et circumcisione notata fuit: ita post Christi adventum nihil scio, quam Christum, eumque crucifixum, qui se patefacit nobis in visibilibus formis, in usu clavium, in Eucharistia: ibi

scio, quod Deum invenio, ibi remissionem peccatorum consequor, et alibi nusquam.

Non, inquiunt Pontificii: Deus varia dona dedit sanctis suis. Quot miraculis ornata est aedes Compostellaria divi Iacobi? Roma quot miraculis est commendata? Vult igitur Deus ibi quoque quaeri et inveniri. Sic Franciscus profecto sanctam post se reliquit regulam, quam qui observant, quomodo non possent Deo placere? et valent haec quoque consuetudine Patrum, qui approbaverunt ista etc.

Sic satagit Satan a formis divinitus praescriptis nos abducere. Sed tu regulam hanc certam et infallibilem retineas et sequaris, quod dispositio divinae sapientiae haec est, manifestare se hominibus aliqua certa et visibili forma, quae cerni oculis, et manibus palpari potest: in summa, quae quinque sensibus exposita sit. Adeo se propinquum nobis divinum numen sistit. Has formas visibiles firmiter retinere summa sapientia est. Docent autem exempla omnium Patriarcharum, Prophetarum et piorum, hoc perpetuo Satanam agere, quomodo illas formas obscuret, et nobis alias proponat.

Sic circumcisio quoque fuit visibilis forma, non ab hominibus, sed ab ipso Deo instituta, ut Deus per eam agnosceretur, et non Iudaei solum, sed gentes quoque in eum Deum crederent, qui tali modo se revelarat Iudaeis.

In ea igitur sententia sum, ut credam, omnes Iudaeorum infantes circumcisos, si in ista prima aetate exstincti sunt, salvatos esse. Inventi enim sunt in sinu Abrahae, hoc est, in illa promissione, quod Deus velit eorum Deus esse.

Idem sentio de baptisatis nostris infantibus. Quia autem adulti patiuntur, sibi fidem excuti per peccatum, ideo, etsi baptisati sunt, quia tamen non credunt, non salvantur. Tale nihil patiuntur infantes; igitur in salute accepta manent, et salvantur.

Haec doctrina necessaria est, et egregie commendat Sacramenta, quae homines fanatici indigne extenuant, quia non observant verbum. Non enim ludus aut jocus est, quod toties hic de circumcisione repetitur: „Ego ero Deus eorum et seminis tui post te“. Fuit circumcisio externum et visibile signum, qua Iudaei et in gentibus agnoscerentur, et inter se agnoscerent.

Sed non hoc solum circumcisio praestitit, ut politice colligeret hunc populum, et inter ipsos quasi tessera esset: sed fuit etiam Sacramentum, hoc est, signum divinae voluntatis, igitur credentibus fuit signum salutis aeternae. Ostendit enim, Deum esse hujus circumcisi populi Deum. „Deus autem non est mortuorum Deus, sed vivorum“ (Matth. 22, 32.). Igitur per circumcisionem, ad quam fides accedit, non solum sunt cives in ista politia ab aliis gentibus instituta, sed haeredes aeternae vitae; Deus enim immortalis et aeternus est. Igitur immortalitatem suis donat.

Idem omnino statuamus de Baptismo in novo testamento et de Eucharistia, ne fanaticorum modo ea putemus esse externa signa, tantum ad distinguendos Christianos ab aliis gentibus instituta. Faciunt quidem discrimen, sed non id solum: credentes promissioni et his signis utentes fiunt Dei populus, et salvantur.

Notandum autem est, quod supra dixi, circumcisionem tantum semini Abrahae mandatam, atque uni tantum sexui masculino, et tamen a gratia, quam circumcisio confirmabat, neque femellae Iudaeorum, nec gentes exclusae sunt. Non enim circumcisio, ut opus, per se valebat, sed fides in promissionem circumcisioni additam.

Ante circumcisionem sacrificia et verbi ministerium erant visibilia invisibilis gratiae signa. Sub Abraha circumcisio instituta valuit usque ad adventum benedicti seminis.

Post Christi adventum habemus sanctum Baptisma, Eucharistiam, claves; his signis patefacit se Deus, et fide eis utentes salvat. Hanc fidem cum posteri Caini, edocti verbo Dei, afferrent, salvati sunt; non enim Cain sic abjectus est, ut posteritati ejus negaret salutem Deus. Ejus judicii alia causa fuit, ut scilicet ecclesia certius notaretur et agnosceretur, nec videretur duplex esse ecclesia. Oportuit enim unam certam familiam omnibus seculis exsistere, ex qua sola crederetur Christus nascendus.

Hoc consilio Ismaël quoque rejicitur, qui tamen in societatem promissionis admittitur. Orat enim pro eo Abraham, et habet promissionem, qui etiam gentium multarum pater futurus sit. Igitur non est exclusus a salute et aeterna vita Ismaël: ab illa gloria exclusus est, quod non sit futurus pater Christi, qui tamen in populo ejus futurus erat.

Et fuit hoc modo arcenda superbia carnalis nativitatis, ne gloriaretur, se esse filium Abrahae, sed apprehenderet fidem Abrahae, id quod omnino factum esse existimo.

Sed redeamus ad explicationem textus. Audit

Abraham, utrunque pactum confirmari, corporale de terra Canaan, et spirituale de benedictione aeterna. Agnoscens igitur divinam benevolentiam, quod Deus in familiam suam velit locare ecclesiam, in qua inveniatur certo Deus ab omnibus gentibus invocantibus eum, procidit in terram, et agit gratias. Est enim amplissima et vere magnifica promissio, quod pacto confirmat Deus, ex Abrahae semine nascituram ecclesiam, quae habitet in terra Canaan, usque dum nascatur Christus, ut omnes tum gentes, tum Iudaei, qui credituri sunt, quod Abraham crediderat, salvi fiant.

In hoc enim signaculum circumcisionis ei datur, ut per justitiam fidei, quae in Abraha est, salventur omnes, et transferatur ecclesia a sacrificiis priorum Patrum in hanc unam circumcisam ecclesiam.

Sunt verba mire ardentia. „Ecce ego", quasi dicat: Non audis nunc alium Deum, quam prius, cum te evocarem ex Ur Chaldaeorum. Promitto autem tibi, quod tua familia sit futura ecclesia pro toto orbe terrarum, ut sit ceu gremium, et sinus gratiae, in qua omnes gentes, et non solum tua posteritas inveniant salutem, modo permanserint in fide tua.

In Christo enim, qui Abrahae promittitur, congregantur omnes populi, sive sint parvuli, qui per peccatum vivens in carne non decipiuntur, sive adulti, qui facile decipiuntur, et indulgent carni, atque ideo, ut Petrus ait, satius esset eis nunquam cognovisse gratiam, quam quod ab cognita gratia per peccatum iterum excidunt (2. Petr. 2, 21.).

Sed observa hic quoque firmum locum contra inanes Iudaeorum glorias de circumcisione. Muta-

tur nomen Abrae, et vocatur Abraham, hoc est, pater multarum gentium, priusquam ei mandatur circumcisio. Vult igitur Deus, propagari fidem Abrahae, non tantum in semen Ismaëlis, Isaaci et alios filios ex Ketura natos, sed etiam in gentes, quae ex carne Abrahae non sunt natae.

Non enim permittendum Iudaeis est, ut garriant, nullam gentem salvari, nisi circumcisos, et quod omnes gentes oporteat legem servare, praecipue autem circumcisionem. Nugae hae sunt dignae excaecatis mentibus. Nam Deus voluit, Abrahamum hoc signum ferre pro semine, sic tamen, ut ad fidem per illud etiam invitarentur gentes. Per circumcisionem enim non potuerunt gentes populus Dei fieri, sed per fidem in semen benedictum.

Sic regina Saba, sic Hiram agnoverunt Deum Salomonis circumcisi, etsi Hiram maneret in praeputio. Hic igitur est sinus Abrahae, in quem colliguntur etiam gentes, fides scilicet Abrahae, qua ipsae quoque consequuntur promissionem, etiamsi signum visibile promissioni additum non consequantur; est enim id non gentibus, sed Abrahae semini imperatum.

De nomine Abrahae mutato supra diximus. Quicquid autem sit, mysterio non caret, quod litera ה, inserta est in medium dictionis. Ea est tenuis aspiratio, et quasi mollis sibilus. Fortasse voluit significare Dominus, blandissimo sibilo venturum Spiritum sanctum, et vocaturum gentes ad societatem fidei et promissionis. Sicut dicunt, includere literam ה, duo vocabula הֲמוֹן גּוֹיִם, multitudinem gentium, ut habeat Abraham nomen cum re, et ordinetur pater ecclesiae ceu summus Pontifex, non prop-

ter circumcisionem, quae fuit signaculum justitiae tantum, non justitia, sed propter fidem in promissionem de semine benedicto; quam fidem quicunque habent, sive in Aegypto, sive in terra Canaan vivant, sunt filii Abrahae, afflati eodem Spiritu Dei, quo ipse pater gentium Abraham: ut sic maneat unitas et certitudo ecclesiae, ac una via, non multae atque adeo incertae et fallaces viae.

Quod additur: „Et faciam te crescere nimis nimis (bis enim ponitur nomen), et ponam te in gentes", etiam pugnat cum Iudaeorum somniis. Certa enim sententia est, non in unam gentem, sed in multas augendam posteritatem Abrahae; adeo ut multi reges ex eo egrediantur.

Gens autem vocatur unus certus populus, qui politiam et caput suum ac leges habet. Multitudo latronum sine lege viventium, item eremitae, item dispersi hodie Iudaei non possunt vocari gens; sunt enim sine capite, sine regno jam annis plus quingentis et mille, quasi exercitus in campo sine vexillo et sine duce.

Ideo exciderunt a promissione hac, utcunque jactent Patrem Abraham, ac frustra est non solum circumcisio, sed quicquid ad legis formam faciunt; nec sunt amplius populus Dei.

Notandus autem hic textus est pro confirmatione magistratus civilis. Populi et reges non possunt esse sine legibus; imponitur necessitas gerendi bella, defendendi subditos, puniendi sontes; haec omnia hoc loco approbantur, ut justa et legitima: sicut ideo scriptura vocat judicia Domini, bella Domini etc.

Habemus autem ad eundem modum etiam in no-

vo testamento politias approbatas auctoritate Christi et Apostolorum. Non solum autem magistratus, qui in ecclesia sunt, et fidem nobiscum profitentur, approbantur, sed etiam gentilium imperia. Sicut hoc in loco non solum regnum posteritatis Abrahae, sed Ismaelis quoque probatur, et vicinarum gentium ex ipso propagatarum.

Et erigam pactum meum inter me et inter te, atque inter semen tuum post te, in generationibus suis foedere perpetuo, ut sim tibi in Deum, et semini tuo post te.

Saepe dixi, historias Patriarcharum ideo excellere, quia Deus cum eis loquitur. Ac historia Abrahae ideo reliquis omnibus antefertur, quia cum nullo toties locutus Deus reperitur.

Recte igitur Patriarchae nomen gerit, quia est pater fidei et singularis amicus Dei, cum quo sic familiariter Deus loquitur, cui toties promittit multiplicationem seminis, et non solum possessionem Canaan, et corporale regnum, sed ecclesiam, quod ea tantum in ipsius posteritate sit habitatura, quam adeo insignivit circumcisione, ut certa nota et visibilis forma in mundo exstaret, in qua Deus se ostenderet vel appareret, non tantum pro familia Abrahae, sed etiam pro omnibus gentibus, quae hoc signum seu vexillum essent visurae in salutem, et hac occasione perventurae ad cognitionem Dei. Fuit igitur circumcisio causa salutis multorum ex gentibus.

De principum epistolis proverbio dicitur, ter eas legendas; sed profecto Dei epistolae (sic enim appellat scripturam Gregorius) septies ter, imo septuagies septies, seu, ut plus dicam, infinities legendae

sunt, quia sunt divina sapientia, quae non statim primo intuitu potest comprehendi. Si quis obiter tanquam res notas et faciles legit, se ipsum decipit.

Prophetas apparet profecto dies noctesque meditatos scripta Mosi, ac praecipue hasce Patriarcharum historias, ac mirabiles consequentias ex ipsis hausisse. Adjuvat enim diligentiam Spiritus sanctus. Ideo quoque, quoniam Deum sic copiose cum Abraha colloqui non poenitet, paulo diligentius expendemus omnia.

Quod repetit de statuendo et confirmando pacto, non tantum, ut saepe jam dixi, intelligendum est de carnali semine Abrahae, sed etiam de gentibus credituris in Deum Abrahae, sicut rex Pharao temporibus Ioseph, et Abrahae tempore Abimelech; et multi alii ex gentibus verum Deum agnoverunt et salvati sunt.

Igitur verbum „Ego erigam, vel suscitabo pactum" largissime accipiendum est. Quod autem addit, perpetuum fore foedus, id Iudaei eo detorquent, quod etiam gentes oporteat circumcidi, si quidem velint fieri populus Dei; sed volentes errant. Cur enim particulam additam non considerant: „inter te et semen tuum post te, in generationibus suis"? Igitur textus dicit, hoc pactum futurum in semine Abrahae, et in sempiternum non mutandum, dum durant generationes Abrahae.

Hic limes est additus, et quasi circumscriptum tempus, quod, dum durabunt generationes seminis Abrahae, hoc est, dum manebit politia, regnum, sacerdotium et aliqua certa populi forma, hoc pactum debet manere immutabile. Generatio igitur Abrahae terminatur in Christo, qui caput et auctor est novae

generationis. Sicut autem prior generatio habuit circumcisionem additam, qua agnosceretur: ita nova Christi generatio habet alia signa, quibus agnoscitur.

Generatio Abrahae durabilis est ad certum tempus, sicut Maria in Cantico suo (Luc. 1, 50.) pulchre dicit: „Misericordia ejus a progenie in progeniem timentibus eum". Significat enim, Deum conservaturum hunc populum, si timeat Deum; sed cum timere Deum impia synagoga desineret, cum interficeret Filium Dei, et verbum ejus immani odio persequeretur, non tanti fuit circumcisio, ut propter eam tanta peccata manerent impunita.

Desiit igitur tum quoque carnalis generatio Abrahae, et successit generatio nova Filii Dei, de qua Propheta dicit, Esaiae 53. (v. 8.): „Generationem ejus quis enarrabit"?

Circumcisio igitur et pactum hoc Abrahae habuit suam durationem, sed tamen fuit mutabilis et certi temporis, nec licuit ulli homini, stantibus adhuc generationibus Abrahae, eam mutare. Sed Christus, auctor novae generationis, mutavit non pactum, sed signum pacti. Frustra igitur gloriantur Iudaei, quod circumcisio sit perpetua, hoc est, infinita in latitudinem et longitudinem, atque ideo imponenda gentibus quoque. Certum tempus durationis habuit, quo retineretur in domo Abrahae. Postquam autem venit spirituale semen Abrahae promissum, cessavit generatio carnalis, et cessavit signum quoque carnalis generationis, quod institutum fuit non tantum propter Abrahae semen, sed etiam propter gentes, ut supra diximus. Hoc signum, quoad homines, fuit aeternum et immutabile; sed Deus tandem mutavit.

De particula: „ut sim tibi in Deum", aliquo-

ties supra dictum est. Complectitur autem non solum corporalem promissionem de tradenda terra Canaan, sed spiritualem, de qua scriptura dixit: „Ego ero protector tuus, et merces tua copiosa nimis". (1. Mos. 15, 1.).

Significat enim evidenti pacto et clarissimis verbis, quod ecclesia debeat esse in domo Abrahae, et quod domus Abrahae sit futura in terra Canaan, in qua tamen ipse Abraham peregrinus fuit. Nam „Deum esse" non est solum creatorem rei esse, sed includit cultum Dei.

Est quoque gentium Deus; nam eos condidit: sed a gentibus non agnoscitur nec colitur. Quod igitur dicit: „Ero tuus Deus", significat, quod Abraham in sua familia et domo sit semper habiturus verbum Dei, ex quo agnoscere posteritas Deum discat, et Deum vero cultu colat.

Sic in primo praecepto est: „Ego Dominus Deus tuus", hoc est, ego patefacio me per verbum, et tu coles me, et agnosces me.

Relative igitur nomen Dei accipiendum est, ut significet Deum cultum et adoratum, non absolute secundum suam essentiam majestatem. „Ero Deus tuus", hoc est, in tua domo erigam cultum meum, et ero apud te et tuos cultus Deus, qui me manifestabo apud tuam posteritatem signis et visibilibus notis, miraculis et portentis, ut me certo norint, meque adorent et colant. His enim duobus absolvitur cultus Dei verus.

Adorare est converti ad Deum, cum adversa facie Deum invocas in tribulatione, cum gratias agis pro liberatione, cum recolis et praedicas beneficia ejus, quod sit creator, benefactor, promissor, ser-

vator. Sicut hunc sensum naturali instinctu etiam gentes habent, quod sit aliquod supremum numen, quod colendum, invocandum, laudandum, ad quod in omnibus periculis confugiendum sit, sicut Paulus dicit, Rom. 1, (v. 21.), „gentes agnovisse Deum natura“. Haec enim notitia divinitus plantata est in omnium hominum animis, quod vocant Deum auxiliatorem, beneficum, placabilem, etiamsi in eo postea errent, quisnam ille Deus sit, et quomodo velit coli.

Quando autem ad hunc modum agnoscitur Deus, quod sit propitius, placabilis, beneficus, tunc egredior foras, et faciem a Deo averto ad homines, hoc est, curo vocationem meam. Si rex sum, administro rempublicam; si oeconomus, guberno familiam; si praeceptor, doceo discipulos, et formo mores eorum et opiniones ad pietatem. Haec opera recte dicuntur cultus Dei. In his enim omnibus servimus Deo, qui voluit nos talia facere, et in hanc quasi stationem nos collocavit.

Haec de cultu Dei doctrina admodum necessaria est. Quae enim portenta finxerunt Papistae, toti orbi notum est, donec tandem cultum statuerunt sepeliri in veste monastica. Sed haec vera sunt pietatis et religionis verae capita: fides erga Deum, qua accipimus remissionem peccatorum, invocatio, gratiarum actio, confessio: deinde vocationis opera erga proximum, ut regas, instituas, doceas, consoleris, exhorteris, pares victum labore etc.

Sophistae disputarunt in scholis, an Deus esset in praedicamento aliquo? Sed hujusmodi deliria ostendunt, quam nihil intellexerint sacrarum rerum. Qui enim de Deo vult quaerere, quid sit, respiciat

ad

ad cultum Dei, qui omnis in adoratione et servitute constituitur, Matth. 4, (v. 10.).

Secundo non satis est ad hunc modum docere de Deo, quod sit Deus cultus, qui se per verbum suum patefacit; etiam hoc addendum est, hunc Deum, qui nos de cultu suo docet, esse donatorem immortalis vitae. Sicut Christus contra Sadducaeos disputat, Matth. 22, (v. 32.). Nam cultus et adoratus Deus (sic enim docendi causa loquor) est una et necessaria pars, quae pertinet ad hanc vitam.

Sed cultus ille, seu adoratio haec non debet esse Sadducaeica, aut Epicurea. Hi enim statuunt, Deum esse mortuorum Deum: contra Christus docet, Deum esse Deum vivorum. Igitur piorum Deus est, ut Abrahae, Isaaci, Iacobi; hi vivunt et non sunt mortui, quanquam nobis sint mortui.

Vocat igitur Dominus hoc verbo, quo promittit, se Deum Abrahae fore, non solum ipsum Abrahamum, sed etiam omnem ejus posteritatem, imo etiam gentes omnes, exemplo fidelis Abrahae credentes, in spem aeternae vitae, quod tam diu sint victuri, quam diu ipse Deus vivit, hoc est, in sempiternum.

Hujus sententiae habemus auctorem ipsum Dei Filium, qui dicit: „Deus est vivorum Deus“. Ergo Abraham, Isaac, Iacob etiam mortui jam, tamen vivunt, ac quidem aeternam vitam.

Dabo quoque tibi et semini tuo post te terram peregrinationis tuae, nempe totam terram Canaan in possessionem perpetuam, eroque illis in Deum.

Haec videntur pugnare. Promittitur Abrahae

possessio terrae Canaan in sempiternum, et tamen dicitur esse peregrinus. Hoc vere est, quod veteres dialectici dicebant, oppositum in adjecto. Sed hoc medio pugnantia inter se recte concordantur, quod Deus Abraham est Deus viventium. Itaque Abraham in hac vita adorans Deum et serviens Deo erat peregrinus, et tamen simul habebat possessionem terrae Canaan in promissione; mortuus vero non mortuus est, sed vivit, ac per semen suum possidet terram promissam.

Sic Stephanus, Act. 7, (v. 5.): „Non dedit Deus Abrahae haereditatem in terra Canaan, ne quidem vestigium pedis“. Igitur utrunque verum est, Abrahamum mortuum possidere terram, et vivum peregrinum esse in terra, atque ita mortuum non esse mortuum, sed vivere juxta promissionem: „Ero tibi in Deum“.

Ex his facile statuimus, quis Abrahae fuerit animus, et quales habuerit cogitationes; vidit promissionem, eamque sensit indubitatam et veram esse, vidit quoque, se nihil tenere proprium, sed esse peregrinum in terra. Quia autem promissio fallere non potuit, et ipse, dum hic viveret, possessionem terrae Canaan non est consecutus, certo statuit, se moriturum, sed non exstinctum iri penitus, sed resurrecturum et vivificandum in sua persona.

Quid enim aliud cogitaret aut sentiret? Peregrinus est in hac vita, et tamen promittitur ei possessio terrae Canaan. Igitur certum hoc argumentum est, non moriturum esse. Nam pronomen diserte ipsius personam notat: „Tibi dabo“; ne dicamus, Abrahamum in sua persona mortuum vivere, et possidere terram in posteritate sua. Haec sophi-

etica solutio est. Nam Deus privatim et personaliter ad Abrahamum dicit: „Tibi et tuo semini“, et non semini tantum, sed ipsi quoque Abrahae possessio terrae Canaan cessura fuit, et tamen non cessit viventi: igitur mortuum oportuit vivere, ut haeres esset terrae Canaan.

Habet igitur promissionem hanc, quod Deus cultus et adoratus in hac vita, mortuo ipso, sit mansurus in sua domo et posteritate, domus autem mansura in terra Canaan, se autem mortuum tum victurum, tanquam possessorem verum istius terrae.

Tam magnus thesaurus est verbum Dei, tamque mirabiles revelationes de rebus invisibilibus et impossibilibus affert, ut Abraham certo statuat, se mortuum victurum, et terram, quam in hac vita possessurus non erat, possessurum post mortem, atque ita in aeternum victurum cum Deo.

Quomodo igitur non gauderet, quomodo Deo non ageret gratias, postquam certus est, mansuram ecclesiam, et fidem consignatam circumcisione, in domo sua et apud posteros suos, invitis Satana et mundo, et mansurum se quoque in aeterna vita cum Deo? Laetus igitur exspectavit horam sui transitus, et quid potuit aliud per totam vitam, quam Deo agere gratias, et praedicare misericordiam ejus, qui sic amice cum eo loquitur, qui sic familiariter eum consolatur?

Si ego ad hunc modum possem cogitare, et certo statuere (quod tamen ut possim, quotidie Deum rogo, et scio, quod exaudiet me), quod, cum moriar, non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini, item, quod in istis discipulis, quos moriens relinquo, mansurum sit verbum et verus Dei cultus,

ipsique sint futuri causa salutis toti orbi terrarum, quo animo putas me accepturum mortem? Num putas trepidaturum, et non potius cum Simeone dicturum: „Nunc dimittis me, Domine, in pace"? (Luc. 2, 29.).

Ideo Abraham vere mirabilis vir est in sua fide, nec mirum, si in periculis praesenti animo et tolerantissimus malorum fuit. Scivit enim, ecclesiam mansuram in certo loco, in certis personis, et ad certum tempus; scilicet usque ad Christum, qui non erat de generationibus hujus mundi; se autem scivit post mortem victurum aeternam vitam, et tamen nondum habebat filium, in quo benedictio ista deberet incipere, quae non solum Iudaeos complectebatur, sed omnes gentes volentes adorare, et credere in Deum Abrahae.

Haec dixi, ut intelligeretis, quid sit Deum esse: ac convenit sententia cum eo, quod Daniel de Antiocho, Paulus autem (2. Thess. 2, 4.) de Antichristo dixit, quod scilicet elevabitur super omne, quod Deus est, et omnem cultum. Antichristus, hoc est Papa et Turca, non extolluntur super Deum in substantia sua, qui est incognitus et „absconditus Deus", ut Esaias (45, 15.) appellat: sed super Deum in praedicamento relationis, qui est Deus praedicatus verbo, et manifestatus cultu.

Uterque enim verbum et cultum Dei non negligit solum, sed odit et persequitur. Itaque extulit se Papa supra Deum, et constituit se in locum Dei, ita ut adoretur loco Dei, oppresso verbo, et serviatur ei, oppresso cultu divino.

Inspice enim canones, et videbis, quod longe severius puniuntur transgressiones traditionum Pa-

pae, quam transgressiones legis divinae. Imo Christum, Deum solum adorandum et colendum, hunc conculcat pedibus, et blasphemat; vult autem coli sua dogmata, se vult timeri, vult confidi iis, quae ipse docet. Hoc vere est constituere se supra Deum dictum et cultum: ideo recte vocatur Antichristus.

Quam multos fuisse putas ante evangelii lucem etiam ex doctoribus, qui nossent numerare praecepta decalogi, aut precationes orationis dominicae? Premebantur enim cervices omnium traditionibus humanis, quibus cum satisfecissemus, putabamus, cultum perfecte absolutum.

Hoc vere fuit extolli supra Deum, et sedere in templo Dei, non in coelo Dei substantialis, ubi Deus non revelatus, sed absconditus habitat; sed in loco Dei praedicati, qui verbo docetur, et Dei culti, cui servitur.

Conjugium divinitus institutum non solum abstulit, sed omnino contaminavit, quasi esset genus vitae profanum et Deo displicens. Ex sacramento Eucharistiae non solum calicem sustulit, et contra fas ademit ecclesiae, sed testamentum Christi commutavit in sacrificium et quaestuosum opus, et, ut semel omnia dicam, Christum prorsus sepelivit, et tribuit justitiam suis traditionibus et cultibus praeter et contra verbum constitutis. Hoc vere est se elevare super omne, quod Deus dicitur.

Deum autem intelligo relative Deum adoratum, ad quem vertimus faciem, cui gratias agimus, quem invocamus tanquam auctorem omnium bonorum, corporalium et spiritualium, cui denique servimus in caritate, officiis erga proximum, dum paremus magistratui et parentibus, dum servimus liberis alimo-

nia conquirenda et fideli institutione etc. Haec enim omnia debent fieri propter Deum, qui se manifestavit in verbo suo.

Hoc Papa, Turca, Judaei non faciunt, sed super Deum se elevant contemnendo jussa ejus, et cum sibi maxime videntur sancti, Deum praesumunt colere et intelligere in sua substantia. Sed a tali Deo non potest sperari vita, quia talis Deus nobiscum non loquitur; Deus autem, qui se patefecit visibilibus notis, qui dedit verbum promissionis, et instituit sacramenta, ille est verus Deus et salvator, quem apprehendere et intelligere possumus.

Cavendum autem hoc est, ne quid vel addas, vel adimas iis, quibus se Deus manifestavit. Quodsi a Deo hoc, quem ponimus in praedicamento relationis, discesseris, et scrutatus fueris Deum in praedicamento substantiae vel quantitatis, opprimeris a majestate: si quaesiveris in praedicamento qualitatis, consumeris. „Est enim Deus ignis consumens" (Ebr. 12, 29.) et „habitans lucem inaccessibilem" (1. Tim. 6, 16.).

Maneto igitur apud Deum in praedicamento relationis, super quem extollitur Antichristus, hoc est, Papa Romanus, et Turca quoque: quanquam Turca verius bestia est, quia est extra ecclesiam, et manifeste persequitur Christum. Antichristus autem sedet in templo Dei: ideo proprie loquendo, et definitione dialectica est Antichristus, qui in ecclesia sedet, ubi visibiles Dei formae apparent, quas ipse conculcat, et fingit novas formas etc.

Videmus igitur, qualis et quantus vir fuerit Abraham tantis promissionibus ornatus, ex quibus statuit, certo se in aeternum victurum. Nam quod

dicit Dominus: „Ego ero Deus tuus, et seminis tui post te“, hic non solum ecclesiae certum locum in familia Abrahae designat, sed promittit simul immortalitatem, et addit signum in corpore Abrahae, circumcisionem.

Magna haec essent, si a principe aliquo mundi promitterentur, quod vellet nobis esse clementissimus Caesar vel rex, et adderet testimoniales literas promissioni; et tamen fieri posset, ut homo mutaretur, sicut proverbio Germanico principum benevolentia comparatur tempestati Aprilis, quae et non expurgatur, et inconstantissima est. Et multorum exempla ad omnem posteritatem memorabilia sunt, qui a regibus et principibus unice adamati in crucem tandem acti sunt, aut aliis suppliciis adfecti. Ita etiam in fallacibus et mutabilibus hominibus admodum grata est etiam benevolentia simulata et fallax.

Sed Abraham habuit Deum promissorem, quem sciebat mutari et fallere non posse. Is promittit: Mi Abraham, modo serva pactum meum, et ambula coram me in integritatibus et perfectus, et certo scito, me velle tuum esse Deum, et seminis tui post te, imo propter te etiam omnium gentium, qui ad tuum exemplum in me credent. Haec scilicet sunt verba non tantum hujus vitae, sed immortalis. Ac cogitamus nos, si eadem ad nos diceret Deus, nos facile superaturos spe, quicquid malorum in hac vita potest objici, et tamen hanc ipsam promissionem habemus longe opulentius, quam ipse Abraham.

Abraham cum suis brevem tantum angulum occupavit, in quo sonaret Dei vox, et signa visibilia Dei conspicerentur. Hodie totus orbis terrarum his

Dei signis repletus est, sicut Seraphim apud Esaiam (6, 3.) canunt: „Plena omnis terra gloria ejus“.

Abraham habuit circumcisionem, signum promissionis hujus; nos Baptismum habemus, longe augustiore forma institutum. Baptizamur enim in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. Hoc signo gratiae non contentus Filius Dei testamento reliquit ecclesiae suum corpus et sanguinem suum, ac corpore in hac vita ad aeternam vitam pasci, sanguine autem potari nos voluit, ne ulla relinqueretur dubitatio, salutem passione et morte Filii Dei partam ad nos pertinere, et non tantum (sicut doctrina Pontificis corrupti in Papatu cogitabamus) ad Petrum, Paulum, Marcum et alios virtutibus excellentes Dei servos.

Reliquit enim Pontificis doctrina nos incertos de salute, imo religiosum fuit, dubitare, sisne in gratia, vel non. Hanc dubitationem Christus non solum verbo suo, sed etiam his visibilibus signis gratiae nobis voluit eximere. Ideo signis his tam claras addidit promissiones, quae singulis applicantur, cum signis hisce utuntur.

Sicut igitur Abraham circumcisionem habuit, et additum circumcisioni hoc magnificum verbum: „Ego ero Deus tuus, et seminis tui post te“, ita nos habemus notas visibiles plures: primum ipsum Baptismum, ornatum gravissima et suavissima promissione, si credamus, salvos nos fore. Quia autem in hac imbecillitate nostra facillime labimur, additae sunt Baptismo claves seu ministerium verbi (non enim separanda haec sunt), quod ipsum quoque nota visibilis gratiae est, alligata voci evangelii secundum Christi institutionem: „Quaecunque solveritis super

terram, soluta erunt et in coelis." (Matth. 18, 18.) Hoc verbum fide cum apprehendis, iterum restitueris in gratiam, et per peccatum amissa vita redditur.

Idem fit in usu sacrae Eucharistiae. Nam verba haec: „Corpus meum pro vobis traditum, sanguis meus effusus in remissionem peccatorum vestrorum" (Matth. 26, 26. 27.) neutiquam inania sunt, sed confirmant praeclare spem remissionis peccatorum.

Ad hunc modum, vides, multo nos opulentius habere promissionem aeternae gratiae, quam ipsum Abrahamum. Debebamus igitur nos quoque hoc dono superbire contra Satanam et mundum, et hac consolatione in omnibus adversis nos erigere, sicut sanctus Patriarcha fecit. Sed impedimur misera et peccatrice carne, et incidimus in novissima tempora omni genere malorum depravata: itaque aut non videmus, aut non admiramur has divitias aeternas.

Divus Stephanus, divus Laurentius, Sebastianus, Fabianus et similes hac una ratione vicerunt mortem et cruciatus omnes. Hi quia retinuerunt fidem Abrahae, et his signis visibilibus gratiae se consolati sunt, cruces omnes, sicut Vincentii dictum quoddam celebratur, eis ludus et jocus, ac quasi puerilia exercitia fuerunt.

Adeo magna res est fides, cum se Deus per promissionem patefacit, et animi eam amplectuntur serio. Haec ipsa: „Ero Deus tuus", assidue sonat in ecclesia. Itaque Apostoli et Prophetae eam diligenter sunt meditati, ac concionibus suis egregie illustrarunt: docuerunt, vitam hanc conferendam ad obsequia proximi, ut quam plurimi pertrahantur ad cognitionem Dei, ac, si quid durum objicitur, retinendam spem liberationis, ac invocandum nomen

Domini. Quia enim is se Deum credentium in se fore promisit, consecuturam miserias hujus vitae corporalis aeternam laetitiam et vitam.

Et dixit Deus ad Abraham: Et tu pactum meum custodies, et tu et semen tuum post te in generationibus suis.

Prolixe satis tractamus hunc locum, sed valde necessarium, non tantum propter Iudaeos, quos facile contemnere possumus, sed etiam propter conscientias. Ideo Paulus quoque de ipsa circumcisione, et deinde de tota lege tam accurate disputat.

Ac sane sapientia sapientiarum est, posse recte distinguere inter legem et evangelium, ac bonum in hac parte dialecticum esse. Distinctae quidem sua natura res sunt, sed in certamine conscientiae non ita facile est videre, quatenus lex liget, quatenus non liget.

Iudaeus dicit, esse divinitus mandatam circumcisionem, ac fatemur nos, Abrahae tanquam vexillifero hoc signum seu pactum commendatum, ut per circumcisionem omnes gentes haberent certum locum et certam personam, in qua Deus visibiliter appareret, et cum qua se conjungentes verum Deum invenirent, nusquam alibi in toto orbe terrarum inveniendum. Hoc ingens beneficium Dei fuit: sed consideranda etiam reliqua sunt. Vides, personas diserte notari: „Tu pactum meum custodies, tu et semen tuum post te“. Item: „in generationibus suis“. Haec toties inculcata et ingeminata indicant circumcisionem circumscriptam, et quasi limitibus certis conclusam, nec pertinere ad gentes, quas semen Abrahae non esse constat.

Item quod de semine dicitur, custodiendum pactum hoc in ipsius generationibus, certo probat, non imponi hoc onus ceu aeternum. Exemplum enim ante oculos est, quod generationes nunc annis amplius mille et quingentis desierint. Sunt enim sine templo, sine sacerdotio, sine regno. Hoc profecto est desinere generationes. Quae igitur stultitia est, urgere adhuc circumcisionem?

Sic igitur praecepta est circumcisio, ut habeat suum certum tempus, quomodo debeat durare, nec est urgenda, ut lex immutabilis et aeterna. Tempus affert secum dispensationem. Quia enim generationes desierunt, desinit circumcisio necessaria esse. Quin dum ipsa lex ferretur, dispensatio legis necessaria fuit; mandantur enim masculi circumcidendi octavo die, et tamen Ismaël anno aetatis suae decimo quinto, Abraham autem anno nonagesimo nono circumciditur.

Haec in legibus videre, ubi stricte servandae, ubi dispensatio adhibenda sit, magna sapientia est. Recte igitur dicitur, principum literas ter legendas, ac multo magis divinas literas. Aliae principum, aliae privatorum cogitationes et opiniones sunt: principum omnia grandia, privatorum autem exigua et tenuia sunt. Itaque bene expendendum est, si quid principes vel scribunt, vel loquuntur. Quanto autem hoc facimus dignius in iis, quae sapientia divina mandat et jubet?

Solvitur igitur hic ipsa Dei voce argumentum Iudaeorum, qui circumcisionem perpetuam esse contendunt, et volunt, eam quoque gentibus imponendam. Diserte enim dicit: „Tu et tui posteri custodient pactum tuum“: igitur pactum hoc nihil ad

gentes. Deinde dicit: „in suis generationibus", hoc est, dum durabit regnum et sacerdotium.

Si vel generale hoc mandatum esset, vel aeternum, profecto non adderentur limitationes hae, non sic diserte mandaret de servis emtitiis in domo Abrahae, complecteretur in genere omnes gentium masculos et servos. Certum igitur est, quod gentes, qui sunt extra domum Abrahae, non sunt circumcidendae. Circumcisio enim est particularis ad domum Abrahae, et temporalis ad certam et ad definitam durationem generationum Abrahae. Hoc sanus Iudaeus, si modo quisquam sanus est, nunquam negabit.

Atque haec ipsa res, quod sic particularis circumcisio fuit, sine dubio Abrahamum bene exercuit et afflixit. Eligitur ipsius domus in ecclesiam, in quam Deus quasi immigrat per visibilem formam circumcisionis, ut in ea habitet. Sine dubio autem Abraham ex hac Dei ordinatione sensit tentationem, ut sollicitus esset de reliquis gentibus extra suam domum.

Sic enim cogitavit: Si domus mea sola erit ecclesia, in qua Deus habitabit, num igitur gentes reliquae omnes damnabuntur? Num Deus eas deseret? Nam ea nostra natura est, ut non possimus de aliis non esse solliciti.

Sic Petrus, cum de se audisset Domini sententiam, interrogat statim, quid de Ioanne futurum sit? Ac magna haec quaestio est, an hi tantum salvi fiant, qui habent circumsionem et legem, an etiam alii, qui legem non habent? Videtur autem ista diserta personae denotatio: „Tu et semen tuum" simpliciter excludere omnes gentes a divina misericordia et salute, eamque concludere tantum in domum Abra-

hae. Haec vel disputatio, vel tentatio Abrahae hic brevibus verbis ostenditur. Sicut infra (1. Mos. 20, 11.), cum dicit: „Forte nullus hic est, qui Deum timeat“.

Quia enim dicit Deus: Tu servabis pactum meum, et tua posteritas; quid igitur de reliquis gentibus fiet? cogitavit. Neque haec fuit levis tentatio, intentum esse suae vocationi, et de aliis non esse curiosum. Papa cum suis huic tentationi succubuit. Habuit propositam salutis viam, fidem in Christum; eam deseruit, et delegit sibi alia vias, sacrificium Missae, vota et similia.

Sic singulorum certe vocationes sunt, quibus dum serviunt, Deo serviunt. Rex diligenter suos curans et regens, materfamilias fovens infantem, paterfamilias labore victum parans, discipulus sedulo discens Deo serviunt.

Hanc certam pietatis viam deseruerunt Monachi et Nonnae, seu Monachae: judicabant enim, nimis exilia esse opera, et quaerebant alia in speciem graviora; ita simul et a fide discesserunt, et Deo sunt facti inobedientes.

Magna igitur sapientia est, cum homo facit, quod Deus praecipit, et non habita ratione aliorum, quid faciant, ipse vocationi serio servit. Sed profecto pauci hoc faciunt. Major pars illud agunt, quod Poëta (Hor. Epist. I, 14, 43.) reprehendit: Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Paucissimi sunt, qui sua sorte vivunt contenti. Qui laicus est, optat clerici vitam, discipulus vult esse magister, civis vult esse consul, et fastidimus singuli nostram vocationem: cum tamen alia via serviendi Deo nulla sit, quam incedere in simplici

fide, et postea urgere diligenter vocationem, ac retinere bonam conscientiam.

Sic Abraham videt, se et suos posteros gravari circumcisionis lege, eam accipit in humilitate et cum gratiarum actione. Curam autem de gentium salute permittit Deo, nec curiose de eis inquirit.

Sic etiam potuit tentari de altero sexu: Quid feminellae? Nonne has quoque Deus aliquo signo, sicut masculos nostros, notabit? Sed remittit hanc quoque curam, et intentus in id est, ut faciat, quod sibi praeceptum norat: interim hanc spem animo fovens et retinens, quod, ut Petrus, Act. 10. (v. 34.) dicit, Deus non sit προσωπολήπτης, qui inter homines discernat, sed quod omnis in omni gente, qui ipsum metuit et justitiam facit, sit ei acceptus. Sic tentationem sanctus vir vincit.

Illi autem, qui laborant in vinea, et aequale praemium vident una hora laborantibus distribui, vincere hanc tentationem non possunt, et ideo incurrunt in indignationem patrisfamilias; volunt enim propter certi temporis operas reliquis anteponi.

Potuit igitur cogitare Abraham, sicut tentationes variae objiciuntur piis: Ecce, ego deligor cum meis, ut circumcidar, et promittit Deus, se mihi Deum fore. Quid igitur de gentibus fiet? Num eas damnabit aut abjiciet Deus? sicut Iudaei in evangelio dicunt: Nos aestum solis et operas diei sustinuimus: igitur soli sumus sancti. Sed Spiritus Dei eum gubernat, ne in hac tentatione peccet, et alias cogitationes ei suggerit, ut cogitet: Quid ad me, quid Deus cum gentibus facturus sit? Si circumcisionem eis negat, non ideo negat salutem. Mihi imponit,

quod ipsi libet: igitur id feram et faciam, ac de aliis non ero curiosus.

Plane in hac tentatione Petrus est, cum de Ioanne (Ioh. 21, 21. 22.) quaerit: „Hic autem quid"? Sed respondet ei Dominus: „Quid ad te, si volo, eum manere, dum venio"?

Sic Dominus voluit, me esse concionatorem, hoc est, voluit, ut sustinerem propter verbum invidiam et odium mundi. Aliis imponit laborem manuum; eos cum intueor, videntur mihi beati. Labor enim eis jucundus est, vivunt sine cura, sine vexatione graviore, et ingrata esset eis otiosa vita. Labore autem confirmantur corpora, et servatur valetudo. Ego autem, dum alius, quasi puer septem annorum, ludens facit suas operas, graviter exerceor periculis et tentationibus, et tamen mechanicus ille, aeque atque ego salvatur.

Quid igitur? Impatiensne fiam, aut detrectabo vocationem? Non. Sic cogitabo potius, quod Deus habet multifarias vel gratias vel formas agendi, easque pro sua voluntate distribuit. Nostrum autem est, ut vocanti Deo pareamus. Roman. 12. (v. 6.) Petri 4. (v. 10.).

Manus videntur in duriore esse conditione, quam oculi, quia laborare coguntur. Pedes autem totum corpus sustinent et gestant, ac, si onus spectes, miserrimum totius corporis membrum sunt. Melior linguae conditio, quae sentit sua commoda, et laute pascitur. Sed dona sunt varia, onera autem, prout cuique imposita sunt, ferenda sunt, Deo suppetente ferendi facultatem, et cogitandum illud Pauli (2. Cor. 12, 9.): „Sufficit tibi gratia mea". Utcunque soli pedes sustineant molem corporis, tamen ex corpore habent

facultatem et sanitatem, et gaudent omnibus beneficiis corporis, nec possunt oculi, utcunque pretiosum membrum sint, hoc, ut in speciem apparet, exiguum et leve ministerium subire: aliter enim et ad alium usum sunt conditi.

Regula igitur haec servanda est, ut unusquisque maneat in sua vocatione, et suo dono contentus vivat, de aliis autem non sit curiosus.

Monachorum illa fatuitas est, ut omnibus pedibus unius formae calceum aptent, et ad unam regulam omnes gubernent. Sic cum ego ingrederer monasterium, dicebant ad me: Sicut mihi factum est, ita fiat tibi quoque. Quanto autem rectius Augustinus dicit: Non aequaliter omnibus, quia non aequaliter habetis omnes?

Proportio arithmetica est, quoniam oculi et pedes unius corporis membra sunt, ut eadem et paria onera sentiant. Sed haec ἀναρχίαν efficit, et evertit imperia. Igitur geometrica proportione utendum est in hisce politicis et oeconomicis negotiis. Arithmetica autem proportio in regno Dei locum habet. Ibi recte aequaliter distribuuntur omnia inaequalibus, quia, ut supra ex actis citavimus, Deus non est προσωπολήπτης. Omnes nos invenit peccatores, etsi aliis alii cautiores, moderatiores, et, ut sic dicam, cicuri magis sunt.

Haec dona quia ratio magni facit, putat, Deum iniquum esse, aequaliter distribuentem gratiam suam. Itaque illi in evangelio, qui plus laborant, jactant onus diei et aestus, et aegre ferunt, idem praemium distribui in eos, qui una tantum hora laborarant. Sed non sic facit pius Patriarcha. Sine omni fastu et superbia est, et consilium Dei admiratur ac laudat.

Non

Non dicit: Cur mihi imponitur circumcisio, et non imponitur gentibus? imo, cur non imponitur fratris filio Lotho, et ejus familiae habitanti in vicinia? Gaudet, eos esse socios fidei, et onus sibi singulariter impositum cum summa voluntate gestat, tanquam singulare benevolentiae divinae signum, quo etsi gentes careant, tamen scit, eos esse in gratia, si credant: sicut id infra patebit. Nam Gomorra, et Sodomitae circumcisionem non habebant, et tamen sperat Abraham, inter eos esse quinquaginta justos. Si autem circumcisio eo tempore, quo maxime floruit, per Patriarcham Abraham non gentibus, non Lotho agnato imposita est: imo, si ipse Abraham in praeputio adhuc exsistens justificatus est, quid miseri Iudaei contendunt de onerandis gentibus?

Conclusio igitur haec est, ut unusquisque videat suam vocationem, et eam sequatur. Fieri potest, quod Antonius et alii Eremitae fuerint sancti homines; sed graviter peccas, si tu deserta tua vocatione etiam te abdis illorum exemplo in latebras. Aliud enim est, quod Dominus te jussit facere, ut scilicet pareas parentibus, magistratui, praeceptoribus tuis.

Sic vocatio fuit Iudaeorum ante natum Christum, ut circumciderentur; hanc oportuit eos sequi, non oportuit eam imponere aliis. Nunc generalis vocatio est, non circumcidi, sed credere in Christum, et baptizari in nomine ejus. Hoc qui facit, postea, si mater, si pater, si princeps est, studiose faciat partes suas, et sic salvabitur. Nunc sequitur ipsa lex circumcisionis.

Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et inter vos, atque inter semen tuum post te: Circumcidetur in vobis omnis masculus, et circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit in signum foederis inter me et inter vos.

Totus hic locus habet quinque partes. Primum jubet, circumcidi masculos; ergo femellae a lege hac excluduntur: excluduntur gentes quoque, quae non sunt semen Abrahae, aut in domo Abrahae.

Verbum מול ambiguum est, Psalm. 118. Significat: gladio succidere, sicut solent succidi arbores. Ut diserte igitur res ostendatur, addit incidendam seu praecidendam carnem praeputii, ita ut reliqua membra corporis totius maneant illaesa. Ea secunda pars hujus loci est, quod Deus hanc corporis partem solam deligit. Tertio, exclusis sic mulieribus, gentibus et omnibus corporis partibus, destinatur circumcisioni octava dies a nativitate. Quarto semini Abrahae adduntur emticii servi, et nati in domo Abrahae; hos etiam jubet circumcidi. Quinto additur legi promissio et comminatio. Promissio: Ego ero Deus tuus. Comminatio: Anima ejus eradicabitur e populo, qui habuerit praeputium. Sunt enim relativa haec civiliter et theologice. „Si vis vitam ingredi, dicit Christus (Matth. 19, 17.), serva mandata". Hic inclusa comminatio est, quod, qui mandata non servat, ingredietur infernum. In politia dicitur: Si vis habere pacem, honora gladium. Haec promissio habet inclusam comminationem, quod, qui gladium honore non afficiunt, gladio peribunt.

Hinc dixerunt veteres doctores: concionatori in

omnibus concionibus respiciendum ad haec quatuor, ut constituat vitia et virtutes, poenas et praemia. Ac non male haec monuerunt, si modo tenuissent Christum. Lex enim versatur circa haec quatuor, circa vitia contra legem, circa virtutes secundum legem, circa poenas secundum legem, et praemia secundum legem. Sed haec doctrina non facit Christianos. Est legis doctrina, quae non ad perfectum ducit; conjungendum autem cum hac legis doctrina est evangelion gratiae; ibi demum absolvitur Christianus.

Quod igitur masculos solos lex praecipit circumcidendos, afferunt Iudaei hanc rationem, quod nulla alia humani corporis pars sit superflua, qua carere corpus possit. Sed dixi, hoc argumentum extremae caecitatis in Iudaeis esse. Historica autem et vera ratio haec est, quod Deus voluit masculum damnare, non feminam, ideo scilicet, quia masculus peccavit. Si enim Eva sola fuisset, et Adam non consensisset, aut objurgasset uxorem, declinasset poenam. Quia autem in peccatum uxoris consentit, ideo causa mali est, et recte per circumcisionem ducitur ad poenam, dimissa femina, quae tamen ipsa quoque suam portionem poenarum sustinet.

Ita significat Deus per circumcisionem masculis impositam, quod peccatum originale ex primo parente in universum genus humanum manaverit, sicut Paulus quoque Rom. 5. ubique Adamum peccati auctorem nominat, Evam tacet.

Quaestionem de mulieribus, quae sunt altera generis humani pars, item de infantibus ante octavum diem exstinctis, dixi supra, et agitat eam etiam Magister sententiarum, quomodo sine circumcisione

sint salvatae feminae. Sed simplex responsio est. Lex ipsa excludit mulieres, et tantum praecipit de masculis; ergo mulieres cum non circumciduntur, non peccant contra hanc legem, sicut nec parvuli, qui octavum diem non attingunt. Nam lex ad circumcisionem tantum illos cogit, qui octavum diem attigerunt.

Igitur et mulieres et infantes ante octavum diem exstincti excluduntur quidem a circumcisione, sed a salute et fide Abrahae non excluduntur: ideo incircumcisae mulieres cohabitant cum circumcisis maritis, et ambo fide salvantur. Sic Ruth. (1, 16.) secuta socrum Nahemi dicit: „Populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus". Haec etsi de populo sancto non esset (erat enim Moabitis), tamen, quia fide adhaesit Deo Israël, salva facta est.

Habent mulieres suam circumcisionem satis duram et gravem, de qua Moses: „Tu in dolore paries filios tuos". Ibi circumciduntur usque ad mortem. Ira est in „dolore", misericordia autem in verbo: „paries".

Etsi enim propter peccatum originale etiam femininus sexus damnatur, tamen non ideo tollitur aut perit penitus. Hoc onus non uni Evae impositum est, sed omnibus parentibus: itaque fideles matronae hac cogitatione se consolatae sunt in doloribus, quod, etsi dolores hi sint certum argumentum peccati et irae Dei, tamen haec benedictionis divinae certa nota est, quod per partum genus humanum et ipsa Dei ecclesia restauratur.

Si enim Deus tantum voluisset irasci et punire, non etiam ignoscere et misereri, dixisset: Maneas *sterilis*; aut: Ego creabo novam Evam, quae non sit

peccatrix, sed sancta. Sed misericors Deus hoc non facit, dat hanc misericordiae vocem: Paries filios; et tamen, ne impune sit peccasse, addit: „Paries in dolore et aerumnis". Confirmata igitur hac voce Eva spem salutis concepit certam, si quidem et semen sanctum erat promissum, et benedictio pariendi ac multiplicandi relicta, quam Deus non sustulit, etsi inflexit nonnihil, cum addidit dolores, qui in integra natura non erant futuri.

Inde factum est, quod sanctae mulieres partum pro magno signo gratiae omnibus seculis habuerunt. Rahel importuna et nimium molesta est marito, cum dicit: „Da mihi liberos, aut moriar" (1. Mos. 30, 1.). Ostendit enim, se dolore exstinctam iri, quia videt, signum irae esse sterilitatem. Et in Psalm. 127, (v. 3.) magnifica sobolis commendatio est: „Ecce haereditas Domini filii, merces (hoc est, Dei donum est) ventris fructus". Profecto augustum nomen, quod liberi sint Dei donum.

Ideo Anna, 1. Regg. 1. (1. Sam. 1, 10.) sic miserabiliter plorat, et Elizabeth, mater Ioannis vetula, gaudio exsultans gloriatur: „Tulit Dominus opprobrium meum" (Luc. 1, 25.). Sterilitas igitur irae signum, partus autem gratiae habitum est illis temporibus, cum adhuc mundus esset melior.

Sed paulatim abusibus libidinis etiam apud Iudaeos obscurari hoc reliquum benedictionis divinae coepit: sicut hodie multos invenias avaros, qui numerosam sobolem pro poena habent.

Sed sanctae matres semper pro magna gloria hoc donum habuerunt, quando fuerunt fecundae, sicut e contra pro signo irae habuerunt sterilitatem, et opprobrium judicaverunt. Itaque misera Sara hac

tentatione paene absumta est, quod videt se sterilem, ac sine dubio pius Abraham saepe consolationibus suis eam erigere coactus est. Per poenam igitur doloris damnatus est sexus, sed non ideo benedictio prorsus sublata.

Ad poenam damnata sunt membra muliebria, sed non damnata ad fructum. Idem in circumcisione cum masculis factum est. Postulantur ad eam masculi, et per praeputii circumcisionem ostenditur maledicta nativitas ac peccatis plena, et tamen additur consolatio: „Ego Dominus Deus tuus".

Sic ecclesiam cruce premit et occidit Deus secundum carnem, et tamen per fidem justificat et vivificat secundum spiritum. Ita poenae promissio, terroribus autem consolatio addita est, qua se in periculis et malis pii erigerent.

Gentes et poenae et benedictionis oblitae horribilia libidinum portenta secutae sunt. Sed sancti patres viderunt calamitates per peccatum inundantes in genus humanum. Itaque humiliarunt se, et carnis cupiditates constrinxerunt; deinde se consolati sunt illa Dei moderatione, quod reliquit post se benedictionem aliquam. Haec de eo, quod masculis tantum imposita est circumcisio.

Quod autem praeputii carnem Deus jubet circumcidi, ac lege membrum, ut vocamus, turpitudinis, quod pertinet ad generationem totius generis humani, apprehendit, ac non vel particulam auris, vel labii, vel capillum, vel barbam, quae honesta membra sunt, et conspectum hominum non fugiunt, de eo disputat Magister sententiarum, quod Deus voluerit significare majorem hujus membri abusum et inobedientiam, quam reliquorum; id quantum va-

leat, alii judicent. Fons mali omnis inde est, quod corda plena sunt impietate et incredulitate. Inde non solum in abusum corporis hoc membrum, sed omnia alia membra veniunt, et si quis collationem accuratam faciat, nonne gravius peccat lingua, nonne oculi, nonne aures cupiditates excitant?

Ergo haec verior ratio est: Hoc membrum est membrum propagationis universae carnis, et tantum generationis causa conditum est. Ideo id apprehendit Deus, ut significetur peccatum originale, et non actuale, quod ingenitum est nobis, et nobiscum accrescit.

Haec causa est, cur masculus damnetur in eo membro, unde dicitur masculus, et tamen non est vere haec damnatio; magis est comminatio et ostensio irae; videtur enim damnare Deus totum membrum, et tamen conservat ejus usum.

Haec est historica ratio, quae convenit cum aliis Dei operibus. Sicut enim partum damnat et salvat, sicut mortificat et vivificat, sicut comminatur et promittit: ita masculinum membrum simul damnat per circumcisionem, et servat: est enim mirabilis in suis consiliis et factis.

Significatur autem hic mysterium incarnationis Filii Dei; propter unam enim virginem Mariam, ex qua nascendus erat Christus, parcit toti sexui femineo, et tantum masculi ad circumcisionem flagitantur. Futura enim erat femina, quae sine viro pareret. Propter hanc parcit Deus toti sexui, et lege hac in speciem stulta tantum onerat masculos.

Circumcisio igitur tale signum fuit, in quo Deus totam theologiam adumbravit, hoc est, peccatum et gratiam in utroque sexu; circumcisio enim

in membro tam turpi non solum admonet peccati, quod simus natura filii irae, et habeamus peccatum nobiscum natum; sed etiam in eo gratiae signum est, quod non membrum totum, sed particula membri praeciditur, et generatio salvatur necessaria ecclesiae et politiae.

In altero sexu, cui circumcisio non imponitur, est gratiae significatio. Ostenditur enim nasciturus ex muliere, qui circumcisionem tollat, et a peccato et morte salvet. Haec mysteria Iudaei non intelligunt; a nobis autem diligenter sunt inquirenda et notanda.

De tertia particula quaestio est: quare Deus voluerit, octavo die circumcidi masculos; ac tractarunt eam Magister sententiarum et scholastici doctores magno, ut ipsis videtur, studio. Ego autem praecidendam eam existimo. Quid enim hoc ad me, cur Deus ita voluerit, cum satis sit, quod constat, eum ita voluisse? Non voluntatis divinae ratio quaerenda est, sicut neque sapientiae ejus, nec omnipotentiae et bonitatis. Sunt enim inscrutabilia haec, et conditio nostra postulat, non ut quaeramus, quare? sed ut praecipienti pareamus.

Haec simplex et vera solutio est, qua nobis uti licet contra spiritus seditiosos, et praesumentes de sapientia sua. Et tamen sine periculo fidei licet imaginari, et quaerere aliquam rem similem, et vel ad docendum, vel ad consolandum utilem rationem.

Hoc autem ante omnia nobis certo statuendum est, masculos ante octavum diem exstinctos non esse damnatos ratione hujus legis. Nam in hanc legem nihil peccarunt, sicut nec feminae, quae non circumcisae tamen fuerunt pars populi Dei.

Magister sententiarum et alii doctores disputant, perire tales infantes; sed nos clarum textum hic habemus, cui tuto inniti possumus, quod Deus non damnat incircumcisos infantes, nec post octavum diem. Quodsi de originali peccato infantium disputes, ea alia quaestio est; hic de circumcisione quaerimus, de qua sententiam fert Dominus, quod infans, cujus caro praeputii octavo die non circumciditur, eradicanda sit anima ejus ex populo Dei.

Haec comminatio non est extendenda aut dilatanda ultra, quam dilatavit eam Deus. Sequitur autem bona consequentia per hanc legem, quae de infantibus post octavum diem non circumcisis loquitur, non damnari eos, qui octavum diem non attingunt. Et nota regula est, favores ampliandos, rigores autem restringendos. Id in hac causa facimus cum Dei gloria; est enim ejus natura ignoscere et misereri; non igitur statuimus, eum duriorem esse in sui populi infantes, quos mors praevenit, quominus pactum hoc possint consequi. „Vult enim, omnes homines salvos fieri" (1. Tim. 2, 4.).

Haec sententia opponenda est doctoribus istis, et promissiones largissime dilatandae, ira autem et rigor restringendus. Hoc praeceptum ex ipso usu vitae civilis depromtum quanto rectius hic valebit? „Si enim vos, inquit Christus, qui mali estis, bona potestis dare filiis vestris, quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus se"?

Non igitur disputemus de parvulis incircumcisis ante octavum diem, sed relinquamus eos bonitati divinae. Disputemus autem de rebus non incertis et incompertis, sed de iis, quae divina voce nobis mandata sunt: quid cum aliis agat Deus, ne simus sol-

liciti. Nos Christum audiamus, sicut vox Patris de coelo jubet. Secreta autem divinae majestatis, quae non revelavit nobis in verbo suo Deus, transeamus, et relinquamus intacta. Sic non praecipitabimur.

Recte igitur monet Sirach (3, 22.): „Altiora te ne quaesieris". Non est nobis commissum scrutari majestatem, nec etiam expedit. „Qui enim scrutatur majestatem, opprimitur ab ea" (Prov. 25, 27.).

Deus enim, ut saepe dixi, in praedicamento substantiae est incomprehensibilis, et habitat lucem, ad quam ne cogitationibus quidem accedere possumus, et velle scrutari judicia ejus vere est ad impossibilia tendere. Resistendum igitur est in verbo; ibi audiendum, quid promittat nobis, quid comminetur nobis. Haec cum fructu fiunt, sicut primus Psalmus et 119. docent. Cetera, quae verbo non sunt patefacta, simpliciter relinquenda sunt; sine periculo enim tentari non possunt.

Haec libenter et saepe inculco. Est enim doctrina maxime necessaria propter peccatum originale, Satanam et fanaticos spiritus. Quodsi Adam hanc esset secutus regulam, non esset lapsus in peccatum. Quia autem discedit a praecepto, quod ei Dominus proposuerat, et attendit Satanae disputanti de causis, cur hanc arborem prohibuerit Deus attingi, praecipitatur in peccatum et in mortem. Non enim quaerendae erant rationes praecepti divini; hoc enim est judicare divinam voluntatem, et pervestigare vias ejus, quae sunt impervestigabiles, et comprehendere judicia ejus, quae sunt incomprehensibilia.

Nec dubito, quin aliquid tale fuerit peccatum Luciferi, quod voluit plus scrutari et scire, quam pro sua conditione, de Deo incognito, hoc est, non reve-

lato et patefacto per verbum. Scire aliquid, quid sit, quid faciat, quid velit, ad me non pertinet; hoc autem ad me pertinet, ut sciam, quid praeceperit, quid promiserit, quid comminatus sit. Haec cum meditaris studiose, invenis Deum, imo ipse te colligit in suum gremium: ex quo si excidis, hoc est, si aliquid ultra illa, quae verbo revelata sunt, praesumis scire, ruis in abyssos inferni.

Recte igitur ille Eremita monuit: Si videris, inquit, juvenem Monachum adscendere ad coelum, et jam quasi ponere alterum pedem in coelum, retrahe eum statim; si enim ambos ibi posuerit pedes, non in coelo, sed in inferno se esse videbit. Haec vox aliud nihil monet, quam ut moderemur curiositatem, et maneamus intra certos limites praefixos a Deo. Non enim in nubibus, sed in terra voluit nos ingredi; voluit, verbum revelatum studiose disci, non voluit cogitari de iis, quae altiora sunt nobis. Voluit, verbum et mandatum suum nos sequi; non voluit, scrupulosius mandatorum suorum causas inquiri. Hoc dum Adam et Eva faciunt, pereunt; constituunt enim se in locum creatoris Dei, et obliviscuntur, se esse creaturas.

Sicut Satan dicit: „Eritis tum sicut Dii“. Non eritis amplius creaturae, cum solliciti eritis de mandatis Dei exsequendis; ipsi eritis Dii, judicabitis Deum, et facietis alia, quae solum Deum decent.

O miseram divinitatem, quam nobis per peccatum Satan circumdedit, hoc unicum agens, ut praecepta et promissiones Dei negligamus. Fieri igitur Deum est peccatum originale. Contra hunc morbum pugnandum nobis est per omnem vitam, et cum

Paulo (1. Cor. 2, 2.) dicendum: „Nihil scio, Iesum Christum, eumque crucifixum“.

Fortasse quidam ex vobis legent illas dis tiones Sententiariorum. Discite igitur, ne eis i gratis, et manete cum vestris ecclesiis in prom: nibus et praeceptis Dei, ne secundum Satanae natam promissionem Diis similes evadatis. S Deum cognoscere bonum et malum, vos autem nete ejus humiles creaturae.

Quod igitur ad quaestionem propositam a de infantibus ante octavum diem exstinctis, hoc quod per hanc de circumcisione legem non dan tur. Quid autem Deus cum eis faciat, respoı quod scio, me id nescire; si octavum diem att rent, et non circumciderentur, non pertinere populum Dei. Sed cum ante octavum diem e guuntur, pertinet id ad Dei judicium, quod eg noro, et supra me est, nisi quod scio, Deum misericordem. Hoc bonum voluit me Deus s ita enim in verbo suo docet, alia non voluit sci

Sic manemus in via, quam monstravit nobis Deus per praeceptum et promissiones. In ea im sibile est errare, cum e contra, qui hac via oı ad Deum contendunt, praecipitantur et opprimu Non enim bonum est, ut inquit Sirach (Prov. 27.), comedere multum mellis.

Prima igitur responsio ad hanc quaestione cur octavo die circumcidi Deus voluerit infaı quia sic placuit Deo. Deinde possunt rationes a nari verisimiles, et non periculosae: quod Deu tionem habuerit debilitatis infantis, ne morer qui jam laboribus partus attritus est. Commenc igitur in hoc φιλανθρωπεία Dei, et ingens mi

cordia, quae sic sollicita est pro infantulis, ut circumcisionem eis non imponat prius, quam convaluerint aliquantulum, et eam tolerare possint.

Discis igitur hic quoque, quod Psalmus (30, 6.) dicit: „Vita in voluntate ejus“. Item: „Non vult Deus mortem peccatoris“ (Ezech. 18, 23.).

Etsi igitur historica haec ratio sit, tamen valet ad commendationem misericordiae divinae, et ad alendam et augendam fidem in piis. Sicut e contra, quod in diluvio et in Sodomitarum eversione etiam infantes pereunt, valet id ad terrendos impios et praefractos.

Mystica ratio, quam Magister sententiarum et alii doctores afferunt, tolerabilis est. Ideo enim circumcisionem dicunt in octavum diem rejectam, quia in resurrectione, quae octavo die significatur, perfecte circumcidemur, ut simus ab omni peccato mundi.

Hanc cogitationem non solum non reprobamus, sed confirmamus, ut piam et eruditam. Octavus enim dies significat allegorice vitam futuram. Christus enim in sabbato, hoc est, septimo die integro quievit in sepulchro, resurrexit autem die sequente sabbatum, quae octava est et initium novae hebdomadae, nec numeratur ultra eam alia dies. Christus enim conclusit hebdomadas temporum sua morte, et octavo die ingressus est aliud genus vitae, in quo non numerantur amplius dies, sed est una et aeterna dies sine vicibus noctis.

Haec sapienter, erudite et pie cogitata sunt, quod octava dies sit aeterna dies. Christus enim resurgens non est amplius sub diebus, mensibus, hebdomadis, aut ullo dierum numero, sed in nova et

aeterna vita, cujus initium cernitur et numeratur, finis autem nullus est. In illa vita implebitur circumcisio vera. Non enim tum praeputium cordis tantum, quod hic per fidem fit, circumcidetur, sed universa caro, et omnis ejus substantia ab omni corruptione, ignorantia, cupiditate, peccato, foetore purgabitur, ut posthac sit immortalis caro.

Haec allegoria est prophetia, quod resurgente Christo futura sit circumcisio spiritualis et vera, ac perfecta extra tempus in aeterna vita. Septenarius enim numerus in scriptura sancta significat temporis revelationem: nam cum ad septimum diem ventum est, denuo repetitur numerus.

Ideo chronici fere diviserunt mundum in septem aetates, ceu in septem dies, quibus hebdomas hujus finitae vitae absolvitur. Prima numeratur ab Adam ad Noah, secunda a Noah ad Abraham, tertia ab Abraha ad Mosen, quarta a Mose ad Davidem, quinta a Davide ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi; septimam autem dixerunt dormientium, credo ad Christi exemplum, qui Sabbato quievit in sepulchro. Hae divisiones arbitrariae sunt; itaque non sunt accipiendae tanquam articuli fidei. Octava aetas continet resurrectionem in vitam aeternam.

Et filius octo dierum circumcidetur in vobis: omnis scilicet masculus in generationibus vestris; filius familias, et qui pecunia emtus est a quocunque extraneo filio, qui non est de semine tuo: circumcidendo circumcidetur filius domus tuae,

et qui acquisitus est pecunia tua, eritque foedus meum in carne vestra foedere perpetuo.

Haec fere pertinent ad quartam partem praecepti de circumcisione; distinximus enim totum hunc locum in quinque partes. Definit autem, quinam sint circumcidendi, ac facit tria distincta masculorum genera.

Masculus de stirpe, hoc est, natus ex carne Abrahae cum ipsa stirpe Abraha: masculus natus in domo ex servis propriis: masculus non natus in domo, sed in domum emtus. Haec distincta personarum notatio argumentum est, circumcisionem non pertinere ad omnes masculos. Quae igitur Iudaeorum insania est contendentium, quod etiam gentes sint circumcidendae?

Deinde probat hic locus diversas hujus vitae conditiones. Si fortunam spectes, melior est conditio patrisfamilias, quam servi, melior manumissi, seu donati libertate, quam qui adhuc mancipii loco est. Sed quia Deus sine differentia omnes jubet circumcidi, et per circumcisionem confirmat, se eis Deum fore, nonne, qui in mundo conditionibus differentes sunt, ejusdem gloriae et gratiae apud Deum sunt socii?

Non igitur efferamus nos super alios, quia conditione praestamus; agnoscamus, multiformes esse gratias hujus vitae, et vocationum genera diversa; Deum autem eundem esse omnium, sive sint servi, sive liberi, sive sint divites, sive sint pauperes, modo amplectantur verbum, et in fide perdurent.

Haec utilis doctrina est, qua confirmantur diversa genera vitae, et declaratur misericordia Dei, ex

aequo omnium miserentis et neminem rejicientis, sive ex Abraha sit natus, sive ex servo Abrahae, modo ad exemplum fidelis Abrahae credat.

Et praeputium habens masculus, in cujus carne praeputium non fuerit circumcisum, exterminabitur anima illa de populis suis, eo quod pactum meum dissolvit.

Haec comminatio additur, ne hoc signum gratiae in speciem non solum exiguum et vile, sed etiam stultum, contemneretur. Quantumvis enim contemtibilis in speciem ritus, tamen in multorum salutem positus est, non solum circumcisorum, sed etiam credentium ex gentibus.

Porro hic quaeri solet, an intelligendus locus sit de civili an spirituali morte. Ac quidam judicant*), Mosen loqui de eradicatione civili, quod parvulus non circumcisus debeat excludi ex politia, submoveri ab aris et sacrificiis, nec frui communibus tum legibus, tum privilegiis hujus populi; sed falsa haec interpretatio est, ac arguit, tales doctores non intelligere, quid Deus per circumcisionem voluerit.

Intelligenda igitur sunt verba de eradicatione ecclesiastica, quae tamen nihil ad gentes pertinet, id quod saepius nunc monuimus. Gentes enim etsi a circumcisione exclusae sunt, non tamen exclusae sunt a benedictione, si cum fideli Abraha credant.

Iudaeis autem ultra fidem etiam circumcisio corporalis fuit necessaria, aut, si circumcisionem neglexerunt, desierunt esse populus Dei, nec tantum exclusi

*) Edit. princ. quidem indicant. Nos secuti sumus edit. d. a. 1552.

clusi sunt a politia hujus populi, sed a benedictione, quam semen circumcisis promissum allaturum erat. Clausum est eis coelum, retenta eis sunt peccata, merces eorum fuit infernus et Gehenna. Hoc vere est excludi ex populo Dei.

Haec sententia non involvit, sicut etiam supra docuimus, infantes ante octavum diem exstinctos. Etsi enim habent peccatum originale, tamen misericors Deus inveniet medium, sicut cum aliis peccatoribus, quo liberentur. Quod autem ad hanc comminationem attinet, sunt ab ea liberi, quia in legem circumcisionis nihil peccarunt. Manet in eis reatus nativitatis, seu peccati originalis, et non reatus circumcisionis,

Idem sentiendum de parvulis, qui parentum vel negligentia, vel malitia non sunt circumcisi, ácsi qui hodie non baptizentur, sicut de Clemente VII. Pontifice constans rumor fuit, non baptizatum fuisse. Tales parvuli commendandi sunt bonitati Dei, quae de eis dispensabit. Quae enim parvulorum in hanc legem culpa est, qui aut moriuntur, aut ab impiis parentibus negliguntur? Relinquantur igitur bonitati Dei, non damnentur, sicut eos damnarunt scholastici. Haec de quinta parte hujus loci satis sint. Nunc videamus, quae de Sara addantur.

Et dixit Deus ad Abraham: Sarai, uxorem tuam, non vocabis Sarai; sed Sara erit nomen ejus. Et benedicam ei; dedi quoque ex ea tibi filium, benedicam eam, eritque in gentes, et reges populorum ex ea nascentur.

Praeceptum de circumcisione absolvimus, quam

Deus ita circumscripsit suis limitibus, ut excluderet non solum gentes, sed totum sexum femininum, item masculos ante octavum diem exstinctos. Frustra igitur clamant Iudaei, qui circumcisionem volunt esse universalem. Definita quoque pars corporis est, quae circumcidatur. Frustra igitur sacerdotes Baal corpus circumciderunt et lacerarunt.

Haec lex Christo veniente est abrogata; non enim data est circumcisio in perpetuam legem, sed in conservationem seminis Abrahae, dum nasceretur ex eo Christus. Hoc nato cessavit non solum circumcisio, sed tota lex cum suis caeremoniis et cultibus.

Quae jam sequuntur, promissionem de Christo explicant. Haec enim paulatim coepit clarior et illustrior fieri. Dubitavit primum Abraham de haerede, ac venit in suspicionem, si sine haerede decedat, Damascenum servum usurpaturum benedictionem. Sed postea divina voce certificatur, nascendum ei haeredem ex suo corpore. Hanc promissionem cum sic explicatam habet et certam, sequitur alia dubitatio de Sara crescente annis et sterili; itaque ejus consilio acquiescens conjungit se cum Hagar ancilla, et ex ea suscipit Ismaëlem, quem omnino existimat benedictionis haeredem fieri. Sed nunc tandem etiam eo errore liberantur sancti conjuges; promittitur enim Abrahae soboles ex ipsa annosa et sterili Sara.

Progressu temporis promissio derivatur in Iacob, non in Esau, et cum Iacobo essent haeredes duodecim, soli Iuda promissio cedit. Tandem definitur haeres promissionis David, de cujus domo fuit beata virgo Maria, mater Christi, qui fuit finis legis et circumcisionis.

Nihil igitur agunt Iudaei pugnantes et pro ae-

ternitate circumcisionis, quasi perpetuo debeat durare, et pro ejus infinitate, ut sic dicam, quasi in omnes gentes sit spargenda. Opus ea fuit ad certum tempus tanquam aliquo visibili signo, ad quod respicerent filii Dei, ad quod recurrerent, audituri et adoraturi Deum, sicut antea signi loco, ad quod gentes colligerentur, fuerant sacrificia patrum.

Hae notae, quibus Deus se manifestavit orbi, pluris faciendae sunt, quam ulla miracula. Ibi enim Deum etiam gentes audiverunt loquentem per sua organa, et salvatae sunt credentes verbo. Igitur magna misericordiae Dei haec commendatio est, quod non est passus, genus humanum ire, et errare in suis cogitationibus: sed posuit metuentibus se publica signa, ad quae colligerentur.

In hunc finem circumcisus est Abraham et tota ejus posteritas, ut allicerentur gentes, et consequerentur ipsae quoque salutem. Merito igitur Deo tam misericordi agimus gratias, qui omnibus seculis sic se patefecit, et ecclesiam sibi collegit.

Valent autem haec quoque contra horribiles tenebras traditionum humanarum. Ratio enim quaerit Deum, et vagatur per infinitos errores suorum studiorum, ut eum inveniat. Hinc nati sunt tot Monachorum ordines, quorum singuli se Deo proximos esse statuerunt: hinc tam multiplex cultuum et operum forma. Sed frustra haec omnia suscipiuntur. Non vult enim nos Deus errare in nostris cogitationibus, sed ostendit se non solum in invisibili cogitatione cordis, sed etiam signis visibilibus et palpabilibus: sicut in novo testamento sunt Baptismus, Claves, Eucharistia: his qui utitur fide, non frustra

credit, non aberrat a Deo, sed Deum certo audit et invenit.

Haec igitur signa discenda, sequenda et summo studio retinenda sunt. „In quocunque loco ego memoriam mei faciam, ibi veniam“, dicit Dominus (2. Mos. 20, 24.). Igitur alia loca, alii cultus, adinventiones et studia alia frustra quaeruntur; Deus ibi non invenitur. Ubi autem ipse memoriam sui nominis facit, hoc est, ubi sonat verbum Dei, ibi venit, non maledicens, sed benedicens.

Hoc diligenter inculcandum est contra horribiles furias Satanae, qui non cessat seducere orbem, ornatus divina et angelica specie, ut obscuret, aut penitus ex oculis removeat illa dulcissima signa gratiae, quibus se Deus patefecit generi humano. Deberemus igitur ex animo Deo gratias agere, quod audire verbum ejus, et signa ejus videre atque iis uti possumus. Sed, proh dolor! vilescunt assiduitate, fastidiuntur, sicut quotidianus cibus. Pluris fiunt cucullus niger aut candidus, et similia ab hominibus sine verbo instituta, quam haec infallibilia gratiae aeternae signa. Dignus igitur est mundus, qui subinde altius immergatur in errores et pericula ob hanc extremam ingratitudinem. Sed de Sara videamus.

Sicut Dominus nomen Abrae mutat ratione promissionis de benedictione, ita etiam Sarae nomen mutat. Est autem factum a verbo שָׂרָה, quod dominari, luctari, vincere, triumphare significat. Hinc nomen Israël, quod Iacob luctatus sit cum Deo. Gen. 31. Et Sara significat luctatricem, pugilem, dominam, principissam. Vocalis i in fine addita possessivum pronomen est. Itaque Saraï est latine: domina mea. Sicut Itali dicunt Madonna, miseri,

hera mea. Radix igitur verbi huius pugnare significat, et usurpatur per metalepsin pro dominari, vincere, gubernare. Hinc Sarae nomen est, sicut apud Germanos vocabulum Frau, quod non tantum significat sexum, sed matremfamilias.

Quemadmodum autem Dominus novo nomine Abrahamum patrem vocat, ut solus paternitatis nomen propter benedictionem possideat, ita Sara vocatur domina et gubernatrix domus, ut sola sit mater infinitarum familiarum in ecclesia.

Pertinet igitur appellatio haec ad commendationem unitatis ecclesiae; non enim vult Deus multitudinem ecclesiarum. Ideo omnes gentes sic conjungit, ut unus eorum*) pater sit, Abraham, et una earum mater, Sara. Atque ita individuum fiat genus generalissimum et tamen maneat unitas perfecta, ut, sicut unus Deus est, ita etiam una sit ecclesia congreganda ex multis regibus et populis, quorum pater sit Abraham, mater Sara.

Sic eo tempore nulla fuit ecclesia extra Abrahae domum, et tamen in domo Abrahae non solus fuit Isaac, sed et Ismaël, imo etiam ex gentibus emti servi, imo etiam femellae, virgines, uxores, quae omnes ad illam ecclesiam pertinebant, et ejusdem Dei erant populus.

Sic in novo testamento dicit Christus (Matth. 23, 8.): „Nolite vocari Rabbi; unus enim magister vester in coelis". Et Iacobus (3, 1.): „Nolite effici plures magistri". Non enim vult Deus, ut plures sint magistri; ut in pluribus domibus aut familiis sit ecclesia, non quod personae non possint esse multae (habuit enim Christus duodecim Apostolos, et magna Prophetarum turba fuit in sancto po-

*) Lege earum.

pulo), sed ne unusquisque praesumat ecclesiam facere. Contra Haereticos igitur sententiae hae sunt pronuntiatae, quasi dicat: Nolite mihi discerpere ecclesiam meam, et sectas facere, ut 1. Corinth. 1. (v. 10.): volo, ut, sicut unus Deus, unus Christus, unum Baptisma est, ita etiam sit unus tantum pater Abraham, et una mater Sara.

Porro promissio, quae hic Sarae facta est, inaestimabilis prorsus est. Nobis quidem, qui securo animo legimus hasce veteris testamenti historias, prima fronte non apparet, quid maxime eximium sit. Sed D. Paulus diligenter inspexit eas; igitur rhetorice amplificat hunc locum (Rom. 4, 19. seqq.): „Abraham non est infirmatus fide, et neque corpus suum jam mortuum respexit, centum paene annorum existens, neque mortuam Sarae matricem. Respexit autem in promissionem Dei, nec dubitavit per incredulitatem: sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, et certus, quod, qui promisit, potens est et facere: ideo reputatum est ei ad justitiam. Non autem scripta haec sunt propter ipsum solum, quod reputatum est ei, sed et propter nos, quibus etiam reputabitur credentibus in eum, qui excitavit Dominum nostrum, Iesum Christum, ex mortuis" etc.

Considerat Paulus circumstantiam, quod promissio adhuc in verbo tantum est, res autem nondum adest. Non igitur leviter commoti sunt pii conjuges. Quid enim sperari potuit ex matrice mortua, et ad partum etiam per aetatem inutili? Cadaveri enim similis Sara fuit, ex quo sperari fructus non potest.

Ideo similitudinem resurrectionis mortuorum historia haec proponit, si quidem ex mortua matrice non solum proles, sed masculus nascitur, qui pater

multarum gentium constituitur, multorum regum et populorum.

Est igitur historia maxime insignis, in qua praecipue spectandum est verbum Dei, quod Deus tam copiose et familiariter cum Abraha loquitur, ut lector quasi cogatur oblivisci majestatis divinae, et cogitare de conviva, aut familiari amico.

Observandum autem praecipue hoc est, quod hae promissiones includunt ipsum Christum, imo aeternam vitam, etsi non de Christo, sed de Isaaco videantur loqui. Ideo Paulus in Romanis addit (4, 23. 24.): „Scripta haec non propter Abrahamum, sed propter nos credituros Abrahae exemplo". Nam promissio temporalis est, ceu nux, quae tegit nucleum Christum et aeternam vitam. Itaque veniente Christo testa seu cortex, in quam nucleus inclusus est, frangitur, hoc est, cessat promissio temporalis, et succedit spiritualis.

Abraham promissiones has non vidit impleri; vidit Isaacum filium, et suos ex eo nepotulos Esau et Iacob. Sara autem, antequam hi nascerentur, ex hac vita evocata est. Haec, inquies, quid sunt ad tam magnificas promissiones? Profuerunt hae non Abrahae et Sarae, sed posteris.

Sic cogitamus vere, ac Iudaeorum praecipue hoc scandalum est, qui tantum vident testam, ipsum nucleum Christum, et aeternam vitam inclusam in hanc quasi testam seu corticem corporalis promissionis de terra Canaan et posteritate Abrahae non vident.

Sed scriptura sancta non obscure significat, promissionibus corporalibus includi aeternas et spirituales. Non enim sumus conditi, sicut boves et asini, sed sumus conditi ad aeternitatem. Igitur cum Deus

promissor nobiscum loquitur, non tantum temporalium causa nobiscum loquitur, non solam ventris curam suscipit: animam vult conservare ab interitu, et aeternam vitam donare.

Sunt igitur externae promissiones ceu putamen; substantia autem nucis et veritas est Christus et aeterna vita, quia Deus promissor loquitur non cum asinis et bobus, sicut Paulus dicit: „Num Deo cura de bobus"? 1. Cor. 9. (v. 9.), sed cum creatura intelligente, condita ad similitudinem Dei, ut cum Deo in aeterna viva vivat. Temporales autem promissiones sunt ceu nuces et poma, quibus allicimus ad nos pueros. Sic ducimur et allicimur ad amorem aeternarum rerum, et quasi alitur spes immortalitatis promissionibus temporalibus.

Sic dat panem et aquam, non ut comedam et bibam, sicut equus aut mulus, in quibus non est intellectus: sed ut ex hoc corporali dono agnoscam benignitatem Dei, et ea me etiam in aliis periculis erigam atque consoler. Si enim tantum donaret te stipula, tamen vult agnosci abs te, quod sit aeternus Deus, ac immensae bonitatis. Hoc cum credis, habes vitam aeternam.

Etsi igitur Abraham istas promissiones se vivente non vidit, tamen credidit Deo. Ideo habuit aeternam vitam, nec potuit mori, sed adhuc vivit: credidit enim Deo promittenti reges, populos et filium haeredem benedictionis. Clausis igitur oculis abdidit se in tenebras fidei, in quibus invenit aeternam lucem.

Ad hunc modum promissiones amplificandae sunt, ut, etsi de corporalibus rebus tantum loquantur, tamen eas applicemus ad aeternam vitam propter per-

sonam loquentis. Is enim aeternus est, et etiam corporalium rerum occasione excitat nos, ut sibi credamus. Qui autem Deo credit, is vivit aeternam vitam; non enim est bos aut mulus; intelligit et videt, Deum esse bonum; haec autem notitia est aeterna vita.

Sed hic quoque cum Iudaeis disputemus aliquantisper. Negare non possunt *), quin temporalis haec promissio jam finem habeat. Testa enim soluta et confracta, ac palea seu gluma granis et frumento detracta est, sicut Ioannes Baptista in concione sua vaticinatur futurum. Necesse enim fuit, frangi nucem, patefacto nucleo, ac elapsi jam sunt anni mille quingenti; interea non regem, non locum certum habuerunt; cultus autem everso templo prorsus sublatus est. Quaero igitur, quae retineant vestigia, aut quas notas promissionis Sarae et Abrahae factae? Nam quod penitus Iudaeorum populus deletus est, et per omnem terram dispersi sunt, hoc nihil pro eis facit. Regnum promittitur Abrahae.

Intelligimus autem regnum non materialiter, sed formaliter, nempe rempublicam constitutam legibus in certo loco, cum omnibus iis, quae ad populum seu gubernationem et administrationem populi pertinent. Multitudo latronum certe non possunt dici regnum, etsi sibi deligant caput, et certum locum occupent. In regno, ut in corpore humano sunt diversae functiones et ministeria diversa, quae tamen omnia in eum finem sunt comparata, ut corpus integrum constet, et recte valeat. Corpus autem laniatum in partes, ubi non manus, non oculi, non pedes officium faciunt, rectius cadaver, quam corpus appellatur. Cadaveri igitur similis est Iudaeorum

*) Edit. princ. possum. In ed. d. a. 1552. exstat possunt.

posteritas; non regno, etiam ipsis testibus. Quae enim similitudo est ad illum populum, qui ante et post captivitatem usque ad Christi adventum exstitit?

Quid igitur dicemus? Deus non mentitur, promissiones ejus sunt verae et firmae. Hae non promittunt aliquas faeces populi ex Abraha venturas, sed reges et populos. Ubi igitur regnum hisce annis mille quingentis mansit? Ubi manserunt leges, instituta patriae, cultus? Quid aliud hodie sunt Iudaei, quam corpus misere dilaniatum, et sparsum per totum orbem terrarum? Non habent locum certum, non ministeria constituendae reipublicae necessaria: servi sunt, et tantum peccatis victum quaerunt. Aut igitur mentitur Deus in promissione sua, aut Iudaei non amplius sunt populus Dei, sed abjecti a Deo, et extra ecclesiam positi.

Facit igitur promissio haec ad confirmandam nostram fidem, ut certi simus, postquam Iudaei sine regno sunt, et putamen nucis confractum est, necessario exhibitum Christum, et in Iudaeorum locum plenitudinem gentium successisse. Nam promissio Sarae facta non potest mentiri: „reges et gentes ex te egredientur". Da mihi autem unum vel regem, vel principem, quem habuerunt Iudaei annis jam mille et quingentis.

Hoc quidem ipsa res coget fateri, saepe tentatam restaurationem populi et regni esse, sed infelicissime. Deberent autem praecipue tenere possessionem terrae Canaan. Sed quia exciderunt ab ea, et in miserrima servitute sunt dispersi per totum orbem terrarum, res loquitur, eos non amplius esse populum Dei, nec semen Abrahae, cui regna promisit Deus, et dedit quoque usque ad Christi tempora.

Nam quod tam pertinaciter adhuc sperant regnum et restitutionem terrae Canaan, prorsus absurdum est, nec quidquam eos sublevat. Primum nullam habent promissionem; frustra igitur sperant. Deinde quomodo possibile est, ut sperent reditum in terram Canaan, ex qua longiore tempore nunc exsulant, quam in ea habitarunt? Qualis autem haec promissio est, quae diuturnior sine impletione est, quam cum impletione?

Quod autem extra terram Canaan sunt, et tamen circumcisionem retinent, et lege utuntur, non recte faciunt; lege enim uti non debent, nisi in terra Canaan. Circumcisio enim sicut tota lex manere debet, dum manet populus, dum manent generationes, dum manet possessio terrae Canaan.

Pertinet igitur haec ipsa promissio ad confirmandam nostram fidem, et ad Iudaeorum pertinaciam retundendam. Dicimus enim, impletam jam olim stante adhuc ipsorum politia promissionem tum testae, tum nuclei, hoc est, corporalem et spiritualem, quae in corporalem, ut diximus, inclusa est.

Egressi sunt ex utero Sarae non reges solum, David, Salomo etc., sed etiam populi: Edomitae et alii, qui censentur in posteritate Esau. Haec est corporalis promissio. Spiritualis quoque impleta est, cum Christus ex Maria virgine est natus. Illud enim verum tempus benedictionis fuit, quo fuerunt reges virtutum, Apostoli et successores eorum. Deinde accesserunt gentes, quae ipsae quoque propter fidem in semen benedictum sunt posteritas Abrahae, non carnalis aut naturalis, sed „insiticia“, sicut Paulus appellat, Romanorum undecimo (v. 17.).

Ac promissio quidem magis respicit semen spi-

rituale, hoc est, credentes, quam carnalem posteritatem. Ac ipse Isaac etsi natus est ex carne Abrahae, tamen promissionis filius fuit, quia non est natus secundum carnem, si quidem utriusque corpus, Sarae et Abrahae, quoad generationem, quasi emortuum fuit.

Sicut autem recte eum appellamus fidei filium, non carnis (si enim carnem respicias, Abraham et Sara sunt quasi duo cadavera, et tamen generant, non virtute cadaveris, sed fidei): ita omnes, qui credunt ad exemplum Abrahae, sunt semen Abrahae et participes benedictionis, sive gentes, sive Iudaei, sive circumcisi, sive in praeputio. Haec est Apostolica disputatio, quae tum durante adhuc populo plena invidiae et odii fuit; exaequabat enim gentes Iudaeis, sicut Paulus Ephes. 2. (v. 19.) vocat „condomesticos Prophetarum et Apostolorum“.

Sed hodie, postquam Iudaei populus esse desierunt, et misere per orbem terrarum dissipati sunt, non videtur tanti esse haec disputatio. Scimus igitur, impletam promissionem. Ubicunque enim Christus, benedictum semen, regnat, ibi est ecclesia, ibi sunt reges et populi nati ex fide cadaverosi Abrahae, habentes promissionem et credentes. Carnalis autem posteritas Abrahae, quia noluit Christum promissum suscipere, rejecta est secundum Mosis et aliorum Prophetarum oracula, ut Oseae 2. (v. 23.): „Vocabo non populum populum“. Et Moses (5. Mos. 32, 21.): „Irritabo te in gente aliena“. Et Christus (Matth. 21, 43.): „Transferetur a vobis regnum, et tradetur genti facienti fructus ejus“.

Idem accidit nostro tempore Papistis. Repulerunt scientiam, noluerunt docere, noluerunt Episcopi

esse: voluerunt autem dominari, et esse principes mundi. Igitur his rejectis erexit nos Deus de stercore et luto, et collocavit cum principibus populi sui, ut per nostrum ministerium Germania associaretur regno Dei, et perveniret ad veram Dei notitiam. Deus enim pompam et schema mundi non curat. Si uncti et vocati nolunt docere, doceant, qui non sunt uncti; retineant ipsi nomen, nos rem: indigne quidem hoc ferunt, et clamant, perturbari harmoniam, quae in ecclesia esse debet.

Sic Iudaei quoque faciebant: sed dissipatis Iudaeis mansit ecclesia gentium. Ita abjectis Papa, Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Monachis, Doctoribus, manet ecclesia apud pauperem, contemtam et miseram turbulam credentium, secundum Prophetae (Hos. 4, 6.) dictum: „Repulisti scientiam, repellam ego te quoque". Non enim de opibus, de dignitate, sed de scientia queritur Dominus, sicut alio in loco (ib. 6, 6.): „Scientiam Dei volo magis, quam holocaustum". Vult, doceri populum, ut discant agnoscere Deum, et sic perveniant ad vitam aeternam. Igitur si nos quoque in Pontificiorum gratiam taceremus, excitaret Deus ligna et lapides potius, quam ut nulla vera Dei notitia, et per consequens nulla in mundo ecclesia esset.

Et cecidit Abraham in faciem suam, et risit, et dixit in corde suo: Num centum annos nato nascetur proles? Et numquid Sara, quae nonaginta annos nata est, pariet?

Hic locus plenus affectibus, et insigne fidei exemplum est. Ideo pro dignitate a me tractari non

poterit. Mihi quidem videtur, quod ad hunc ipsum locum respexerit Christus, cum diceret (Ioh. 8, 56.): „Vidit Abraham diem meum, et gavisus est“.

Hactenus enim Abraham, etsi de promissione non dubitavit, tamen in persona erravit. Iudicabat enim, Saram non parituram, et in Ismaëlem promissionem derivandam. Sed hic quasi perfectus circulus clauditur, et Abraham videt, ex Sara nascendum sibi verum haeredem. Igitur plenus gaudio in pulcherrima et perfectissima fide exsultans et triumphans in terram procidit et ridet, ac admirabundus dicit: Mihine centenario adhuc nascetur filius, idque ex Sara?

Haec neutiquam dubitantis, sed admirantis et gaudio gestientis verba sunt, sicut etiam risus abundantis animi gaudio argumentum est. Superant igitur haec omnem eloquentiam, et pertinent ad experientias spirituales. Sicut enim tristitiam mentium afflictarum verbis nemo potest assequi: ita quoque haec spiritus exsultatio et laetitia prorsus ineffabilis est.

Iam removet ex oculis atque animo Ismaëlem Abraham, hactenus tenerrime adamatum tanquam spem benedictionis, et oblitus sui emortui corporis, etiam cadaverosae Sarae, certo videt, ex Sara sibi nascendum haeredem. Ideo ridet et laetatur, ac postea ex hoc ipso risu et hoc spirituali et ineffabili gaudio inditur nomen filio, et vocatur Isaac, ad perpetuam memoriam et monumentum aeternum tam pulchrae et certae fidei, quod ad hanc vocem vixdum emissam a Domino tanto gaudio sanctus vir impletur.

Quod enim in terram cadit et ridet, est, sicut Christus Ioannis octavo exponit, gestus animi exsultantis et exuberantis gaudio, quod nunc demum cer-

tus est, se patrem, Saram autem matrem fore Iesu Christi, Filii Dei, per quem salus et benedictio toti orbi terrarum sit obventura. Non igitur terrore concidit, nec etiam risit dubitans de promissione, sed ingenti perfusus laetitia et gaudio.

Infra cum nuntiatur Iacob de Ioseph, quod vivat in Aegypto, dicit textus, eum quasi e gravi somno excitatum, non tamen credidisse: ideo nulla edidit laetitiae signa. Sed postquam vidit currus et munera, quae miserat Ioseph, ibi demum revixit spiritus ejus, Gen. 45. Insignes et subiti affectus, seu sint gaudii, seu luctus, quasi attonitos et stupidos reddunt, ac exstant historiae, quosdam subito gaudio exstinctos. Ita Abraham quoque gaudio plenus cadit in terram, et ridet, gratias Deo agens pro beneficio suo tam insperato. Quid enim aliud potest, quam id admirari, et de eo gaudere?

Porro cum legimus tales historias, merito nostri nos pudere deberet, quod similis fervor spiritus in nobis non sentitur, qui tamen, sicut supra quoque dixi, quod ad dona Dei attinet, vel pares Abrahae, vel etiam superiores sumus. Habemus enim nos quoque Deum loquentem nobiscum in verbo, in Baptismo, in communione.

Quid autem est, quod nobiscum loquitur? Num terret? Num minatur? Num accusat? Neutiquam. Quin perpetuo sonat illa vox in ecclesia: „Confide, (Matth. 9, 2.), fili, remissa sunt tibi peccata tua“, sum tibi propitius per filium meum, haeres eris aeternae vitae etc.

In tanta opulentia cum habeamus verbum Dei, tamen corda nostra sunt duriora incude, et ceu petrosa terra radicem verbi retinent sine succo et sine

fructu: cum sancti Patriarchae ad stuporem usque hanc Dei benignitatem ineffabilem sint admirati.

Ego ipse sentio in me hanc animi duritiem, et odi eam, quotidie etiam contra eam oro. Sicut enim Esaias (6, 10.) dicit: „Est populus gravi corde, et dormitantibus oculis“: ita in tanta opulentia verbi sentimus nos quoque graves aures et corda, ac oculos gravatos somno. Est autem haec culpa non Dei, qui familiariter nobiscum loquitur, et, ut ad Titum 3. (v. 4.) Paulus dicit, humanissime nobiscum conversatur, dans ministerium verbi, dans sacramenta sua, pignora aeternae gratiae, sed nos stertentibus oculis, et surdastribus auribus sumus, et ceu quotidianam ac vilem rem contemnimus. Ac quod longe atrocius et indignius est, occupamur interim studio Decretalium et traditionum humanarum.

Rogandus igitur Deus est, ut det laetum cor ad promissiones tam laetas, ut nos quoque cum sancto Abraha exsultemus ac gaudeamus, quia sumus Dei populus. Sed o miseram carnem et perditam, quae reprimit spiritum, et non permittit, ut rideamus. Quodsi caro nos non impediret, et essemus veri Christiani, nihil possemus canere per omnem vitam, quam Magnificat, Confitemini, Gloria in excelsis Deo, Sanctus, sanctus, etc.

Ego quidem sanctum Patriarcham primo in stuporem conjectum arbitror et quasi in extasin prae magnitudine gaudii, ac cohorruisse, deinde illacrymasse prae gaudio, donec tandem quasi colligens animum risit,. tum demum capiens gaudium hoc pacato corde, qui sensus vitae aeternae portio est.

Sic Hiskia apud Esaiam, cum ex Propheta audit de spe vitae, et morbo curando, miratur Dei opus, et

et ipse secum disputat: „Quale hoc est signum? Iterum adscendam in domum Domini"? (2. Regg. 20, 8.) Erat enim insperata salus. Ad hunc modum Abraham quoque secum loquitur: Quid? ex Sara mihi nascetur filius? etc. Hoc gaudium spiritus sine fide experiri nemo potest.

Monui autem supra quoque circumstantiam hanc bene considerandam, quod de promissionibus his nihil adhuc impletum est; verbum habent Abraham et Sara, id audiunt, rem nondum habent, et tamen credunt. Imo Sara praeter Isaacum nullam posteritatem vidit; Abraham duos nepotes vidit. Indicat igitur haec ipsa corporalis promissio promissionem spiritualem aeternae vitae. Mortuis enim non fit promissio, quia non credunt, imo non sunt. Promissor autem est aeternus, et qui promissori aeterno credit, vivet ipse quoque fide sua in aeternum.

Sic etiam corporales promissiones, cum non feruntur in opera nostra, seu conditionem legalem non habent, includunt promissionem vitae aeternae. Sed promissiones, quae gratuitae non sunt, sed meritoriae, hoc est, quae habent conditionem legis additam, sicut illa ad populum de terrae Canaan possessione, si servent legem Mosi, hae sunt merae temporales; includunt enim nostra opera, et opus est ad eas obtinendas tolerantia divina. Tales non sunt gratuitae promissiones, quae tantum Dei misericordia nituntur, ubi Deus solus vult facere et operari, ac a nobis nihil requirit, quam fidem. Hae etsi corporales sunt, tamen includunt aeternam salutem, quam Deus vult nobis dare, non respectu nostrorum meritorum, sed suae gratiae, quam sola fides intuetur

et accipit. „Iustus autem ex fide sua vivet“, inquit Propheta (Habac. 2, 4.).

Hanc promissionum distinctionem facit Paulus, Romanorum quarto (v. 5.), cum dicit, non operanti, sed credenti imputari fidem ad justitiam. Abrahae sunt factae gratuitae promissiones de rebus corporalibus; sed non tantum in corporales res intuitus est; est enim mortuus non adeptis, sed a longe quasi salutatis his promissionibus. Sicut epistola ad Hebraeos dicit, cap. 11. (v. 10.): „Et exspectavit civitatem habentem fundamenta, cujus architectus Deus est“.

Et dixit Abraham ad Deum: Utinam Ismaël vivat coram te.

Promisit Deus Abrahae filium ex vetula Sara, et addidit promissionem, Saram sic benedicendam, ut ex ea reges et populi nascantur. Haec cum audit Abraham, longe majora accipiens, quam unquam ausus esset petere: „Utinam, inquit, Ismaël coram te vivat“: quasi dicat: O Domine, quare tanta mihi promittis, quae cum summa gratitudine et laetitia accipio? Ego enim fuissem contentus, et satis tum gratiae, tum benedictionis habere me existimassem, si vixisset coram te Ismaël. Itaque quoniam ex Sara daturus es filium, verum haeredem, hunc quoque aliquo in loco esse sinas, non abjicias eum. Apparet igitur hic, Ismaëlem Abrahae fuisse carissimum, si quidem tam de ipso sollicitus est, et ita accurate pro eo intercedit.

Et dixit Deus: Imo Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac,

et ego erigam pactum meum cum illo in foedus perpetuum, et cum semine ejus post ipsum. Et super Ismaël quoque audivi te: nam benedixi ei, et faciam illum crescere, multiplicaboque eum vehementer nimis. Duodecim duces generabit, et ponam illum in gentem magnam. Pactum vero meum erigam cum Isaac, quem pariet tibi Sara tempore hoc, in anno altero. Et desiit loqui cum illo, et adscendit Deus ab Abraham.

Saepe moneo, historias has non tam aestimandas ex ipsis rebus, quam ex sermone Dei, quod Deus sic copiose cum sancto Patriarcha loquitur. Videre autem hic licet, quod Deus semper plus largitur, quam nos vel petere, vel intelligere possumus.

Discendum igitur, ut, qui vere orare volunt, adsuefaciant se, ut confidenter petant, neque vel magnitudine rerum donandarum, vel indignitate orationis suae absterreantur.

Nota Pauli sententia est, Eph. 3. (v. 20.): „Ei, qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus". Titulus igitur Dei, et verum nomen est, quod sit exauditor precum. Nostrum autem nomen, qui petitores sumus, est: Nescimus, quomodo, aut quid petamus. Sunt enim corda nostra infirmiora, quam ut possimus apprehendere magnitudinem rei: angimur, quo tempore, quo loco, quibus mediis nos Deus audire velit. Haec sic angusto modo nobis praeformamus, ut assidua nobis cum infidelitate lucta sit.

Igitur haec duo incomparabilia, ut vocant, no-

bis conjungenda sunt, proportio infiniti et proportio finiti. Nostrae angustae preces, et desideria ac vota nostra sunt finitum, et nimis pusilla ad illam infinitam et immensam retributionem Dei, qua erga nos vult perpetuo uti.

Abraham, ut de nobis taceam, nunquam intellexit, nedum petere ausus fuit, aut cogitare tantam et tam opulentam promissionem; suspirat quidem pro prole, et contentus est, quod ex ancilla ei nascitur Ismaël. Hoc putat commodum et unicum medium benedicendae posteritatis. Sed Deus utitur alio et magis grato, sed insperato medio, et dat ei filium, non solum ex sua carne, sed etiam ex annosa, sterili et emortua Sara, quam fuit impossibile concipere, cum adhuc annis minor esset, et aetatis ratione ad partum aptior. Neque hoc satis est: additur ad hanc promissionem promissio de remissione peccatorum et aeterna vita. Haec quomodo potuit cogitare Abraham, aut quomodo petere ausus fuit?

Sumus igitur infirmi, nec intelligit cor nostrum infinitam Dei misericordiam. Itaque fit, ut sic gemamus, cum sentimus, premi nos a Turca, cum videmus Pontificis odium, et insatiabilem nostri sanguinis sitim, cum cogitamus de Satanae furore et malitia, qui hoc agit, ut ecclesias penitus subvertat, et nos redigat in nihilum. Utrinque terremur, et magnitudine praesentium malorum, et amplitudine futuri boni petendi.

Cogitamus igitur, quid faciemus miseri, qui in omnibus peccatis contra primam et secundam tabulam viximus. Scilicet peccatores nos brevi tempo-

ris, Psalm. 103. (v. 15.), accedemus ad Deum infinitum et aeternum, et petemus, ut haec mala mitiget etc.

Tales revera sunt omnium hominum animi, et tamen discendum est, quod etiam in desperatissimis malis debemus petere, et sperare insperabilia et impossibilia. Atque ob hanc causam proponuntur haec sanctorum Patriarcharum exempla, quae ostendunt, ipsos quoque conflictatos cum variis curis et tentationibus, et tamen plus accepisse boni, quam vel intelligerent, vel petere essent ausi.

Habemus enim Deum, qui potens est dare supra quam intelligimus vel petimus. Etsi igitur nos nescimus, quid et quomodo petamus, tamen Spiritus Dei inhabitans corda piorum suspirat et gemit intra nos pro nobis gemitibus inenarrabilibus: et impetrat etiam res inenarrabiles et incomprehensibiles.

Haec utiliter docentur, quia corda nostra, etsi incipimus credere et orare, tamen magnitudine rerum, quae petuntur, deinde etiam persona auditoris deterrentur. Excitent igitur historiae hae animos nostros, ut aperiamus os nostrum ad Deum, et confidenter oremus, non deterriti, quod nos, qui nihil sumus, ad eum accedimus, qui est omnia.

Iacobus et Ioannes etiam petebant, ut unus a sinistris, alter a dextris sederet; Christus autem (Matth. 20, 22.) dicit eis: „Nescitis, quid petitis", et tamen exauditur ipsorum quantumvis stulta petitio, sed longe alio modo, quam ipsi judicaverant. Non enim sunt in sinistra aut dextra alicujus mundani regni, sed sunt principes et judices in extremo die totius orbis terrarum.

Si igitur definire volumus nostras orationes, revera aliud nihil sunt, quam balbae voces infantium

postulantium panem aut offam ante mensam. Nescimus enim, quid petamus. Res enim, quas petimus, sunt supra nostrum captum, et major est, qui largitur; res quoque sunt majores, quam ut angusta nostra pectora possint capere.

Sic exstat pulcherrimum exemplum de Monica, Augustini matre, quae orans pro filio aliud nihil petebat, quam ut liberatus a Manichaeorum insania baptisaretur. Ac tanquam sollicita mater curabat ei puellam despondendam in conjugem, si hac ratione posset reduci in viam; sed quo orabat magis, hoc pertinacior et obstinatior fiebat filius, ac, ut apparebat, oratio fiebat ei in peccatum. Cum autem tempus exaudiendae sollicitae petitionis advenisset, (Deus enim solet differre auxilium) non solum convertitur Augustinus et baptisatur, sed totum se ad studium theologiae confert, et fit talis doctor, qui usque in hunc diem in ecclesia lucet, eamque docet et instituit.

Hoc Monica petiverat nunquam; satis ei fuerat, liberari filium ab errore, et dare nomen Christo. Sed Deus vult majora dare, quam possumus petere, modo non defatigemur orando.

Non enim, ut judicant imperiti, exiguus labor est orare. Spiritualium rerum periti dixerunt, nullum laborem conferendum cum labore orandi. Orare enim non est recitare numerum Psalmorum, aut boare in templis, sicut Monachi solent, sed est seria cogitatio, qua animus proportionem facit inter personam orantis et exaudientis, et certo constituit, etsi sumus miseri peccatores, tamen Deum propitium futurum, et mitigaturum poenas, ac exauditurum preces.

Etsi autem animi Spiritu et verbo Dei confirma-

ti hoc statuunt, tamen omnino verum est, neminem tam esse audaci animo, ut petere hoc audeat, quod Deus constituit dare. Sic haeremus utrinque. Magnitudo largientis et indignitas orantis impedit orationem, ut vere non intelligamus, quod petimus.

Oratio de pane quotidiano inter reliquas est infima, et tamen, si sciremus, quanta esset petitio, nemo nostrum auderet os suum aperire; sed Christus eam intellexit, cum dixit, Lucae 12. (v. 32.): „Noli timere, pusille grex, quoniam placuit patri vestro dare vobis regnum", quasi dicat: Ne timeatis, neque ut gentes estis solliciti pro rebus hujus vitae. Placuit enim patri dare vobis non temporale regnum, sed aeternum. De coelesti igitur regno cogitate, de victoria contra mortem et peccatum; haec sunt de pondere et digna, quae a Deo, patre vestro, exspectetis.

Significat igitur hic quoque, neminem intelligere, quid petat, nec Deum exigua ista daturum, quae ab eo petimus; majora et augustiora cupere et velle dare. In eo adjuvat nos Spiritus sanctus gemens pro nobis gemitibus, quos non comprehendere *), ac minus multo enarrare possumus.

Non ergo desperandum nobis est in his furoribus Satanae et mundi, contra quos orant nostrae ecclesiae, contentae ipsae quoque levi et exiguo dono. Spero autem, quod non solum Deus exiguas et angustas nostras preces exaudiens defendet doctrinam nostram, sed etiam propagabit, et faciet per eam adhuc mirabilia, ut Papistae utcunque nunc gloriosi in nihilum redigantur. Sic Turcam ecclesiae preces conterent, et experiemur, Deum majora dare, quam petere, imo quam intelligere potuimus.

*) Edit. princ. quas comprehendere etc.

Dicuntur autem haec a me ad excitandos nos, ne desperemus, vel ob indignitatem nostram, vel ob majestatem Dei, quem orantes appellamus, vel ob magnitudinem rerum, quas petimus, vel, ut rectius dicam, quas petentes non intelligimus; sicut Abrahamus profecto plus accepit, quam petiit, nobis in exemplum, ne desistamus ab oratione, aut statuamus, eam sine fructu esse; videt enim Deus intima cordis, et intelligit istos gemitus inenarrabiles, qui in nobis sunt, et tamen a nobis non intelliguntur, qui similes sumus infantibus ad mensam balbutientibus.

Promissio, quae hic fit Ismaëli, sine dubio a Saracenis valde amplificata est, qui eam urserunt per suos doctores contra Mosen et Prophetas. Nam statim impleri haec promissio coepit, nec ita dilata est diu, sicut ea, quae est Isaaco facta. Etsi autem Sarae promittitur, egressuros ex ea reges, tamen hic definiuntur reges duodecim.

Sed Isaac in eo vincit, quod pactum Domini cum eo manet. Ab eo quia excluduntur Ismaëlitae, non ideo, ut supra quoque aliquoties dixi, excluduntur a gratia et promissione salutis. Hoc solum agitur, ut una certa linea sanguinis constituatur, in qua inveniatur ecclesia, et ex qua nascatur suo tempore Christus. Haec negatur Ismaëli, et relinquitur in domo Abrahae et Isaac.

Temporalis igitur est exclusio, quod ecclesia non sit quaerenda vel in domo Ismaëlis, vel liberorum Keturae, sed in linea Isaac. Sicut nos gentes non habemus eloquia Dei, non promissiones nobis factas, Christus non est natus ex nostro sanguine, et tamen credentes in Christum non excludimur ab ecclesia et promissione salutis. Tantum non glorie-

ur in nostra sapientia, sed accedamus *), in qua
olnit Deus ad certum tempus ecclesiam esse.
i inveniemus angularem lapidem, qui conjungat
rosque, Iudaeos et gentes. Ideo haud dubie mansit
ligio et notitia Dei apud plures posteros Ismaëlis,
cut apud sacerdotem Midian, item Potipharem
egyptium; qui magni homines fuerunt, sic tamen,
se fide cum ecclesia Isaac conjunxerunt.

Hodie posteritas Ismaëlis cum Turcis permixta
it, et sicut Iudaei inciderunt ipsi quoque in horri-
iles tenebras, et extremam profanationem Mahome-
s. Itaque nihil hodie invenies simile, quod cum has
romissione possit conferri.

Sed hic digna quaestio objicitur, quare Deus
oc in loco manifeste distinguat pactum a pacto:
ieminit enim duorum pactorum. Primum est cir-
amcisionis; ad id etiam admittitur Ismaël, imo servi
uoque vel in domo Abrahae nati, vel emti. Ideo
tiam Ismaëlis posteritas retinuit circumcisionem,
uae totum paene orientem et tres Arabiae partes
nplevit, felicem, petraeam et desertam, quae omnes
omine patris Abrahae gavisae sunt.

Alterum pactum hic cum Isaac constituitur, ex
uo diserte excluditur Ismaël. Evidens igitur hic
extus est, quod ultra circumcisionis pactum aliud
estet, quod ad solum Isaac, et non, ut circumcisio-
is pactum, ad Ismaëlem quoque pertineat.

Quale igitur hoc pactum esse dicemus? Promis-
ionem scilicet de Christo. Hanc bene intellexit Abra-
am: atque hoc est, quod dixi, Deum semper pro-
aissionibus corporalibus admiscere et includere spi-
ituales et aeternas. Corporale pactum habet nomen,
t scilicet tota Abrahae posteritas circumcidatur;

*) Fort. ad eam gentem omissum est.

hoc secundum pactum non habet nomen, nec est certo aliquo opere insignitum, et tamen est pactum spirituale de futuro salvatore.

Convincit igitur textus hic clare Iudaeos de duplici pacto. Circumcisionis pactum, quod tanti faciunt, tantum est pactum legis, et temporale. De eo non Isaac solum, sed Ismaël quoque et Ismaëlis posteritas gaudet; sed alterum pactum, quod cum solo Isaac, excluso Ismaële, feritur, est spirituale et aeternum. Circumcisionis pactum datur nostro operi ante legem Mosi, et confirmatur certo populo et in terra certa et ad tempus certum, dum scilicet sint generationes Abrahae. Sed Isaaci pactum non datur nostro operi, sed mere est gratuitum sine nomine, sine tempore, et tamen ex Isaaci semine, ne aliunde exspectes benedictionem.

Ex hoc igitur loco exsuxerunt sancti Prophetae conciones suas de regno Christi, quod videbant ab Ismaëlis domo abalienatum, qui tamen circumcisionis erat socius. Prae hujus magnitudine et majestate circumcisionem et legem libere abjecerunt, tanquam ad salutem insufficientes; tribuerunt autem omnia Filio Dei, nascituro ex Isaaci domo.

Pertinet igitur locus hic ad promissionem de Christo, quae superat vota et petitionem Abrahae. Male autem faciunt Iudaei, quod tantum in pacto circumcisionis haerent, et alterum pactum non potius amplectuntur, similes, aut potius deteriores Ismaëlitis, qui per circumcisionem non quaesierunt salutem, sicut Iudaei, sed per promissionem de Christo, quam fide acceperunt. Certum enim est, quod, qui acceperunt circumcisionem, cum fide in Christum sunt salvati.

Hoc loco observandum est vocabulum מוֹעֵד, quod fere reddidimus Germanico nomine Stifft; latina translatio habet: tabernaculum testimonii; hoc in loco significat certum et statum tempus, sicut etiam in Genesi (1, 14.): „sint לְמוֹעֲדִים“ in certa tempora. Quia enim luna certum tempus habet, quo nascitur, quo augetur, quo minuitur ejus lumen, est aptissima temporis nota. Hinc מוֹעֵד etiam locum certum significat, in quo tabernaculum foederis erat constitutum, ubi Deus fecerat memoriam sui, hoc est, ubi mandaverat, doceri verbum suum, et coli se. Memoria enim Dei nihil est, quam praedicatio de Deo; in eam vult homines esse intentos, sicut Christus (Luc. 22, 19.) dicit: „Hoc facite in mei memoriam“. Ubi enim ipse habet suos doctores, qui praedicent nomen suum, ibi vult inveniri, audire et benedicere.

Mandat autem hoc Dominus ideo, ne vagarentur Iudaei variis idolatriis et cultibus. Non vult sub quacunque arbore conventum; ibi vult conveniri, ubi ipse fecerit habitare nomen suum. Hoc est מוֹעֵד, certus, definitus locus, sicut Germanice vocamus, ein Stifft. Sic Psalm. 74. (v. 8.): „Deleamus omnes dies festos de terra“. In Hebraeo est: Exuremus omnes מוֹעֵד terrae; non tantum significat festa et plenilunia, sed etiam synagogas et scholas. Ita enim in lege mandatum erat, ut in singulis civitatibus Levitae certis diebus legerent et docerent. Ea loca dedicata huic studio vocant מוֹעֲדִים. Sed ad sacrificia locus deputatus erat Hierosolymis. Ibi non tantum docebatur, sed etiam sacrificabatur. In eodem Psalmo (v. 4.): „Gloriati sunt, qui te oderunt, in medio solennitatis tuae“, rectius verteretur: In medio ecclesiarum tua-

rum, hoc est, domorum tuarum, ubi docetur verbum tuum. Sed hoc in loco tempus significat, idque certum et definitum.

Et cum consummasset loqui cum eo, ascendit Deus ab Abraham.

Hanc clausulam addidit Moses, ut nobis commendaret hanc historiam, in qua tam longum cum Abraha Dei colloquium est. Hoc enim principale est, quando Deus loquitur. Ab hoc proximum, sed longo intervallo dissitum est, ubi a nobis omnia fiunt secundum verbum Dei.

Arguit autem clausula haec, Deum apparuisse in aliqua visibili specie, quando hoc colloquium cum Abraha habuit. Hoc quidem usitatissimum est, ut per Patriarchas et eos, qui in ministerio publico verbi sunt, loquatur Deus. Deinde solet apparere in somnis, sicut in Bethel et Ai. Non nunquam per visionem in extasi, cum videtur homo extra se raptus: sicut cum supra eduxit Abrahamum ad numerandas stellas. Hic autem apparuit in aliqua specie visibili, et in propria persona est locutus cum Abraha, non per hominem aut Angelum.

Atque haec causa est, quod scriptura sancta tribuit Abrahae hanc gloriam, et vocat amicum et familiarem Dei apud Esaiam (41, 8.): sicut Christus Apostolos suos non servos, sed amicos appellat (Matth. 12, 49.). Maximum autem est habere colloquentem et conversantem nobiscum Deum. Neque nos hoc dono destituimur. Etsi enim Deus nobis non apparet singulari specie, ut Abrahamo, tamen communis apparitio, et maxime amica et familiarissima est, quod se nobis offert in verbo, in usu cla-

ım, in Baptismo, in Coena. Sed accidit nobis, quod overbio dicitur: Nimia familiaritas contemtum pa; . Item: Minuit praesentia famam. Item: Vilescunt otidiana: et Salomo Proverb. 20. (v. 14.): „Ma; ꝍ, malum! dicit omnis emtor, et cum recesserit, oriabitur".

Nemo nostrum est, qui non ex animo cupiat vi; re Mosen, Davidem, aut etiam Augustinum, Amosium et similes heroas. Sed si adessent ac nobis; m viverent unum aut alterum annum, profecto ntemnerentur. Imo si Angeli nobiscum conversantur, idem eis accideret, non quidem culpa defi; ɜntis gloriae, sed fastidientis et contemnentis natu; e nostrae.

Possemus igitur nos quoque gloriari ut Patriar; ıa Abraham. Imo ipse Abraham, si vidisset illam ıilanthropiam Dei sic nobiscum loquentis et con; rsantis quotidie per ministerium in Baptismo et in oena, usque ad mortem eam admiraretur, et de ea ıuderet.

Monachi celebrant patrum suorum Benedicti, ernhardi legendas. Sed profecto Deus in genere ım quovis Christiano multo copiosius loquitur, et miliarius conversatur, quam illi jactant de suis pa; ibus. Imo si in manu mea res esset, non vellem, eum mihi loqui de coelo, aut apparere mihi. Hoc ıtem vellem, et tendunt huc quotidianae meae pre; ɜs, ut in digno honore habeam et vere aestimem ɔnum Baptismi, quod sum baptisatus, quod video audio fratres, qui habent gratiam et donum Spi; tus sancti, qui consolari, erigere verbo possunt, thortari, monere, docere. Quam enim tu optas me; orem et utiliorem Dei apparitionem?

Sed proh dolor, superbi spiritus contemnunt haec, et nos quoque communes has apparitiones in verbo, Baptismo, Coena etc. non ponimus eo loco, quo debebamus. Id autem duceremus nobis gloriosum, si, ut Munzerus gloriabatur, Deus nobis loqueretur visibiliter; sed eventus ostendit, qualis Deus fuerit: Satan scilicet affectans majestatis gloriam.

Haec inculcanda sunt saepius, et non sine causa a me repetuntur. Abraham si conferatur nobiscum, qui vivimus in novo testamento, magna ex parte, modo rem aequa lance expendas, nobis minor est. Privata quidem dona in eo majora sunt; sed Deus non se exhibuit illi propiorem aut familiariorem, quam nobis. Sit sane magna gloria habere apparitiones illas: quid inde habuit Abraham majus aut melius, quam quod Deus cum ipso locutus est? Hoc autem nobis quoque, et quidem quotidie accidit, quoties et quocunque in loco volumus. Hominem quidem audis, cum baptisaris, cum Coena sacra uteris: sed verbum, quod audis, non hominis, sed viventis Dei verbum est. Is te baptisat, is te absolvit a peccatis, is jubet, ut speres in sua misericordia.

Magna autem ingratitudo est, has Dei facies, ut scriptura vocat, negligere, et quaerere interim apparitiones et revelationes alias. Itaque tales in Papatu dederunt sane dignas poenas, dum Satan stultis, ineptis et absurdis apparitionibus eos ludificatus est, quas tamen Monachi magnifice efferunt et ornant, Pontifices autem suo testimonio comprobarunt et confirmarunt.

Sed cum judicio talia legenda sunt, nec statim credendum, quid quisque dicat. Ad normam fidei examinandae sunt omnes apparitiones, et quaeren-

dum, sintne analogae fidei, an vero, ut plerumque accidit, cum verbo revelato pugnent? Ad hunc enim modum Moses etiam Prophetas vult judicari, ut, si quid contra revelatum verbum afferunt, non audiantur, etsi signa et miracula faciant, Deuter. decimo tertio.

Pono autem, aliquas apparitiones esse veras, quales feruntur de Dionysio et aliis; tamen eas non curo, non quidem, quod penitus contemnam, sed quia scio, quod nihil sunt ad Baptismum, ad Coenam Domini, imo ad colloquium pium, quod habere possum cum quolibet pio fratre. Hae enim apparitiones sunt generales et certissimae, quae fallere non possunt.

Disce igitur hoc, quod in omni vita, opere et re maxime spectandum sit verbum Dei. Patriarchis et Prophetis Deus singulariter apparuit, sive in somnis, sive in visione, seu per Patriarcharum, non nunquam etiam Angelorum vocem. Tales revelationes seu apparitiones nos non desideramus, sed sumus contenti, ac Deo gratias quam possumus maximas agimus pro nostris apparitionibus et faciebus Dei, quas videmus in Baptismo et toto verbi ministerio. Ibi enim frater fratri fit Angelus, absolvit eum a peccatis, consolatur, instruit, munit, monet, exhortatur etc.

Hae sunt nostrae apparitiones, quas merito facimus maximi. Agnoscimus enim per eas Deum, et consequimur vitam aeternam. Distinguendae igitur sunt legendae seu vitae hominum. Si enim Deus nunquam mihi apparet visibiliter, sicut Abrahae, ne quidem id cupio, et quod plus est, credere nollem, Deum esse, nisi manifesto cogerer: quia ad salutem

aeternam mihi satis est, quod sum baptisatus, quod audio evangelium, quod virtute clavium absolvor.

Quodsi Deus vult me alloqui in somnio, et monere de rebus temporalibus, sicut monebat Magos redituros ad Herodem, bene. Sed ad vitam aeternam nulla alia revelatione mihi opus est; nullam igitur cupio, et si offerretur, suspecta mihi esset ob Satanae insidias, qui se in Angelum lucis transformare solet. Abunde enim se mihi Deus ostendit in Baptismo et ministerio.

„Apparuit, inquit Paulus Tit. 3. (v. 4. seqq.) philanthropia servatoris nostri Dei, salvantis nos non ex operibus, quae sunt in justitia, quae fecimus nos: sed secundum misericordiam suam per balneum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per Christum Iesum, servatorem nostrum, ut justificati ipsius gratia haeredes simus secundum spem vitae aeternae".

Hic certus sermo est. Si igitur legeris historias sanctorum, et inveneris in eis mirabilia opera et mirabiles apparitiones, cum judicio eas lege, ac certo hoc statue, nullam apparitionem gloriosiorem esse et augustiorem, nobis quoque conducibiliorem illa generalissima omnium Christianorum, per quam consistit, alitur et conservatur tota ecclesia. Haec substantialis est et universalis; illa Abrahae et Prophetarum accidentalis et particularis.

Taceo de nugis Monachorum, indignis luce et memoria. Sunt enim maxima ex parte praestigiae Satanae ad fallendum et nocendum instructae. Ideo examinandae sunt ad analogiam fidei, et scripturae canonem. Apparitiones Gregorii admodum sunt celebres, quas ipse credidit veras, et implevit suo exem-

plo

plo ecclesiam infinitis erroribus. Credidit enim, sanctorum animas se videre, et audire postulantes suffragia, non Christi, sed superstitum in terra: item operum praesidia, eleemosynas, missas, jejunia.

Sed examinentur haec ad scripturae canonem, quid haec omnia ad mortuos et futuram vitam? Sed Gregorius neglecto hoc canone credidit, ista vera esse, et dedit exemplum omnibus Monachis sequendi ista, et docendi in ecclesia. Obscurata igitur gloria ministerii verbi et verarum ac salutarium apparitionum est, et amplificatae nugae istae, imo Satanae perniciosae imposturae.

Magnum autem donum est, quod divina misericordia hanc lucem verbi nobis iterum accendit, ut sciamus, ubi quaerendus et vere inveniendus Deus; non Romae, non in Hispaniis ultimis, sed in Baptismo, in evangelii voce, in usu clavium, imo quoque apud quemlibet fratrem, qui mecum confitetur et credit in Filium Dei. Hae sunt epiphaniae, seu apparitiones omnibus Christianis communes, Ac in ista particulari apparitione, quam Moses hoc in loco describit, nihil est augustius et majus, quam quod Deus cum Abraha loquitur, tanquam cum familiarissimo amico.

Atqui idem si volumus, habemus nos quoque et quidem copiosius, quam Abraham. Si igitur viveret, sine dubio indignaretur, quod tantas glorias et tantas divinae misericordiae opes tam indigne contemneremus.

Ideo Moses quoque hoc beneficium magnifice praedicat, Deut. 4. (v. 7.): „Non est alia gens, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus adest cunctis obsecrationibus nostris". Sic Esaias gloria-

tur, quod Deus habeat sedem et ignem suum in Hierusalem, Esaiae 31. (v. 9.).

Sed profecto major nostra gloria est in novo testamento: non solum habemus Deum appropinquantem nobis, sed etiam corporaliter inhabitantem in nobis. Quodsi persona ejus non apparet, ut eum de ore ad os videamus, tamen apparent verbum et opera ejus. Sequitur jam commendatio obedientiae Abrahae, quod proponitur nobis ad imitationem.

Et Abraham tulit Ismaël filium suum, et omnes vernaculos suos, omnemque pecunia emtum, omnes masculos, qui erant in viris domus Abrahae, et circumcidit carnem praeputii illorum in illa die, quemadmodum locutus erat Deus cum eo. Et ipse Abraham erat natus annos nonaginta novem, quando circumcidebatur caro praeputii ejus. Ismaël vero, filius ejus, erat natus annos tredecim, quando circumcisus est ipse in carne praeputii sui. In illa ipsa die circumcisus est Abraham et Ismaël filius: sed et omnes viri domus ejus, vernaculi domus, et qui emti erant pecunia ex filiis alienigenarum, circumcisi sunt cum eo.

Pertinent haec omnia ad commendationem obedientiae Abrahae, quae tamen sic inspicienda est, ut statuamus, Abrahamum per eam justificatum. Non enim opera faciunt justam personam, sed justa persona facit justa opera, et tamen opera hoc praestant, ut fides in eis exerceatur, et per ea quasi augescat et pinguescat. Dum enim praestat obedientiam hanc

Abraham, et cum suis domesticis circumciditur, recordatur fides Dei promittentis et recipientis nos.

Sic Petrus (2. Petr. 1, 10.) jubet, ut certificemus electionem nostram per bona opera. Sunt enim testimonium, quod gratia in nobis sit efficax, et quod vocati et electi simus. Contra fides otiosa, quae non exercetur, moritur et exstinguitur cito; exstincta autem fide, dubium est, an simus vocati et electi. Qui autem in assiduo fidei exercitio progreditur, is concludit: Non sum in exercitu contra Christum, sed pro Christo: non nego verbum, non persequor ecclesiam; igitur sum vocatus ad regnum Dei, et electus.

Quodsi per infirmitatem cado, resurgo, doleo de peccato, et veniam precor. Sic per ipsa opera poenitentiae et caritatis intelligo, me esse unum de raptis ex incendio Babel, seu ex colluvie mundi. Ad hunc modum, etsi obedientia haec non justificat, tamen fidem certificat, et quasi illustrat, ut possit conspici. Hinc dicit Apocalypsis (22, 11.): „Qui justificatur, justificetur adhuc". Sicut enim, qui exercentur operibus incredulitatis, subinde magis ac magis increduli fiunt, et peccatum quasi robur illo exercitio assiduo accipit: sic e contra, qui pietatem exercent, in his sumit incrementa fides, ut certo statuant, se ad ecclesiam pertinere.

Porro non vulgare obedientiae exemplum hic proponitur. Quid enim potest dici ineptius, stultius, absurdius, addo etiam turpius et obscoenum magis, quam quod centenarius paene Abraham statim hoc ipso die circumciditur cum tota domo sua, non disputans secum, non scrupulose quaerens, ut solemus omnes. Sed cum primum discedit ab eo Deus, con-

vocat suos, et exsequitur mandatum Domini. Hanc obedientiam merito nobis proponimus in exemplum.

Monachi varia disputarunt de obedientia, quod quaedam obedientia habeat aliquid de suo, quaedam parum habeat de suo. Saepe enim mandantur, quae cum voluptate facimus, et sine aliqua animi molestia, ut cum Monachus jubebatur prodire in publicum; haec obedientia non magni fiebat, et dicebatur habere aliquid suum. Contra, cum imperabantur vel injusta, vel difficilia ac molesta, et tamen suscipiebantur promto ac hilari animo, haec obedientia dicebatur nihil sui habere, et praeclare ornabatur, quantumvis in stulta et puerilia opera poneretur.

Sed si perfectum obedientiae exemplum videre postulas, intuere Patriarcham Abraham, exercentem fidem suam in circumcisione. Quodsi voluisset ratione agere et disputare, dixisset: Quae utilitas est, in hac parte corporis circumcidi? Cur non aliam partem elegit Deus honestiorem? Haec sine turpitudine attingi non potest, praesertim in adultis.

Adamum certe haec una cogitatio decepit, quod non contentus divino mandato etiam causam quaesivit, cur juberet Deus abstinere ab una tantum arbore. In hanc cogitationem cum ventum est, aut omittitur opus mandatum, aut contra itur, et diversum fit. Perniciosa igitur et pestilens cogitatio est de quare, ac certum affert interitum, praesertim cum adscendimus altius, et de praedestinatione volumus philosophari.

Sed meminerimus exempli Abrahae, quo docemur, quod coram Deo sit repuerascendum, et non disputandum, quomodo aut quare Deus aliquid praecipiat: sed simpliciter in eo haerendum, quod Deus

ita jusserit, et parendum. An non enim disputandi causam habuit Abraham quoque, si voluisset sequi suum sensum? Quam enim commendationem boni operis habet circumcisio? Non solum utilitas nulla in ea est, non splendor, non dignitas aliqua, sed etiam ignominiosa, turpis, inutilis et absurda est.

Itaque judicat ratio, longe utilius, commodius, splendidius, melius aliquid Deum potuisse praecipere, qua rectius tum fidem, tum obedientiam exerceret Abraham, quam in tam stulto opere, quod centenario jam Abrahae sine turpitudine manifesta perficere non fuit possibile. Sed sanctus vir nihil disputat. Satis ei est, quod scit, Deo placere, ut hoc faciat. Sine mora igitur obedit, non suum, non aliorum judicia veritus. Haec est obedientia digna laude, et quae proponatur nobis in exemplum, ut quae nihil de suo habet, sed simpliciter inhaeret mandato Dei.

Ergo postquam divina misericordia sumus justificati, et vocati in consortium sanctorum, ut militemus sub Deo, faciamus sine disputatione, quae nobis sunt praecepta, et secundum Sirach (3, 22.): „Altiora nobis ne quaesiverimus". Qui autem scrutare se altiora non desinit, et sollicite disputat: Quare hoc praecipit? is per illud Quare ejicietur ex Paradiso, sicut Adam. Est enim divinae majestati prorsus intolerabile et nobis impossibile.

In ultimá coena, cum Dominus lavare discipulorum pedes inciperet, et ad Petrum ventum esset, recusat id Petrus (Ioh. 13, 6.) pati: „Num tu, inquit, lavabis mihi pedes"? Haec inobedientia nascebatur ex sapientia carnali, quod non videbat finem operis, quod Christus instituerat. Christus autem non vult longius cum eo disputare, cur hoc faciat, praecidit

quaestionem, et hortatur ad obedientiam: „Nisi te lavero, non habebis partem in regno meo“. Ibi desiit disputare Petrus, et etiam totum corpus potius lavari postulabat.

Idem nos quoque cogitemus, ut sine disputatione Deo mandanti pareamus. Ita faciemus certam vocationem nostram, quae vel otio, vel disputationibus et speculationibus non fit certa, sed penitus amittitur.

Sed Satanae molitionibus et insidiis impeditur obedientia. Quia enim a Deo aversus est, vellet, nos quoque a Deo averti. Ideo obedientiam impedit, et hoc agit, ut inutilibus et periculosissimis quaestionibus nos excruciet. Hinc infinitum disputationum mare in Papatu exstitit, ita ut, si doctrinam Papistarum omnem uno verbo complecti velis, recte dicas, eam nihil esse, nisi unum: Quare?

Tenendum igitur contra hanc tentationem exemplum hoc est, quod Abraham jam centenarius de turpi, obscoeno, stulto opere, in obscoeno membro, nihil disputat; sed quia audivit, ita Deum velle, sine quaestione seu disputatione obedit, et tum filium, tum familiam omnem ad eandem obedientiam cogit.

Saul jubetur occidere Amalechitas omnes, et omnem praedam eorum. De hoc praecepto quia Saul disputare incipit, bonumne sit parere, offenditur ratio absurditate, et putat, dispensari posse: gratiorem enim Deo clementiam, quam tyrannidem. Servat igitur regem, servat potiorem praedae partem, et quidem hoc consilio, ut Dei cultus possit splendidior esse. Sed haec *) inobedientia sic speciosa efficitur, ut Saul reprobetur et tota ejus posteritas. „Gratior enim Deo obedientia, quam victima“ (1 Sam. 15, 22.)

*) Fort. hac.

Nemo igitur adscribat praeceptis Dei odiosam et exitialem hanc voculam: Quare? Sed cum de praecepto constat, sine disputatione statim obediamus, ac statuamus, Deum prudentiorem esse nobis. Qui enim disputat, quare Deus aliquid praecipiat, vere dubitat, sitne Deus sapiens, justus et bonus. Quod autem potest esse atrocius peccatum, et Deo intolerabilius? Credere igitur debemus; id est officii nostri, non disputare; altiora enim haec sunt, quam ut a nobis possint disputari.

Si Deus nostra consilia sequeretur, hac hora Turcam et Papam occideret, nec sineret, Satanam sic furere, et grassari licenter. Hoc omnes judicarent salutare et bonum opus. Sed sapientia Dei arguit, hanc stultam esse cogitationem; alioqui eveniret ita. Quaeris igitur, quare tam diu tolerat impios Deus? Satis est dixisse: Sic ei placet, sic utile, sic salutare est, alioqui diversum faceret. Qui hac ratione contentus non est, et scrutatur de rationibus consilii divini, is ei periculo se exponit, quo Adam in Paradiso oppressus est.

Crucifigamus igitur hanc pestem Quare, et dicamus: Soli sapienti Deo gloria, nobis autem confusio. Aperuit nobis in Paradiso oculos Satan; nunc omnis labor in eo nobis est, ut eos iterum claudamus et obturemus. Nam quod Adam apertos oculos habuit, ea toti posteritati ejus occasio et causa mortis et damnationis est.

Moses ergo magnifice commendat fidem et obedientiam Abrahae, quod omnia impedimenta et scandala praecidit, et sine disputatione jubenti Deo paret. Non cogitat, quod nos: Cur Deus hoc mandat? Quae utilitas in turpi et obscoena re? An salvari

non possum, nisi centenarius circumcidar? Pestilens hoc Quare simpliciter jugulat, et radicitus ex corde evellit. Captivat rationem, et in eo uno acquiescit, quod is, qui praecepit, justus, bonus, sapiens est: igitur non potest praecipere, nisi quae justa, bona et sapientia sunt, utcunque judicet ratio, utcunque ratio non intelligat. Iudicia enim Dei incomprehensibilia sunt. Ratio ea assequi non potest. Si igitur de iis disputat, non solum fallitur, sed etiam in blasphemiam labitur. Satis igitur nobis sit, quod audimus verbum, et intelligimus, quid praecipiat, etsi causam non intelligamus, cur praecipiat.

Pulcherrimum igitur hoc exemplum est et admirabile, non tantum propter Abrahae personam, sed quod tantum in eo fuit auctoritatis, ut totam familiam permoveret, ne offenderetur isto turpi et obscoeno facto. Apparet igitur, fuisse domum Abrahae nihil aliud, quam ecclesiam sanctissime institutam, et assuefactam ad Dei cultum et obedientiam verbi. Non igitur mirum, quod maximas res cum sua ecclesia gessit, et quatuor potentissimos reges fudit.

Quodsi nos unum talem haberemus ducem, an dubitas, quin profligaturi simus Turcam? Magna enim res est, ita credulum esse et in fide simplicem, quod sine disputatione praecipienti Deo tota familia paret et obsequitur, nec offenditur turpitudine, sed pii patrisfamilias et parochi sui exemplum sequitur.

Discamus igitur nos quoque, omnibus positis quaestionibus, simpliciter ire in nomine Domini, et facere, quicquid Deus praecepit, sive sit stultum, sive scandalosum, sive periculosum. Si enim accessit mandatum Dei, etiam turpe et obscoenum coram ratione opus pulcherrimum et sanctissimum est; non enim

est major aut melior ornatus, quam verbum Dei. Hunc ornatum quia habuit circumcisio, sanctum et Deo gratissimum opus fuit.

Dixi autem supra, circumcisionem fuisse non infiniti, sed certi temporis: igitur in novo testamento cessavit. Mansit autem allegoria ejus, nempe mortificatio carnis et peccati. Caro enim variis tentationibus et offendiculis objicitur, ut eximatur securitas, et occasio non desit exercendi verbi et invocationis.

Scandalosum autem est, quod, qui soli Dei populus sunt, et veritatis possessione recte gaudent, subjiciuntur cruci, occiduntur a pontificiis, et exercentur varie. Contra hostes Dei et Satanae mancipia triumphant, et sunt in gloria.

Accedunt autem ad haec scandala privata incommoda, quae sancti et in animo et corpore circumferunt. Sed patere tu haec, ora, et fac opus tuum, et cogita: Ecce, Abrahamus sine disputatione circumcidi se passus est, et infantes octo dierum eidem cruci subjecti fuerunt: feramus igitur nos quoque nostram portiunculam. Sic Abraham non tantum justificationis, sed etiam obedientiae in speciem absurdae exemplum nobis praebet.

Riserunt sine dubio gentes tam senem Patriarcham, qui sine dolore sustinere circumcisionem non potuit. Sed Abraham non erubescit, facit, quod Deus praeceperat, nec offenditur, quod tam diu sine circumcisione vixerit, et ea nunc centenario sit subeunda. Sic Ismaël natus annos XIII. non erubescit nudari, non recusat dolorem. Sic vernaculi et servi emti omnes in puerili et simplici sensu illam turpitudinem sine quaestione sustinent. Deo igitur pla-

cent, et salvantur fide in semen benedictum. Huic exemplo qui non parent, ut simplici et puerili obedientia verbum amplectantur; et ei obediant, hi exemplo Adae per exitiale et pestilens Quare praecipitabuntur in inobedientiam et mortem.

DECIMUM OCTAVUM CAPUT GENESIS.

Apparuit autem ei Dominus in planitie Mamre, et ipse sedebat in ostio tabernaculi, cum calesceret dies.

Annus Abrahae nonagesimus nonus, ut supra quoque magnitudine rerum gestarum valde et prae caeteris est memorabilis. Continet circumcisionem et promissionem utranque, spiritualem et corporalem: postea peregrinationem in Palaestinam et liberationem, item subversionem Sodomorum, ac, quod caput est, saepius apparuit Dominus Abrahae, et cum eo familiariter est collocutus.

Hujus autem capitis principale summarium est, quod vult confirmare promissionem factam de Isaac. Nam in praecedenti capite Abrahae promittitur ex Sara filius, ac imponitur ei a Domino nomen Isaac, a risu Abrahae. Sara autem tum non affuit, et videtur narranti Abrahae non credidisse. Ideo repetitur hic promissio, ut Sara eam non audiat ex ore Abrahae, ut antea, sed ex ipsius Dei ore, qui dicitur aversus stetisse, hoc est, obvertisse tergum, ad significandum, quod Sara non prius crediderit, quam corriperetur.

Promittitur igitur Isaac nunc secunda vice: atque est locus hic de filiis promissionis praeclare et copiose a divo Paulo tractatus, qui inde concludit, justificari hominem fide, et non lege aut operibus, ac omnem superbiam et praesumtionem Iudaicam de carnali nativitate tollit hac una ratione. Si enim nativitas carnis valet, cur discernitur inter Ismaëlem et Isaacum? Sicut autem Isaac ex promissione natus est, promissio autem requirit fidem: ita filii Abrahae aestimantur, non quorum naturalis pater est, sed qui ad exemplum fidelis Abrahae credunt, sive ex gentibus sint, sive circumcisi.

Hic locus quia principalis est, scripturae more duplici testimonio confirmatur: quemadmodum Ioseph duo somnia infra videt de bobus eandem rem significantia. Imperiti sacrarum rerum temerariam repetitionem et tautologian hanc esse judicabunt. Sed magna causa fuit, cur idem bis scriberetur. Maximum enim scandalum tollitur, et praeciditur nunquam finienda alias disputatio de privilegio nativitatis carnalis, et praesumtione virium humanarum.

Ad hunc nodum non solvendum, sed simpliciter praecidendum pertinet haec promissionis repetitio, ut clare videant tum Iudaei nitentes carnali propagatione, tum gentes nitentes suis viribus, Abrahae verum semen esse semen promissionis.

Etsi enim Isaac ex carne Abrahae est natus, tamen est natus supra vires carnis, quia uterque parens carne paene mortuus, et aetate ad generationem ineptus est. Promissio autem, quam fide apprehendunt, mortuam carnem quasi vivificat, ut non tam ex carne, quam ex virtute promissionis Isaacum na-

tum statuas. Hic principalis hujus capitis locus est pro justitia fidei, contra praesumtionem et justitiam operum.

Deinde proponitur hic exemplum pulcherrimum morale de hospitalitate.

Tertio singulare testimonium de articulo Trinitatis notandum est, quod tres viri apparent, et Moses subinde loquitur, ac si unus sit. Sed hoc testimonium differemus, et prius de hospitalitate dicemus.

Et levavit oculos suos, et vidit, et ecce, tres viri stabant juxta eum, et videns cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et incurvatus est ad terram, et dixit: Obsecro, Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne, quaeso, transeas a servo tuo. Afferatur, quaeso, pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et refocillamini sub arbore, et ego afferam buccellam panis, ut firmetis cor vestrum, postea transibitis. Ideo enim transistis ad servum vestrum. Et dixerunt: Sic facias, sicut locutus es.

Insignis illa hospitalitatis commendatio, quae exstat in epistola ad Hebraeos (13, 2.), ex hoc loco nata est. „Ne obliviscamini hospitalitatis; per hanc enim quidam, non animadvertentes, hospitio acceperunt Angelos“. Est autem hospitalitas, ubicunque ecclesia est. Ecclesia enim, ut sic dicam, semper habet commune aerarium, si quidem mandatum habet: „Da omni petenti abs te“ (Matth. 5, 42.), et debemus nos omnes ei servire, et eam curare non solum

docendo, sed etiam benefaciendo et fovendo, ut simul et spiritus et caro in ecclesia inveniant refectionem.

Praecipue autem peregrini, quibus fortuna iniquior est, benigne complectendi sunt. Non enim obscura Christi vox est contra inhospitales in ultimo die: „Hospes fui, seu peregrinus, et non suscepistis me“ (Matth. 25, 35.). Item: „Quicquid minimo ex meis fecistis, mihi fecistis (ib. v. 40.). Quae potest hujus virtutis amplior esse commendatio, quam*) quod, qui hospitales sunt, non suscipiunt hominem, sed ipsum Dei Filium? Contra quid inhospitalitate foedius? Non enim excluditur e domo tua homo, sed Dei Filius, pro te in cruce passus et mortuus; huic tu non unius diei sumtus, non spatium tantum tuarum aedium fruendum das, quo una cubet. Hanc vel immanitatem vel crudelitatem quas putas secuturas poenas? Qui igitur ecclesiae membra vera esse cupiunt, hi hospitalitatem meminerint praestandam, ad quam non solum exemplo sancti Patriarchae, sed scripturae gravissimis testimoniis invitamur.

Apparitio haec trium virorum est apparitio Domini: et Abraham dum eos suscipit hospitio, Dominum ipsum suscipit. Videntur autem apparuisse humili et contemta specie, nudi, esurientes, fessi ex itinere et exsules quasi nuper adeo liberati ex tristi aliquo carcere. Ita enim judicasse Abrahamum verba ejus ostendunt.

Porro didicit Abraham hospitalitatem duplici via. Primum ex institutione Patriarcharum et ecclesiae more. Hi enim docuerunt filios suos hospitalitatem tanquam virtutem ecclesiae summe necessariam. In ea enim quia docetur verbum, Satan autem odit

*) In edit. princ. omissum est quam.

verbum; et ab initio homicida et mendax fuit, necesse est pericula varia exsistere, et plurima incommoda.

Ubicunque enim Deus loquitur, etiam in ipso Paradiso, ibi non cessat Satan saevire tum decipiendo, tum occidendo, donec ex Paradiso ejiciat Adamum, et faciat peregrinum et exsulem. Idem extra Paradisum ab initio in ecclesia fecit. Subjecit pios odiis mundi: in animos aut in corpora saevire eum divina bonitas quoties non passa est; saeviit in fortunas, ejecit sedibus, vexavit in exsilio modis, quibus potuit. Itaque miseros patresfamilias cum uxore et liberis, ceu aviculas ejectas nido, sancti Patriarchae jusserunt excipere hospitio, et tractare liberaliter.

Ac fuit ecclesia omnibus temporibus ceu asylum quoddam exsulum et pauperum. Sicut enim Christus dicit (Luc. 11, 21.), fortem custodire atrium suum in pace, donec veniat fortior: ita haec perpetua fuit fortuna piorum, ut lucente verbo persecutiones et exsilia essent frequentissima.

Nostro quoque seculo accensa ex Dei benignitate immensa verbi lux est. Furit igitur Satan, et per Papam, per Episcopos, per furiosos principes replet totum orbem pauperibus et exsulibus, qui misere vagantur, sitiunt, esuriunt et varie premuntur. Oportet esse igitur Lothum aliquem, oportet esse Abrahamum, oportet ditiunculam aliquam pii cujusdam principis esse, in qua talibus locus esse possit. Ubi enim non est domus, ibi non potest esse hospitalitas.

Hujusmodi peregrinos veros Abraham hic se videre putat. Veros enim peregrinos appello, qui exsulant propter verbum, non errones illos, quorum in Papatu maximus proventus fuit, qui aut ex petu-

lantia et lascivia, aut spe propriae justitiae, sine necessitate persecutionis, voluntarium exsilium suscipiebant. Haec enim verbi Dei natura est; ubicunque sonat, commovet Satanam ad iram. Haec autem potentis spiritus indignatio non abit sine credentium calamitate. Hi ejiciuntur sedibus, exuuntur facultatibus, rapiuntur ad supplicia, in summa, sunt, ut Paulus (1. Cor. 4, 13.) appellat, „ceu catharmata et peripsemata".

Ecclesia igitur in his fratrum difficultatibus non potest, nec debet esse otiosa. Cogitur mandato Dei et institutione majorum exercere opera misericordiae, ut pascat esurientes et sitientes, ut hospitio excipiat exsules, ut captos consoletur, ut visitet decumbentes ex morbo.

Habet etiam Diabolus suos mendicos; sed hi, utcunque nihil habent, tamen satis et abunde habent, sicut videmus in Monachis et otiosis erronibus. Sed veri mendici sunt, qui propter verbi promissionem sunt mendici. Hos etiam odit mundus, non adjuvat, nec sublevat; sed Abraham eos adjuvat. Ita enim didicit ex majorum suorum institutione, necessaria haec esse officia piis fratribus. Patuit igitur ejus domus omnibus, ac cum gaudio suscepit peregrinos, sicut videmus.

Meminerimus igitur hujus exempli. Scimus, quod, ut Petrus dicit, 1. Petr. 5. (v. 9.), „Fraternitas nostra in mundo varie exercetur et patitur". Si igitur volumus Christiani esse, pateant exsulibus domus nostrae, foveamus et recreemus eos.

Deinde didicit Abraham hospitalitatem etiam suo exemplo. Iam enim anni circiter viginti et quatuor abierunt, dum relicta Ur Chaldaeorum in exsilio vi-

xit. Pererravit terram Canaan, non uno in certo loco habitavit. Ex Aï in Bethel, inde in Hebron, in Palaestinam, Bersabeam et alia loca venit. Aegyptum quoque bis coactus est ingredi, non sine magno periculo. Saepe in agro, sub dio tempestatis injurias tulit, saepe fame, saepe siti vexatus est, saepe aliis circumventus periculis, quae Moses singula commemorare non potuit. Ostendit autem uno hoc vocabulo, quod exsulem fuisse significat. Exsulem enim qui dicit, infinita incommoda et pericula complectitur.

Haec sua pericula erudierunt eum, ut disceret mitis et benignus ac liberalis esse erga exsules. Oblati igitur hi tres viri habitu simplici et paupere habiti sunt ab eo pro exsulibus fratribus, qui vel ex ipsa Chaldaea, vel ex Aegypto, vel ex vicina Damasco profugerunt. Occurrit igitur eis tanquam valde indigentibus recreatione, amice rogat, ut maneant, offert aquam, qua abluant pedes, affert cibos, quibus fessi recreentur, nullo modo cogitat, Angelos, vel ipsum Deum esse.

Est igitur pulcherrima haec idea hominis liberalis et largi erga fratres afflictos propter professionem verbi. Tales enim judicavit hosce Abraham esse. Non igitur exspectat, dum pulsent ostium, dum rogent hospitium; sedet in foribus, et cum ex longinquo eos videt, occurrit eis, quasi cavens hoc, ne alius hospites hosce sibi praeripiat. Adeo promto in eos est animo.

Itaque quod Moses in ostio sedisse dicit, non otiosum est; est descriptio promti animi, et parati ad officia necessaria fratribus, et significat non solum animum promtum, sed etiam largam et beneficam manum erga peregrinos, quos ita sedens exspectare

soli-

solicitus *) est: sicut Paulus laudat Philemonem, quod viscera fratrum recreet, qui vel in exsilium sunt acti, vel liberati e carcere. Est autem, ut dixi, haec virtus tantum in ecclesia.

Nam vide Papatum: quid in eo invenies simile? Sodomitarum similes sunt Papistae, de quibus sequens caput concionabitur. Vere enim, ut Ezechiel, capite decimo sexto (v. 49.) dicit: „Otium et panis saturitatem habent, manum autem pauperi non porrigunt“, imo potius opprimunt pauperes; insaniunt contra miseras ecclesias, fundunt sanguinem, involant in bona, proscribunt, in exsilium agunt. Haec immania peccata, et plus quam barbaricam hanc crudelitatem, quam exercent in ministros verbi, in patres-familias, etiam in feminas, et infirmam aetatem obruere conantur hypocritico cultu, et aedificandis ac instituendis magnifice hospitalibus, non tam in pauperum usum, quam in suam gloriam.

Audient igitur triste judicium in novissimo die, cum accusabuntur a Christo, quod sint persecuti ipsum, ejecerint eum ex sedibus, egerint in exsilium etc.

Nunc Dei benignitate sub nostro principe illustrissimo habent miseri exsules, quo confugiant, et ubi tuti sunt; sed timeo, ne venturus sit alius, qui Ioseph non agnoscat: idque propter extremam inhumanitatem et inhospitalitatem et avaritiam hominum. Non nobiles, non cives, non rustici uno obolo adjuvant ecclesias, ut possint esse liberales in exsules. Quicquid habemus, habemus ex reliquiis sub Papa collectis et datis.

Hodie enim nemo quicquam dat: sub Papa au-

*) Scribe solitus.

tem largiendi finis nullus erat. Tanto autem nunc decebat dare largius, quod plus nunc piorum exsulum est, quam ullis unquam superioribus temporibus. Admonentur enim verbo Dei homines, ac praecipue ecclesiarum ministri egent, quia nunc sunt conjuges, non vivunt amplius in impuro coelibatu. Igitur non singulae personae, ut olim, sed integrae familiae nunc propter verbi confessionem exsulant; hos non adjuvare scelus est.

Non autem dubitabimus, sanctum Patriarcham saepe idem passum, quod nos quotidie patimur. Non enim desunt otiosi hypocritae assueti ad mendicationem, quibus si quid prae manu des, statim in aleam et comessationes conferunt, et ubi sciunt paratos ad fovendos inopes ecclesias, istuc convolant tanquam ad praedam, et simulant aliquandiu pietatem tantum spe uberioris quaestus.

Sic Paulus queritur de lascivis viduis, 1 Timoth. 5. (v. 16.), quae ex publicis alebantur, et ecclesiis erant oneri. Quodsi id tum accidit, non mirum, si hodie multi ad nos quoque veniunt sub nomine afflictorum exsulum, quasi propter verbi confessionem ejecti sint ex suis facultatibus. Ex horum parte non est hospitalitas, sed rapina et iniquum onus, qua ecclesiae gravantur. Circumspectione igitur hic opus est, ut caveamus tales errones.

Abrahamo ad hunc modum sine dubio saepe impositum est, quod homines occisi*) abusi sunt ejus liberalitate, et confluxerunt ad eum, quod norant paratam eis apud ipsum mensam, et exposita omnia. Tales ceu fuci apibus laborantibus et sedulis mella praeripiunt: sed sine incommodo istorum, qui in

*) Fort. oliosi (ita enim in ed. pr. hoc vocab. scribitur).

eos benefici sunt. Qui enim simpliciter ita largi sunt, non amittunt praemium, etsi beneficium amittunt.

Notanda igitur historia haec, quod Abraham describitur sedens ad ostium, et occurrens hospitibus, quos species probabat non malos esse, et indigere aliena liberalitate. Sic nos quoque simus liberales: aperto ostio, et hilari fronte excipiamus inopes fratres. Quodsi non nunquam fallimur, bene. Deo tamen probatur voluntas nostra, et beneficium, quod in homine malo et ingrato perit, in Christo, cujus nomine benefici sumus, non perit. Igitur sicut prudentes et scientes hominum ignavorum otium non debemus alere, ita quoque decepti non debemus abjicere hoc studium benefaciendi aliis.

Christus decem leprosos sanat, et norat, unum tantum gratum fore. Haec fortuna nos quoque manebit, nec nos ideo bene merendi de aliis studium abjiciamus. Quin non in fratres tantum, et qui propter confessionem exsules sunt, debemus esse benefici, sed etiam erga illos, qui civiliter sunt peregrini, modo non sint aperte mali. Ut si Turca, aut Tartarus aliquis ad nos veniret, non propter doctrinam nostram, quam nescit peregrinus, sed natura, ut sic dicam, mendicus, hic etsi non patitur propter verbum, sed alioqui miser est, non est negligendus a nobis.

Principaliter tamen hoc de hospitalitate praeceptum pertinet ad eos, quos Christus vocat suos „minimos" (Matth. 25, 40.), quia ubicunque verbum est, ibi est Satan hostis movens persecutiones corporales et spirituales. In ipsa Paradiso non potuit quiescere, nisi Adamum cum Eva sua ageret in exsilium: parati igitur esse debemus in fratrum conso-

lationem. Spirituali persecutione afflicti sunt consolandi et fovendi verbo: corporali autem persecutione afflicti sunt fovendi pane et aqua, hoc est, caritate et hospitalitate, unusquisque pro sua necessitate: sicut Abraham hic facit. Vidit hos tres peregrinos: qui sint, nescit, hoc scit et videt, quod sint inopes et fessi via. Igitur celeriter affert aquam, lavat pedes hospitum, jubet mactari vitulum, parari panes, afferri potum. Sicut autem ignarus ipsum Dominum hospitio excipit, ita nos quoque, cum aliquid minimo ex regno Dei benefacimus, ipsum Christum hospitio excipimus, venientem ad nos in suis pauperibus.

Cur locus, in quo Abraham habitat, planities seu quercetum Mamre vocetur, diximus supra. Habet enim appellationem a possessore. Mamre enim cum duobus suis fratribus non solum hunc locum concessit Abrahae habitandum, sed etiam foedere se cum eo junxit, ac fuit sine dubio sancta familia, quae adjuvit Abrahamum in pugna contra quatuor reges.

Etsi autem alii quercetum, alii planitiem vocent, mihi tamen verisimilius videtur, fuisse nemusculum aliquod, seu lucum, in cujus medio tuguriolum quoddam habuit. Igitur hospites sub quercu jubet considere in umbra.

Temporis descriptio etiam non est otiosa, calluisse tum solem, hoc est, adscendisse ad meridianum. Nam iter facientes et mane egressi sub id tempus fame et siti laborare incipiunt, praesertim si sint pauperes. Observavit igitur hoc tempus Abraham singulari studio, ac hoc animo consedit in ostio, ut, si quis forte esset in itinere, eum hospitio exciperet, et defatigatum reficeret.

Quod autem addit Moses, levasse eum oculos, significat, aliquandiu meditabundum sedisse, cogitantem forte de promissione facta, aut orantem, vel cum tentatione aliqua pugnantem. Cum autem subito levat oculos, ecce, adsunt tres viri, ut apparebat, boni et egentes. His occurrit, eos invitat et liberaliter tractat. Itaque intueamur eum non solum ut patrem fidei seu credentium propter excellentissimam fidem, sed etiam ut patrem bonorum operum, et pulcherrimum exemplum caritatis, humanitatis, beneficentiae et omnium virtutum.

Ex Mose verbis apparet, hunc Patriarchis fuisse morem, ut sederent in foribus exspectantes et excipientes prandii et coenae tempore hospites, praesertim eo tempore, quo Satan crudelius saeviit in pios: sicut persecutiones aliis temporibus duriores, aliis mitiores sunt.

Quodsi ponas antithesin Dei et Satanae, erit historia multo lucidior. Satan ex aequo odit doctores et auditores verbi. Igitur hospitalitate primum opus est ad excipiendos domesticos fidei. Debet enim differentia haec servari perpetuo, sicut ab Apostolis tradita est, ut prima cura sit fratrum, hoc est, illorum, qui eandem nobiscum doctrinam profitentur, et ideo persecutionem patiuntur. Habet autem haec virtus peculiare nomen, et vocatur φιλαδελφία.

Sed non soli fratres calamitosi sunt, et Christus patris coelestis exemplo hortatur nos, ut etiam inimicis benefaciamus. Principaliter igitur commendatur hoc in loco hospitalitas illa, qua erga eos peregrinos utimur, qui propter verbum et fidei professionem exsulant. Hi non solum exemplo Abrahae reficiendi sunt pane et aqua, sed etiam reverenter

tractandi. Sic enim describit eum Moses, quod, ut primum eos accedere videt, surgit, et laetus hospitibus occurrit. Deinde procidit in terram, tanquam adoraturus Deum, et appellat אֲדֹנָי.

Haec nimirum paene nimia reverentia est, qua tractat in speciem pauperes et afflictos fratres apparentes vel senili, vel juvenili specie; nam Moses id non explicat. Quam autem in compellandis eis comis, benignus, humilis est? Quam rhetoricatur denique suaviter? Obsecrat, invitat, urget etiam eos, ut maneant, ac sibi tantum non in coelo esse videtur, quod tales contigerunt hospites, quodque dignus sit habitus eos recipere.

„Si inveni gratiam, inquit, in oculis tuis, ne transeas a me". Quid, quaeso, diceret aliud, si ingens auri pondus afferrent? Sed nihil afferunt. Fessi ex itinere videntur, et opus habent, ut reficiantur, idque tam cupide Abraham facit, ut etiam tanquam summum beneficium roget, ut maneant.

Est igitur haec historia prorsus sine exemplo, quod tantus Patriarcha cum tanta reverentia adorans, et procidens in terram, incognitos hospites excipit, ac אֲדֹנָי, majestatis scilicet vocabulo, appellat. Deinde vide, quomodo sua extenuet. „Adferatur modicum aquae", inquit: „item buccella panis". Haec civilitas, quod suum munus non ornat verbis, etiam grata admodum est. Sicut enim Sirach (31, 14.) malos oculos appellat exprobrantes beneficia: ita minime decet, tua ut laudes aut amplifices. Haec superbia gratiam beneficii tollit.

Hoc igitur Abrahae exemplum prorsus sine omni exemplo est. Qui igitur vult docere alios de officiis erga fratres, hinc exemplum sumat, et videbit

rhetoricam multo majorem in hac elegantia verbi, quam ut imitari eam possis.

Docet autem historia sequentia, exercuisse Abrahamum officia caritatis erga fratres, qui doctrinae et fidei socii erant. Ad hunc modum et nos quoque Christus, cum dicit (Joh. 13, 20.): „Qui vos recipit, me recipit; qui autem me recipit, recipit eum, qui misit me". Magna profecto et admirabilis sententia, modo eam diligenter expendas. Hanc promissionem non habuit sic claram Abraham, et tamen quam studiose invitat, quam liberaliter tractat peregrinos?

Didicit autem hoc, ut supra dixi, non tantum ex institutione majorum, qui suos ad hospitalitatem adsuefecerunt, qua ecclesiae tum maxime opus erat, cum verbum Dei clarissime doceret; sed etiam suo exemplo, quod exulanti multa incommoda objecta sunt, et gratissima fuerunt ei bonorum officia. Ita usu didicit regulam hanc, quod, qui fratrem exulantem propter verbum excipit, ipsum Deum in tali fratre accipit.

Hanc regulam cum ipse Christus nobis tradiderit, imo cum promiserit, se in novissimo die praedicaturum nostra in pauperes officia, sumus tamen longe frigidiores et languidiores, quam sancti patres fuerunt. Abraham cogitavit, hosce tres viros ob confessionem verbi ejectos ex suis sedibus, ac vidit, non in Sodomis, non in vicinis locis eis locum fore. Recipit igitur eos ad se, et credit, se Deum in eis recipere, sicut testatur vox, quod אֲדֹנָי vocat, item gestus, quod se prosternit coram eis, eos adoraturus; ac non fallitur: Deum ipsum excipit.

Igitur merito in exemplum proponitur ecclesiis, ut discant ministros verbi recipere, sicut Dominum

in coelis, quemadmodum de suis Galatis Paulus dicit, habitum eum ut Angelum Dei (Gal. 4, 14.). Etsi autem prosternendi mos apud nos non est, tamen animis debemus posterni coram fratribus propter inhabitantem Christum. Quia enim dicit (Matth. 25, 40.): „Quicquid feceritis minimo ex meis, hoc mihi fecistis“, illo verbo constituit fraternitatem inter nos et ipsum.

Sicut autem nemo dubitaret, si videret Christum, humiliari coram eo, et prosterni: cur non etiam coram fratribus saltem animo prosterneremur? Sicut egregie Augustinus dicit: Honorate Deum in vobis invicem. Verbum enim Christi non mentitur: „Mihi fecistis, si quid meis minimis facitis“.

Merito igitur querimur de nostrorum cordium incredulitate, quae ceu glacies induruerunt, et suavissimis his promissionibus non molliuntur. Abraham, ut videmus, credidit, etsi verbum sic clarum non haberet, se Deum excipere, si hosce tres hospites exciperet. Homines esse non dubitavit, et tamen habuit cogitationem altiorem: respexit enim in Dominum, quem in hisce hospitibus adorat.

Etsi igitur inimici fuissent, non eos dimisisset, sed refecisset prius secundum caritatem, non tamen secundum philadelphiam procidisset in terram. Scit enim, Deum habitare in fratribus et fidei sociis, qui vera sunt Dei templa, et non in fidei inimicis, aut qui religionem veram nesciunt. Quanquam mihi non displicet illorum sententia, qui Abrahamum et suis, et suorum majorum exemplis eruditum, et saepius expertum esse dicunt, quod Angeli humana specie venientes hospitiis piorum sint usi, sicuti infra de Lotho in Sodomis audiemus. Haec experientia fecit,

ut omnes hospites tractarent reverenter, ut exspectarent ipsi quoque conversationem cum Angelis.

Etsi autem rarius hoc accidit, tamen, quia Deum norunt in fratribus colendum, indignos quasi se judicarunt, qui infirmos, afflictos, pauperes fratres, propter verbum exsulantes, hospitio acciperent; ideo cum tanto gaudio et tam prompto ac lubenti animo id fecerunt.

Mundus diversum facit. Non enim rex Canaan hoc modo excipit Abrahamum: multo minus Sodomitae Lothum. Abraham in Aegypto, ubi tamen bonus rex erat, in maximum periculum incidit propter Saram, et infra audiemus, quam amice tractarint eum Philistini. Nusquam igitur sancti excipiuntur benigne, et tractantur liberaliter, nisi apud Abrahamum et Lothum, hoc est, in ecclesia, quae se agnoscit servam servorum Dei, et indignam, quoniam Deus in sanctis suis habitat, tanto honore, ut Deum accipiat hospitio in fratribus.

Hodie quia tantus impostorum et otiosorum mendicorum numerus est, haud scio an ista corporalis reverentia necessario debeat exhiberi. „Mundus enim in maligno positus totus est (1. Joh. 5, 19.)", et abutuntur plurimi piorum liberalitate.

Sic lotio pedum orta est ab antiquis patribus, et pertinet ea quoque ad reverentiam, quae hospitibus debetur.

Haec est historica hujus loci sententia, et insignis hospitalitatis commendatio, ut certi simus, ipsum Deum domi nostrae esse, apud nos pasci, cubare, requiescere, quoties bonus aliquis frater ob evangelion exsulans ad nos venit, et a nobis hospitio excipitur. Vocatur autem haec philadelphia, seu Christia-

na caritas, quae major est illa generali beneficentia, qua etiam ignotos et hostes complectuntur, egentes nostro auxilio.

Apud adversarios neutrum est: nam nos propter confessionem oderunt. Ideo persequuntur, proscribunt, occidunt etiam: civiliter autem inimicos extreme oderunt. Hospitalitas igitur et philadelphia tantum sunt apud veros Christianos et in ecclesia.

Nam quod commemorantur amicitiae gentilium, ut Thesei et Herculis, Pyladae et Orestis, nihil haec sunt ad fraternitatem in ecclesia, cujus vinculum est illa cum Deo societas, quod Filius Dei dicit sibi fieri, quicquid minimo ex suis fit. Itaque sine hypocrisi corda se effundunt in proximi necessitate, neque quicquam aut tam sumtuosum, aut difficile est, quod fratrum causa Christianus non suscipiat.

Sed o miseros et excaecatos nos, quibus haec praedicantur sine fructu. Paucissimi enim sunt, qui credunt, haec vera esse. Quodsi quis serio crederet, se suscipere Dominum ipsum, cum pauperem fratrem suscipit, non necesse esset tam anxiis, studiosis et sollicitis exhortationibus ad caritatis opera: paterent statim loculi, cella, pietas in usum fratrum sine omni invidia, nosque cum pio Abraha occurreremus ultro miseris, invitaremus eos ad nos, praeriperemus aliis hanc gloriam et dignitatem, ac diceremus: O Domine Iesu, veni tu ad me, utere tu meo pane, vino, argento, auro. Quam id recte a me collocatum est, cum in te colloco, etc. Sed quia hoc non facimus, certum est, non credi haec a nobis. Igitur surdis narratur fabula, cum haec Patriarcharum exempla commemoramus. Sed profecto et in op-

probrium nostrum haec exempla scripta sunt, et habebit suam poenam tam obstinata incredulitas.

Quid autem illi in novissimo die respondebunt, qui etiam persequuntur ecclesiam, sicut Papa, qui tamen mentitur, se servum servorum esse? Hic titulus Abrahamo convenit, et omnibus Christi fidelibus. Papam vero nomine si appellare voles, appellabis tyrannum, et si quid tyranno durius et crudelius est. Persequitur enim ecclesiam Dei, pellit sedibus suis fideles ministros, gladio et flammis in eos saevit; tantum abest, ut eos ceu fratres et amicos suscipiat. Sodomitarum igitur similis est, non Abrahami, et meretur non terram Canaan, ut Abraham, sed ignem et sulfur de coelo, et aeternas flammas.

Extenuatio suorum officiorum praeclara est: „pauxillum aquae, inquit, afferetur, et vos interim quiescite ad hanc arborem". Verbum Hebraeum admodum significans est הִשָּׁעֲנוּ: reclinate, innitimini ceu baculo huic arbori, sich auff etwas lenen, stewren, sicut solent defatigati itinere.

Sic Psalm. 23. (v. 4.): „Baculus tuus et virga tua ipsa me consolata sunt". Baculum enim vocat verbum, cui periculis et tentationibus fatigati innitentes acquiescimus et confirmamur.

Ad extenuationem officii hoc quoque pertinet, quod non dicit, se instructurum mensam, non paraturum lectos, ad arborem, jubet, ut reclinent, et promittit panem. Insigne igitur exemplum hoc est, et adeo aptis verbis descriptum, ut, nisi lapis sis, cupias tu quoque, posse te in hoc opere hospitalitatis similem esse Abrahae, quem non tam fidei, quam bonorum operum patrem vocare possumus. Haec de historia satis sint.

Porro de mysterio trinitatis quoque dicendum aliquid est. Nam impii Iudaei nos rident, quod Patres nostri ex hoc loco trinitatem voluerunt probare, quod tres viri hic apparent, et tamen Abraham cum uno tantum loquitur. Ac verum quidem est; secundum historicum sensum nihil ex hoc loco concluditur aliud, quam quod Abraham divinam reverentiam exhibuerit afflictis fratribus, et liberaliter exceperit; nondum enim norat, esse Dominum.

Haec cum historica sententia sit, damnant nos, quod facimus tres personas, et unum essentialem Deum, et gloriantur, nihil tale reperiri vel in Mose, vel Prophetis. Qui enim ex hoc loco id velit efficere, eum ex scriptura ceu ex cera quaslibet formas fingere posse sentiunt.

In totum igitur nostram fidem, ex hac maxima, seu certa demonstratione damnant. Ac ut, quod verum est, dicam, si Cyprianum, si Hilarium legerunt Iudaei, multa vident ab eis parum apte citata. Sed sancti Patres scripserunt ista bono et pio animo, ac bene viderunt, quod cum adversariis non sic agendum est, ut cum auditoribus principia fidei non negantibus. Cum enim tuos doces, ibi non bellum moves, sed exercitium ad bellum instruis. In exercitio autem vides non ferratis hastis, non acutis gladiis, sed etiam rudi ligno, aut ad gladii formam facto, recte nos uti: sed in acie ferro opus est, eoque ad feriendum firmo et bene acuto.

Sic quando disputamus contra ecclesiae hostes, solida et firma argumenta proferenda sunt. Hoc enim nisi fiat, non solum rident nos inimici, sed in suo errore magis confirmantur. Sic convicimus Anabaptistas et Sacramentarios, non solum nostra probantes

multis et solidis rationibus, sed etiam vitia notantes, quae ipsi male colligendo et citando committunt.

Alia igitur res est docere, alia exhortari. Rhetorica, quae ad exhortationem facit, ludit saepe, saepe praetendit lignum, quod tu putes gladium esse. Dialectica autem belligeratur, et agit res serias; igitur non ligna, sed ferrum ostendit adversario. Hoc cum patres non ubique fecerint, et non nunquam impropriis, non nunquam parum firmis rationibus, tanquam inter suos ad probandum articulum trinitatis sint usi, Iudaei hanc maximam contra nos adducunt: a doctoribus nostris multos locos improprie citari; igitur totum hoc nostrum dogma falsum esse. Antecedens igitur non negamus, quin sit verum, sed consequentiam tamen probamus falsam esse.

Quod enim ad hunc locum attinet, concedamus, historicum sensum nihil contra Iudaeos facere: sed non nunquam catachreses quoque suum locum habent. Sic Paulus, postquam doctrinam fidei dialectice, et tanquam in acie asseruit gladio, addit postea de Sara et Hagar allegoriam, quae etsi in acie minus valet (nam discedit ab historico sensu), tamen lumen addit causae, et ornat eam.

Historia non docet, quod Abraham sit Deus, Sara ecclesia, Hagar synagoga. Abraham docet historia esse patremfamilias, Saram matremfamilias, Hagar servam. Quid autem prohibet, posito jam ante fundamento ex aliis scripturae locis certis et illustribus, etiam adhibere allegoriam, non tantum ornandi, sed etiam docendi causa, ut res fiat illustrior? Sic naturales filii Abrahae, Ismaël et Isaac, designant duos populos: Ismaël populum carnis, Isaac populum spiritus, seu promissionis.

Recte igitur Augustinus dicit, figuram nihil probare, nec debere in disputando habere locum. Disputatio enim fundamenta firma jaciat necesse est: haec cum jacta sunt, nihil prohibet, per allegoriam seu figuram addere lucem causae, et ornare causam.

Sic Augustinus non quidem probat trinitatem ex eo, quod sint in homine tres potentiae; et tamen jucunda cogitatio est, tum in homine, tum reliquis creaturis omnibus vestigia trinitatis inquirere et notare. Sicut Magister sententiarum quoque facit, cum allegat sententiam, omnia disposita esse in pondere, mensura et numero, cum in quantitate dicit esse lineam, superficiem et corpus, in philosophia ens, verum et unum. In sole substantia, lux, calor. Hujusmodi testimonia non urgent adversarios verbi, nobis autem jucunda sunt vestigia articuli jam antea certo comprobati et noti.

Ad hunc modum etiam de hoc loco dicemus ad Iudaeos. „Rideant sane nos et nostros doctores, hoc testimonio usos; hoc tamen nunquam diximus, quod ipsi nos dixisse falso calumniantur, quasi illi tres viri significent tres personas Dei.

Ad hunc modum Papistae quoque depravant studiose nostra dicta, ut suam causam ornent. Cum enim dicimus, hominem non justificari operibus, affirmant, nos bona opera prohibere et damnare. Tales viperae sunt Cochlaeus, Witzelius et alii. Haec sunt Satanica mendacia virulentorum et pessimorum hominum, qui, quae dicimus, non audiunt, nec volunt audire, et tamen rapiunt in alium sensum, quem ipsi volunt.

Apud Patres nusquam invenies, habuisse Abrahamum hos tres viros pro tribus personis divinitatis:

Virulentarum igitur linguarum mendacia haec sunt, ıae sunt sicut novacula acuta" (Ps. 52, 4.), et ni- l nisi verba praecipitationis loquuntur, quae pias entes alienant et offendunt et praecipitant. Audiunt ıidem Iudaei naturali sensu; sed malitia Satanica)sessi non audiunt, quod dicimus, sicut Esaias (6,).) de eis vaticinatus est.

Non enim Patres sic crasse de trinitate sunt lo- ıti, ut definirent hos tres viros, corporalibus ocu- s ab Abraha visos, pro tribus personis divinitatis se habitos.

Christus homo, vox Patris de coelo, columba in aptismo Christi sunt tres distinctae species; sed ıis ideo dicet, humanitatem esse divinitatem, aut)cem hanc esse patrem, aut columbam hanc Spiri- m sanctum?

Hoc recte dicitur, in homine Christo esse Deum, columba esse Spiritum sanctum, in voce esse Pa- em. Sed non sumus tam crassi, ut externas species u corporalem rem, quae oculis cernitur, et com- rehendi potest, dicamus Deum esse. Scimus enim, initatem esse invisibilem.

Igitur patres aliis verbis, et non tam crasse di- runt, quare Deus voluerit revelari Abrahae in tri- ıs personis, et non in quatuor aut duabus: seu cur)parendo Deus singulariter elegit tres personas, uibus apparuit.

Ostendi igitur occulto sensu, non historico, quod eus sit unus et trinus, si quidem Abraham tres vi- t, et unum adoravit. Ad hunc modum locuti sunt ıncti Patres, et non sicut virulentae Iudaeorum lin- uae blasphemant: voluit enim Deus apparere Abra- ıe in trinitate Angelorum. Quia igitur tres appa-

rent, et unus loquitur, quia Abraham tres videt, et unum adorat, ideo dicunt Patres significari, quod in Deo sit aliqua trinitas, et non, quod illae species seu personae tres sint trinitas. Quodsi alia trinitatis probatio non esset, quam hae tres species, ego sane eam non crederem; sed habemus alia fundamenta firma et certa, de quibus alio in loco.

Defendamus igitur doctores nostros contra virulentas linguas, qui occulto sensu vidisse Abrahamum trinitatem dicunt, si quidem Deus ei apparuit non in paucioribus, nec pluribus personis, quam tribus; si enim (ut in novo testamento (Ioh. 8, 56.) clarum Christi testimonium est) vidit diem Christi, sine dubio etiam vidit divinitatem ejus; si divinitatem, non potuit id fieri sine cognitione trinitatis. Recte igitur Patres hoc loco sunt usi. Aliud enim est probare, aliud ornare. Rhetorica argumenta non semper probant, sed vehementer ornant, et persuadent ea, quae dialectica probavit.

Mihi valde gratum est, postquam scio, quod sola fide justificamur (id enim in scriptura sancta tanquam dialecticum argumentum copiose probatum et explicatum est), quod Augustinus, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius idem dicunt, etsi fundamenta non sic urgent, et minus proprie aliquando loquuntur. Hoc enim non imputo eis ut erratum: mihi hoc satis est, quod idem dicunt, etsi minus commode dicunt, et confirmor ipsorum testimonio, licet magis sit rhetoricum et dialecticum. Ubi enim fundamenta recte sunt jacta, rhetorica, etsi minus firma sunt, tamen utilia sunt et jucunda, nec carent suo fructu. Ad eum plane modum de hoc sanctorum Patrum testimonio sentiendum est, quod recte dixerunt, Abrahamum, qui

Deus

Deus in tribus his personis apparuit, cognovisse ex hac apparitione trinitatem. Rhetoricum enim hoc argumentum est, et ad persuadendum aptum, imo etiam utile, postquam fundamenta trinitatis ex aliis scripturae locis jacta sunt.

Et dixerunt: Sic facias, sicut locutus es. Festinavit itaque Abraham in tabernaculum ad Saram, et dixit: Festina. Tres modios farinae repurgatae commisce, et fac panes subcinericios, et ipse Abraham currens ad jumenta tulit vitulum tenerrimum et bonum, et dedit puero: festinavitque, ut eum praepararet. Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum, quem praeparaverat, et posuit coram eis; ipse vero stabat juxta eos sub arbore, cum comederent.

Haec est descriptio convivii non regalis, sed vere divini. Ac qui dialecticus et rhetor esset, haberet divitem materiam, in qua exerceret se. Neque enim frigide haec percurrenda sunt, cum certum sit, non frustra a Spiritu sancto haec describi, sed propter nos.

Abraham postquam intelligit, quod velint hi tres hospites manere, laetus festinat in tabernaculum, et instruit convivium. Certus enim est, se in hisce tribus hospitibus excipere ipsum Deum: fides igitur eum sic alacrem et promtum reddit. Haec cum in nobis non sit, ideo Abrahae sumus dissimillimi, et ad ista officia caritatis tardissimi. Si autem conscientia non dubitante, persuasum nobis esset, quod, cum excipimus fratrem aliquem, vel exsulantem propter verbum, vel alioqui calamitosum, nos Deum ipsum

excipere, ac habituros officii testem ipsum Filium Dei in novissimo die, profecto laetaremur nos quoque de hospitum adventu, nec putaremus, onerari nos. Sed impedit nos adspectus illius carnalis; invisibilem hospitem, et tamen vere praesentem oculi carnis non vident: internis oculis seu fide opus est. Haec cum in Abraha sit ardentissima, prae laetitia ingenti festinat, non incedit lentus, gaudet, occasionem sibi datam, bene merendi de fratribus, nec servorum ministerio utitur; ipse currens se dat in viam, deligit vitulum, Saram quoque festinare jubet, et placentas facere.

Haec omnia a Mose scribuntur, ut amplificaret illam gloriosam Abrahae fidem, quod indubitata conscientia persuasit sibi, se habere hospitem Deum coeli et terrae, non quidem, quod agnosceret eum, sicut postea agnovit, sed certus est, venire eum in his fratribus. Haec fides sic alacrem et promtum eum facit, et quasi zelotem boni operis. Nos quia ad haec officia tardi sumus, et ad fratrum adventum vel offendimur, vel murmuramus, haec signa sunt fidei si non mortuae penitus, tamen stertentis et nimium ignavae.

Proponenda igitur ecclesiis haec exempla sunt, et diligenter inculcanda, ne demus ingratitudinis poenas, sicut in Papatu, ubi his sanctis historiis neglectis occupati sumus mendaciis Monachorum. Sed quid Antonius, quid Franciscus, quid Dominicus sunt ad hunc Patriarcham, cujus cor ceu ignita fornax fide ardet? Ideo ad omnia officia sic est promtus.

Dixerat supra, se pauxillum panis allaturum; nunc tres promit modios lectae farinae, non illius, qua ad panem secundum, seu cibarium utebatur familia. Haec est Mosis rhetorica, qua commendat

magnificis et amplissimis verbis caritatem seu hospitalitatem, seu potius fidem Abrahae. Haec enim in his officiis lucet.

Modii mensura quae fuerit, nescio. Certum autem est, habuisse parvas mensuras Iudaeos: fuerunt enim admodum frugalis populus.

Ex numero hospitum itaque farinae modios numerat, atque sic munus suum, quod non ornaverat verbis, sed extenuaverat antea, nunc re ipsa auget, id quod liberales solent. Thrasones diversum faciunt; nam verba eorum sunt grandiora, quam opus: inflant enim sua beneficia ampullis verborum, et officia sua natura grata hoc modo ingrata faciunt. Non autem dubium est, ex historia Abrahae sententias sumsisse Salomonem, et transtulisse in suas paroemias.

Subcinericius panis fuit, ut apparet, delicatior panis, quales apud nos sunt aut similae, aut placentae, quibus in conviviis utimur. Hebraice dicitur עֻגוֹת. Usus est hac voce Psalm. 35. (v. 16.): לַעֲגֵי מָעוֹג: „Subsannatores subcinericii panis", hoc est, assentatores, qui piis illudunt, quia id eis apud potentes commodo est, a quibus invitantur, et laute pascuntur. Paulus animalia ventris vocat, sicut hodie sunt Canonici, qui non docent, non orant, non laborant in ecclesia, sed tantum vorant lautiorem panem, et suaviora vina bibunt.

Hinc nomen עוֹג pistorem significat, et est apud Mosen nomen regis Basan, hoc est, pinguedinis, quod fertili in loco habitavit, et habuit delicatissimum panem. Lautius igitur tractare voluit Abraham hospites suos, ex delicatiore farina panes jubens ad carbones facere; ipse autem festinat ad armenta, et deligit vitulum tenerum et pinguem.

Unde est illa copia verborum in Mose, qui alioqui etiam in magnis rebus verborum est parcissimus? Nimirum vult nobis exemplum sancti Patriarchae hoc modo commendare, ut nos quoque ardeamus studio bonorum operum, et, ut Paulus (Rom. 12, 10.) dicit, certemus inter nos bonis operibus, et conemur alius alium vincere officiis et benevolentia erga pauperes et exsules fratres, in quibus ipse Deus ad nos venit, quaerens apud nos hospitium.

Ideo dicit, ipsum Abrahamum currere ad armenta, non dare hoc laboris servo, et afferre non morbidam, non vitiosam ovem, sed tenerrimum et bene pinguem vitulum, ut appareat, non fuisse eum illiberalem aut sordidum hospitem: sordidi enim homines hospitum interventu turbantur, et plerunque, quae ipsi fastidiunt et vilissima sunt, eis proponunt.

Sed Abraham diversum facit, et lautum convivium instruit. Statuit enim, se Deum in hisce tribus hospitibus excepisse hospitio. Semel quidem scribuntur haec a Mose; sed dubium non est, Abrahamum quotidie sic solitum sub meridiem expectare hospites, et excipere. Qui enim certo hoc credit, in fratre exsule, et persecutionem propter verbum passo, ipsum Deum adesse, quomodo hic non uteretur summa erga hospites liberalitate?

Memineris igitur convivatoris hujus sic occupati, ut ignotis hospitibus satisfiat. Quid enim hic non faceret notis et amicis? Benigne compellat ignotos: sic eos rogat, quasi beneficium ingens dent, si maneant, et fruantur hospitio suo, promittit panis buccellam, sed promit delicatissimam farinam, et festivos panes pinsit. Pani addit saginatum vitulum, vitulo butyrum et lac. Nec, ut patremfamilias decebat, considit

ad mensam, minister adstat, intentus, sicubi desit aliquid commoditati hospitum, mature id ut corrigatur.

Unde in hoc convivatore studium, diligentia et tam officiosa haec voluntas erga ignotos hospites, quos non, ut solent pandochaei, spe lucri et quaestus suscipit, sed gratis pascit? Inde nimirum, quia cogitat, se Deo servire, dum servit egenti proximo.

Hanc fidem Abrahae vult nos Moses diligenter observare, et imitari quoque, non solum erga illos, quorum debitores sumus, nempe parentes, praeceptores, magistratus, sed etiam erga omnes fidei socios, seu fratres. Sed quia hanc Abrahae fidem pauci habent, pauci credunt, divinitus nobis parentes, praeceptores, magistratus datos et ordinatos, ideo etiam officia sunt negligentiora, aut nulla paene.

Merito igitur Abrahae exemplum proponitur a Mose ceu speculum, in quo vera officia, et omnis generis virtutes lucent, praecipue autem insignis illa fides, quod in hisce hospitibus Deum agnoscit, reveretur et colit. Haec fides caput est; sed eam in nobis varie impedit caro, quae ceu murus interpositus impedit oculos nostros, ne, sicut Abraham, in fratribus Deum agnoscamus, et tam officiose eum colamus.

Convivii locus est arbor; eam terebinthum fuisse scribit Hieronymus, et durasse usque ad Constantini tempora. Si mundi stultum apparatum aestimes, non vides hic tapeta acu picta, non aurea, non argentea pocula, ut in aulis regum: sed quid haec sunt ad illud, quod Deus et Angeli adsunt?

Tales hospites nos quoque quotidie possemus habere, nisi impediret nos nostra incredulitas. Scripta igitur sunt haec in contumeliam et opprobrium

nostrum, quod non credentes idem facimus, et statuimus, non carnem et sanguinem, sed ipsum Dei Filium cum Angelis suis apud nos hospitari, quoties exsules fratres et propter confessionem calamitosos hospitio excipimus. Haec fides si in nobis esset, sicut in Abraha fuit, unaquaeque arbor, unumquodque quantumvis exiguum tugüriolum fieret coelum quoddam, et superaret omnia omnium regum palatia. Luxus quoque, aurum, argentum et regalis splendor nihil esset ad hujus pauperis tecti ornamenta, in quo Deus cum suis Angelis assidet conviva.

Sed, ut saepe dixi, quia corda nostra non credunt, ideo ad officia haec sic tardi et pigri sumus, et sine ulla mutua reverentia inter nos. Suum instar discurrimus, obliti Paulini praecepti: „Invicem honore afficientes", Rom. 12. (v. 10.): Phil. secundo (v. 3.) et illius Augustini: Fratres, honorate Deum in vobis. Si enim qui baptizatus est, est membrum Christi, nonne, qui baptizatum excipit, Christum excipit? Sed, ut dixi saepe, impedit nos incredula nostra caro, quominus videamus hanc gloriam, eaque fruamur. Proponuntur tamen exempla haec ad corrigendam hanc naturae asperitatem, et animos ad hospitalitatem ac alia officia excitandos.

Et dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? Et dixit: Ecce, in tabernaculo.

Absoluta convivii descriptione, quo hic sol nullum unquam vidit splendidius (sunt enim convivae ipse Deus cum suis Angelis) addit Moses convivale colloquium, seu concionem, ut nihil desit huic descriptioni, et notum fiat toti terrarum orbi, non fuis-

se convivium hoc simile Monachorum, quibus silentium imperatur.

Nihil neque molestius, neque absurdius muto convivio est. Sermones enim vera condimenta sunt ciborum, si, ut Paulus (Col. 4, 6.) inquit, sint sale conditi. Verbum enim verbo acuitur, et non solum pascitur venter cibis, sed etiam animus doctrina. Pia enim colloquia refocillant animos, excitant fidem, accendunt caritatem, ac multis modis erudiunt. Valeant igitur insulsi et muti Monachi, qui in silentio cultum et sanctitatem putant positam.

Videtur Sara subdubitasse de promissione supra in decimo septimo facta, quod ipsa futura sit mater promissi seminis. Ideo Dominus eam vocat, ut praesentem confirmet in fide. Hoc enim perpetuum Dei opus est, ut Spiritu suo erudiat, illuminet et confirmet infirmos animos, non ut vel damnet, vel abjiciat propter infirmitatem.

Quaerit igitur, ubi sit Sara, ac respondet Abraham uno verbo: „Ecce, in tabernaculo est". Hoc otiosus animus legit et negligit. At Spiritus sanctus his brevibus verbis voluit proponere exemplum omnibus mulieribus, quod imitentur, ut, sicut Abraham quasi regula fidei et bonorum operum ubique proponitur, ita Sara doceat de summis virtutibus sanctae et laudatae matrisfamilias. Nota enim hujus sexus vel infirmitas, vel innata levitas est; fere solent discurrere, et turpi curiositate omnia inquirere, aut stant in foribus otiosae, captantes vel spectacula, vel sermones novos. Ideo de malis in Proverbiis (7, 11.) dicitur, quod habeant „instabiles pedes", propter curiositatem videndi et audiendi, quae tamen ad ipsas nihil pertinent. Levitas igitur in moribus, garru-

litas et curiositas in hoc sexu reprehenduntur. In Sara autem hoc in loco commendantur contrariae virtutes, idque uno verbo, quod Abraham dicit, eam esse in tabernaculo. Si enim reliquarum exemplo fuisset curiosa, prosiliisset ad fores, vidisset hospites, audivisset eorum sermones, interpellasset eos etc.; sed nihil horum facit. Occupatur suis studiis, quae oeconomia requirit, de caeteris secura est.

Sic Paulus (Tit. 2, 5.) praecipit, ut mulier sit οἰκουρος, quasi dicas, domestica, quae suae domi maneat, et sua curet. Sic gentes pinxerunt Venerem, stantem super testudine. Sicut enim testudo, quocunque repit, secum suam domum fert: ita uxor debet occupari suae domus studiis, neque longius ab ea discedere. Id non solum operae, quae hujus sexus propriae sunt, postulant, sed etiam liberorum et familiae necessitas, quae diligenti inspectione opus habet.

Magna igitur haec Sarae laus est, quod in hac occasione suas res curat, nec peccat curiositate; manet ceu testudo in sua testula, nec tantum sibi sumit temporis, ut paululum prospiciat, quos et quales habeat hospites.

Haec seu verecundia, seu continentia praestat omnibus omnium Monialium cultibus et operibus, ac debebant haec verba: „Ecce, Sara est in tabernaculo". scribi in omnium matronarum peplis. Sic enim admonerentur officii, ut caverent curiositatem, discursiones, garrulitatem, et assuescerent ad diligentem rei familiaris curam. Brevi enim verbo Moses descripsit universas virtutes bonae matrisfamilias, quae libenter domi sit, ac habeat curam oeconomiae,

ut, quae a marito comparantur, recte dispensentur ac gubernentur.

Adversarii nostri Papistae gloriantur de magnis et mirabilibus operibus; nos autem cum talia oeconomica aut politica commendamus, rident. Exigua enim haec et vulgaria esse existimant. At jejunare certis diebus, vestiri certo colore, abstinere ab esu carnium, suscipere peregrinationes longinquas etc. haec plenis buccis depraedicant, his coelum et beatitudinem promittunt. Etsi autem indigni sunt, ut ad has ipsorum nugas et ineptias respondeamus, tamen nobis prodest, haec civilia et oeconomica opera recte intelligere et aestimare. Hospitalitas est opus domesticum et civile; sed profecto anteferendum omnibus Eremitis, imo etiam jejunio sancti Ioannis Baptistae, quod tamen suscepit ex dispositione, seu ordinatione divina.

Et haec Sarae verecundia seu continentia est oeconomicum opus. Sed quae virgo vel vidua poterit cum ea conferri? Sed movet sanctulos ista conjunctio masculi et feminae, ut non solum hoc genus vitae non putent sanctum esse, sed etiam impedire sancta exercitia. Ideo enim Papa coelibatum suis imposuit. Deinde est hoc genus vitae nimis*) vulgare et omnibus commune: ideo specie omni caret, et negligitur ab his maxime, qui volunt esse sanctissimi.

Atqui oculi erant conjiciendi in auctorem politiae et oeconomiae; hoc si facerent Pontificii, profecto magnificentius de utriusque actionibus sentirent. „Deus creavit eos masculum et feminam" (1. Mos. 1, 27.). Item (ib. v. 28.): „Benedixit eis". Haec num tu exigua esse putabis?

---

*) Edit. princ. minus.

Si autem finalem causam respicias, quod et Deo paratur ecclesia, et morbus carnis tam foedus sanatur per conjugium, ac peccato praecluditur via, ne nos illaqueet, profecto haec quoque conjugium magnifice commendant.

Statuamus igitur, praestantissima et quoque Deo gratissima opera esse illa oeconomica et politica, quae Papistae ceu vulgaria et nihili contemnunt: ut enim de hospitalitate dicamus, quod, quaeso, opus inter omnes Pontificiorum cultus ei comparari potest?

Leve esse apparet, poculum frigidae dare sitienti; sed tu Christum audi, quam id commendet magnifice, et quae promittat praemia.

Iudicabimus autem idem de aliis in oeconomia, si fideles parentes liberos suos recte educent, et assuefaciant ad pietatem, si familiam per severam disciplinam retineant in officio; vulgaria opera sunt, fateor, sine specie, sine opinione aliqua sanctitatis; sed ex verbo, non ex ratione sumendum erat judicium.

Abrahae non fuisset difficile, certis diebus jejunare, id quod sine dubio fecit; sed de jejunio ejus nihil scribit Moses; voluit enim veras virtutes ejus scribere, non talia opera, quae hypocritae imitari possunt et solent.

Sed indigni sunt Papistae, quibus respondeamus prolixius. Nos igitur Deo agamus gratias, quod eruditi verbo intelligimus, quae sint vere bona opera, obedire praepositis, honorare parentes, gubernare familiam, praestare officia communia, quae fratrum necessitas postulat etc. Haec enim videmus a Mose, Prophetis, ipso Christo et Apostolis tanti aestimata, ut non puduerit eos, saepius de eis concionari et praecipere.

Viderunt enim, quos laqueos ratio ipsa sibi nectat, quibus involuta ad cognitionem verorum cultuum pervenire non potest. Nam opera hominum, seu traditiones humanae hoc perpetuo solent, ut sua specie abducant homines a veris pietatis operibus et exercitiis.

Vide enim Monachum; is fugit obedientiam omnium magistratuum, etiam parentum, non educat prolem, non laborat, erga neminem est beneficus, erga suos autem odio et invidia plenus, saginatur sudore pauperum, et tamen superbit voto paupertatis. Sed pius paterfamilias Abraham vere pauper est. Paret enim Deo vocanti in exsilium, nusquam habet certum locum, et quanquam benedixit ei Deus, tamen inter incredulas gentes omni hora exspectat incursiones, vim, rapinam. Socia ejus Sara volens in exsilium sequitur maritum, curat familiam et domum, officiosa est erga vicinos, erga maritum obediens.

Hae sunt summae virtutes, quarum nihil simile est in omnibus traditionibus humanis. Ergo discite eas magni facere, et tanquam Dei ordinationes anteferre humanis traditionibus, quantumvis splendidis et speciosissimis. Hae enim corrumpunt fidem et ordinationes Dei, et cauponum instar miscent vinum aqua.

Observemus igitur exemplum hoc, quod Sara praedicatur sollicite facere officium suum domi suae. Nam materfamilias si cupit placere et servire Deo, non faciat, quae in Papatu solent, ut discurrat ad templa, jejunet, preces numeret etc. Sed curet familiam, educet et doceat liberos, faciat opus in culina, et si quid simile est. Haec si facit in fide Filii

Dei, et sperat, se propter Christum Deo placere, sancta et beata est.

„Quos Deus conjunxit“, inquit Christus (Matth. 19, 6.), „homo non separet“. Ideo disjunctio, seu coelibatus, qualis in Papatu est, ex Deo non est. E contra officia, quae illa divina conjunctio requirit, sancta et vere bona opera sunt, utcunque in speciem levia et vulgaria esse judicentur. Ubi enim est vera erga Deum obedientia in fide, ibi, quicquid vocatio exigit, sanctum et Deo gratus cultus est. Quodsi qui vel viduitatem vel virginitatem magis amant, et conjugio sine peccato carere possunt, hi id faciant, sic tamen, ne ideo oeconomiam et politiam damnent. Sunt enim vitae genera divinitus ordinata et instituta.

Glorientur igitur Monachi et Moniales de suis operibus. Marito satis sit, si recte praesit domui suae, uxori satis sit, si liberorum curam agat nutriendo, lavando, sopiendo, si marito obediens sit, et domestica curet studiose. Haec longe omnium Monialium opera excedunt, de quibus tamen mire superbiunt.

Haec enim pestis traditiones humanas sequitur, quod animi securi fiunt, et praesumunt de sanctitate. At pia materfamilias non superbit; vexatur enim et humiliatur varie, dum infinitae molestiae objiciuntur a familia, marito, liberis, vicinis etc. Itaque occasiones nusquam desunt exercendae, tum fidei, tum invocationis. Sed satis haec sint de Sarae exemplo; pergamus ad reliqua.

Et dixit: Certo revertar ad te juxta tempus vitae, et ecce, filius erit Sarae, uxori tuae.

Haec est thema concionis, seu colloquii convivа-

lis, quod simul et gravissimum et suavissimum est. Neutiquam autem tam paucis se absolvit Deus. Moses tantum capita colloquii indicat, non pertexit totum, sicut Evangelistae quoque faciunt. Nam quod Christus in ultima coena dicit (Ioh. 16, 5. 7.): „Ego vado ad patrem, ét mitto vobis paracletum", id sine dubio copiosa et longa oratione exposuit.

Ad hunc modum Abrahae hospites egerunt ei gratias, quod sic liberaliter ipsos paverit, ac reddituri gratiam promittunt, seredituros, ac futurum, cum redibunt, ut Sara sit puerpera, et habeat filium Isaac: hoc quid potuit majus, laetius aut gratius his conjugibus contingere?

Particula כָּעֵת חַיָּה, juxta tempus vitae, fere omnes interpretes offendit. Hebraei in eam sententiam accipiunt, quod promittat Abrahae et Sarae vitam certam, ut sit sententia: cum revertar, vivetis ambo adhuc. Sed si haec sententia est, nihil nisi tautologia et inutilis repetitio est. Quando enim dicitur: „Crescite et multiplicamini", tunc praesupponitur vita. Sic cum dicat: „Sara habebit filium", simul vitam certam Sarae promittit: sic mortuus Abraham non generabit. Quia autem promittitur ei generatio, simul irrefragabili consequentia promittitur ei vita.

Alii judicant, referendum non ad parentes, sed ad promissum filium, ut sit sententia: „Revertar juxta tempus vitae", hoc est, post tantum spatium, quantum requiritur, ut vivat infans in terra. Haec potior et aptior sententia est, si eam evolvas. Sententia enim est: Ego dico, sic nasciturum filium ex Sara, ut sit naturalis filius, sic natus, sicut ex juvencula aliqua nascitur soboles, ne quis suspicetur,

creandum ex massa carnis Sarae sine concursu naturali. Concipiet ex marito, et naturali ac usitato tempore gestabit fetum in utero, ut sit verus filius.

Adam ex terra creatus est, sed non ideo potest dici terrae filius. Aliud enim est creari ex terra, aliud nasci ex terra. Sic etsi Eva ex costa Adae est condita, non tamen potest dici filia costae. Et si Deus ex ligno faceret hominem, lignum non posset dici pater hominis. Ad hunc modum si Deus miraculose ex vetula Sara condidisset Isaacum, non fuisset filius secundum vitae tempus. Quod igitur dicit: „Revertar juxta tempus vitae", idem est, ac si dicat: secundum morem, quo solet infans vivificari in utero et nasci, ita vivificabitur et nascetur Isaac quoque.

Physici dicunt, fetum quinto mense a conceptione incipere vivere et moveri, et aliis quinque mensibus absolvi ad partum: idem, inquit Dominus, fiet cum Isaac. Atque hoc modo excludit singularem et miraculosam nativitatem, qualem effeta Sara cogitare potuit.

Ad hunc modum ut servaretur communis cursus naturae, virgo Maria gestavit Christum usque in mensem decimum: eo toto tempore accepit nutrimentum ex guttis sanguinis matris, per Spiritum sanctum sanctificatae, sicut alii embryones.

Hoc modo igitur intelligi praesens particula potest de tempore, ut excludatur exspectatio miraculi, et credatur Isaac verus filius Sarae, legitimo modo generationis humanae natus ex Abrahamo et Sara. Ideo epistola ad Hebraeos dicit (11, 11.), Saram fide impetrasse virtutem concipiendi, ut intelligas, ex Abraha gravidam factam secundum communem naturae cursum, non per miraculum, sicut virgo Ma-

ria, quae etiam in utero concepit: sed de suo proprio semine, non de semine viri, obumbrante eam Spiritu sancto.

Nos in translatione Germanica retulimus hanc particulam neque ad prolis, nec ad parentum vitam, sed ad Angeli loquentis. Quia enim humana ista usurpant, assumunt corpus, loquuntur, incedunt, sedent, comedunt, etiam hominum more solent loqui, ut sit juxta tempus vitae, ac si dicas: Si vixero. Sic enim nos solemus loqui de futuris, ut hanc conditionem addamus, si Deus concesserit vitam, si Deus voluerit.

Pertinet autem exemplum eo, ut discamus reverenter de Deo loqui. Nunc liberum est lectori sequi sententiam, quam volet: mihi media aptissima videtur. Magnum autem impedimentum nobis objicitur, quod, postquam Hebraicae linguae usus intercidit, tropi et figurae minus possunt intelligi. Veniam igitur nobis dabit hac in parte non contentiosus lector.

Et Sara hoc audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post illum; et Abraham atque Sara erant senes, venerantque in dies, et cessaverat fieri Sarae via secundum mulieres. Risit igitur Sara apud se dicens: Postquam inveteravi, erit mihi voluptas? Et Dominus meus consenuit.

Apparet, mensam fuisse sic positam, ut a tergo hospitum esset tabernaculum: id non, sicut apud nos moris est, foribus fuit occlusum, sed apertum. Itaque exaudire facile Sara potuit, quae dicebantur, cum staret in ostio, exspectans, si quid mandaret maritus Abraham. Dicit autem textus, risisse eam ad

hoc, Dei vaticinium de filio nascendo. Non enim credere potuit, hoc futurum esse, tum propter verecundiam, tum etiam, quod sequitur: „Erant ambo senes, et processerant in diebus suis“, hoc est, paene absolverant dies suos, venerant (ut dicimus Germanice) ad occasum, es war mit ihnen auff die Neige kommen. Erant vicini jam morti; ideo non credidit, sed risit.

Desierat quoque ei fieri secundum viam mulierum. Hoc adolescentes non intelligunt. Discendum tamen est, quod Deus masculis et feminis indidit semen ad propagationem, uni plus, alii minus, uni fortius, alii infirmius. Non enim generatio alio modo fit, quam per seminationem. Habet enim semen suum femina, et habet semen suum masculus. Experientia autem notum est, quod feminae, quae mensibus carent, steriles sunt. Hoc muliebre cum pateretur Sara, ad concipiendum apta erat. Sed cum desiisset id pati, dicebat: Ecce, Deus conclusit uterum meum; ac tradebat marito Hagar, ne impediretur promissio. Hac cogitatione nunc impeditur fides, ut non credat, se parituram. Sed veniale hoc ejus peccatum est propter hosce nobilissimos hospites et gratos. Zacharias non credens Angelo punitur certi temporis silentio (Luc. 1, 18—22.). Sed Sarae nihil ejusmodi accidit, condonante Domino infirmitatem. Quamquam etiam hoc ipsum, quod Sara risisse intra se scribitur, continentiae et castitatis singularis argumentum est. Invenies cadaverosas vetulas lasciviores, quam juvenculas. Talis Sara non fuit: ea, dum spes prolis relicta fuit, consuevit cum marito, exspectans benedictionem Domini; sed postquam hanc spem aetas evertit, abstinuit a consuetudine mariti, et ex Hagar

ex-

expectavit prolem. Haec castitas neutiquam exigua virtus est, ubi e contra admiratores virginitatis et coelibes uruntur et polluuntur dies ac noctes. Sed castitas Sarae sine specie et sine gloria est coram mundo; est enim tecta et abscondita vili operculo, quia est mulier maritata. Hoc operculum decipit coelibes, ut castitatem tam insignem videre non possint, nec credere, quod verum sit, quod dicit: „Eritne mihi amplius delectatio seu voluptas"? Sunt autem haec quoque verba excellentis verecundiae et pudoris. Iudaei tantum de circumcisione magnifice sentiunt et loquuntur; sed haec exempla digna erant, quae omnibus matribusfamilias proponerentur, sicut quidem a Spiritu sancto certo consilio annotata sunt.

Neque negligendum est, quod verecundissime et reverenter dicit de marito, senuisse eum, et dominum appellat, non virum aut maritum. Commendat autem his verbis etiam mariti continentiam, et declarat suam erga ipsum observantiam.

Ac celebratur hic locus singulariter a Divo Petro (1. Pet. 3, 6.) in sua Canonica, ubi hortatur pias matresfamilias ad pietatem et honestatem; est enim Sara illustre exemplum non unius aut alterius virtutis, sed omnium. Describitur sollicita servare domum, non curiose discurrere, et captare novos rumusculos de vicinis. Agit familiae curam sedulam, deinde caste vivit cum marito, quem non ut maritum habet, sed ut dominum colit et observat. Haec si praestet materfamilias, quid poterit in ea reprehendere maritus moderatus? Sed, proh dolor, paucae in hanc curam incumbunt, sunt insolentes, superbae, litigiosae, maledicae, rebelles, inflatae opinione sapientiae. Itaque dominae, non uxores haberi volunt,

Haec autem quantum absunt ab hoc Sarae exemplo? quod merito Petrus praedicat, hocque loco rectius utitur, eumque melius intelligit, quam omnes Rabbini, qui sicco pede verba haec praetereunt tanquam otiosa et inutilia.

Sed Petrus vult, ea esse exemplum et ceu speculum, in quod omnes sanctae et electae mulieres intueantur, sperantes ipsae quoque in Deum, et placentes maritis suis exemplo Sarae. Non recitat Petrus monstrosa opera, qualia Monialium sunt, peculiariter vestientium et subducentium se a communibus hujus vitae aerumnis et periculis etc. „Vestros viros, inquit, honorate, sicut Sara, quae maritum appellat cum summa reverentia dominum" (1. Pet. 3, 16). Haec igitur vera laus est matrisfamilias: sperare in Deum, et revereri maritum, nec possunt hae virtutes ullis verbis pro dignitate ornari.

Sed cur Petrus addit de spe in Dominum, cujus hic Moses mentionem nullam facit? Haec vero per omnem vitam varie ceu lucidissima stella emicuit. Cogita enim, quae Abrahae fuerit vocatio? Iubetur deserere patriam, in terra Canaan nullo certo loco aut sede tanquam mendicus errat, hoc anno hic, alio alibi cum suis inter gentes commoratur. In his tantis difficultatibus casta Sara non solum maritum sequitur, sed etiam reveretur ceu dominum. Invenires, quae offensa laboribus et periculis aut cogeret maritum ad certam sedem eligendam, aut se ab eo avelleret. Sed Sara retinet spem in Deum, ejus verbum sequitur, et quanquam dura sunt, quae in tam longinqua peregrinatione objiciuntur, tamen spe auxilii divini certa ea vincit. Merito igitur ponitur in exemplum omnibus matribusfamilias: nihil enim hic levi

vides, nihil scurrile audis; omnia sunt grandia, omnia decent, omnia ad normam verbi composita sunt.

Notanda autem et observanda haec diligenter sunt propter fanaticos doctores, qui non solum docent electicia opera et cultus, sed etiam ea anteferunt divinitus mandatis operibus. Nullum Papistam unquam audivisti, qui similes historias vel commendaret, vel admiraretur. Hoc omnium commune verbum fuit: in hoc geneseos libro nihil scribi, nisi concubitus Iudaeorum. Sed an non porcorum oculos habent, qui maximas virtutes caeci praetereunt, et tantum haerent in motu libidinis?

Ostendunt igitur, qualia habeant corda: otio et saturitate diffluunt; ideo non possunt non insanire libidine, et tamen impurum et varie pollutum coelibatum laudare non desinunt. Hujusmodi autem virtutes, quas Spiritus voluit celebrare suo calamo, negligunt, aut etiam vituperant, sicut conjugium varie in Papatu infamatum et vituperatum fuit.

Admonenda igitur juventus sedulo de his oeconomicis virtutibus est: si qui donum continentiae habent, ut sine conjugio possint caste vivere, hi sane fruantur ea commoditate, et ab uxore abstineant. Caveant autem ceu summum venenum, ne vel se ob continentiam conjugatis anteferant, vel conjugatos damnent. Conjugium enim divinitus institutum est, et conjugum vita, si sint in fide, merito anteponitur his, qui miraculis sunt insignes.

Haec perpetua scripturae et consentiens sententia est. Nam post fidem nihil audis de Abrahamo, quam quod sedet in tabernaculo, fovet et excipit peregrinos; deinde agit sua negotia. Sic Sara coquit, facit butyrum, caseos, saginat pecudes etc. Servilia et an-

cillaria sunt haec opera, fateor; et tamen proponuntur a Spiritu sancto in exemplum.

Quodsi Papistae haec contemnunt, et deligunt sibi alia bonorum operum exercitia, sumtuosa, difficilia, ardua, fruantur sua insania, et pro stercore oeconomica officia habeant. Nos autem statuamus, si fides accedit, illa servilia opera aestimari pretiosiora omni auro, et excellentiora quocunque coelibatu sine fide.

Certe Spiritus sanctus iis coloribus pingit sanctam dominam Saram, ut appareat, eam in copia conjugii castitate vincere virgines. Magnum igitur peccatum est, quod Papistae Patriarcharum conjugia insectantur, quae non solum castitatis, sed omnium aliarum virtutum pulcherrimae officinae sunt. Haec diligenter notanda sunt ad fanaticorum opiniones convellendas.

Dixitque Deus ad Abraham: Quare risit Sara dicens: „Numquid vere paritura sum, quae consenui? Numquid Deo est quicquam mirabile? Iuxta praefixum tempus revertar ad te, juxta tempus vitae, et Sarae erit filius.

Haec inducit Spiritus sanctus ad confirmandam fidem hujus sanctae et castae matronae. Nondum enim credit nec sperare potest, impedita carnis cogitationibus, se habituram filium ex marito sene. Est eo contenta, si sit mater adoptivi filii, in spe autem concipiendi et pariendi prolem penitus est mortua.

Necesse igitur est, ut audiat verbum, quo ceu in vitam resuscitata resurgat in spem fecunditatis. Vere enim verbum est vox suscitans ex morte. Mors

autem est, quod Sara judicat, se esse cadaver. Haec cogitatio per verbum corrigitur, et cadaver ceu revocatum ex morte iterum vivere incipit. Igitur ad exsuscitandam fidem omnia haec fiunt.

Dixi autem saepius supra, maximum exemplum singularis patientiae in Sara esse, quod potuit ferre exsilium tam longum, et secuta est cum summa voluntate maritum: item, quod sterilis exsistens potuit ferre, ut maritus cum ancilla concumberet. In his difficultatibus quia se spe sustentat, ideo audit vocem incredibilem, qua cor novo lumine ceu illustratur et accenditur, et condonatur ei ista infirmitas propter infinitas cruces, quas spe et patientia superavit.

Agebat jam annum octuagesimum nonum, ac sperans tot annis benedictionem Domini, cum spem frustra esse videt, resignat omnia Deo, et tamen non desperat penitus. Inde fit, ut Dominus infirmitatem ejus toleret, et risu non offendatur, qui ex cogitatione de impossibili nascitur. Quid enim sterilis et effeta speraret amplius? Inducit igitur Dominus eam ad fidem per suavissimam correptionem.

Porro supra dixi, non solum Saram, sed ipsum quoque Abrahamum hos suos hospites judicasse, quod essent peregrini, neque vel de Angelis, vel Prophetis cogitasse. Cum igitur prolem promittunt, cogitavit Sara, quis hoc illis diceret? Loquuntur non ex affectu, sed ad gratiam, quod putant mulieres libenter talia audire.

Sic cogitavit ridens Sara. Sed postquam audit, illum loqui, qui omnia videt et praesentia habet, ibi nascuntur Sarae novae cogitationes; sentit enim, non simplices esse hos viros, sed plenos Spiritu sancto, qui videt occulta cordium, eaque revelat.

Est igitur convivalis haec et suavissima correptio, ex qua Sara hos Dei viros et Prophetas esse judicavit, quia vident absentis risum et cogitationes. Ac admonita Sara tam graviter de Dei potentia, quod nulla res apud eum vel mirabilis, vel, ut Lucas (1, 37.) reddit, impossibilis sit, non amplius vaticinium de nascituro filio contemnere potest. Hic enim cogitationes ipsius captae et conclusae sunt, cum audit rem coram mundo mirabilem et plane impossibilem, sed Deo facillimam, imo vulgarem, communem, quotidianam esse, si similia ejus opera spectes, et non mirabilem.

Haec violenta argumenta, quae quasi uno ictu omnia, quae objici possunt, jugulant, ego valde amo, non rhetorica illa, qualibus videmus indoctos Papistas uti: sicut cum de Eucharistia disputant, dicunt, ecclesiam habere facultatem ordinandi de talibus, ut laici tantum unam speciem sumant. Morbosae et languidae tales rationes sunt, sicut Paulus (1. Tim. 6, 3. 4.) dicit: „languere circa quaestiones et pugnas verborum".

Sed illa axiomata, quae uno impetu adversarium opprimunt, et multa conanti dicere, quasi spiritum praecludunt, ea valent, et docent vere eruditos, ut, cum dico ad Papistam: Quid mihi, blatero, commemoras pericula et incommoda, si laicis etiam calix praebeatur? textum in coena mihi vide, Christum, qui coenam instituit, audi etc. Haec una ratio ceu aries evertit, quicquid Papistae de hoc negotio possunt disputare.

Non igitur sufficit, rhetorem esse. Rhetor oportet ut sit dialecticus, ut judicet inter dignitates seu axiomata (ita enim vocant firmas, certas et veras

sententias) et εἰκότα. Stante petra hac axiomatis certi et firmi, postea recte adduntur rhetorica illa, quid facile, difficile, commodum, incommodum, honestum, turpe sit etc.

Omnes Papistarum disputationes versantur intra istas metas, quid liceat, quid expediat, quid oporteat; inde exstruunt non solum periculosas, sed etiam blasphemas sententias de ecclesiae auctoritate, quod sit supra verbum, etc. Sed appone tu axioma: Christus est caput ecclesiae, et statim corruet, quicquid magno labore exstruxerunt adversarii.

Etiam in moralibus negotiis axiomata sunt quaerenda. Censorinus ille apud Gellium libro primo, capite sexto, persuasurus conjugium adolescentibus, non urget illa trita et nota: altius attollit oculos: si possemus, inquit, sine uxoribus vivere, magna careremus molestia. Fatetur conjugum vitam molestiis, laboribus, periculis variis et infinitis plenam; sed omnia haec illo axiomate praecidit, quod dicit: Non possumus carere mulieribus.

Morbosae et languidae sunt rationes aliae omnes. Haec una firma est, et auditorem nolentem*) ducit, quod conjugio carere non possumus. Quomodo enim consistent respublicae, si conjugia nulla sint? Ad defensionem conjugum et liberorum hominibus opus est; hi nascuntur non ex lignis, non ex lapidibus, sed ex mulieribus etc.

Sed in theologicis materiis maxime talibus firmis et certis rationibus debemus uti. Animus tuus tentatur incredulitate; dubitas, an possis salvari; agnoscis enim te peccatorem. Hic pius frater, qui te vere consolabitur, non utetur Pontificiis et ficulneis

*) Edit. princ. volentem.

argumentis, ut hoc aut illo opere quaeras conscientiae mitigationem; sed verbum Dei tibi proponet. Deus, inquiet, verax est, is promittit, se propter Filium tibi propitium fore. Filius autem Dei te absolvit verbo suo ab omnibus peccatis, baptisavit te, promisit tibi vitam aeternam, si credas, hoc est, si ipsius mortem statuas redemtionem tuam esse. Aut igitur Deus verax erit in verbo suo, aut tu es mendax, qui dubitas, postquam per Filium Dei haec tibi promissa sunt, de remissione peccatorum tuorum. Hoc axiomate jugulatur dubitatio.

Opus autem est, ut simus hac in parte bene muniti contra adversarium nostrum, Satanam. Is enim callidissimus disputator et optimus rhetor est. Peccata tua inflat, Dei iram immodice auget, congerit exempla irae innumera, etiam istorum, qui initio recte crediderunt, et tandem lapsi sunt. Nisi igitur opposueris verum axioma, quod Filius Dei pro peccatoribus sit mortuus, quod credentes in ipsum victuri sint vitam, quam ipse vivit; alia omnia, quae vel dici vel cogitari possunt, sunt rhetoricae rationes, languidae et morbosae. Hoc autem axioma et dignitas est: „Deus est verax, omnis autem homo mendax“ (Rom. 3, 4).

Igitur invoca Deum, apprehende verbum ejus, amplectere victimam Christum, qui pro tuis peccatis satisfecit, et mortem tuam in se transtulit ac vicit, nec moveat te, quod sis peccator. Mandatum Dei vide, qui vult, te amplecti Filium, ac jubet, ut credas. Huc oculos flecte; quid de aliis factum aut futurum sit, ne quaeras; de te vide, ut huic mandato satisfacias etc. His animus aeger reficitur et confirmatur. Pontificia illa de eleemosynis, de redimendis Missis

et invocandis sanctis sunt sophisticae rationes et ficulnea argumenta, quibus qui nititur, decipitur.

Audivi aliquando D. Henningum jureconsultum cum erudito, eloquenti et acri adversario disputantem de magna causa. Cum igitur adversarius magnum legum acervum protulisset, et causam suam, quam poterat optime, communivisset, Henningus moderate et amice eum compellabat, licere ei, tota legum volumina afferre. Sed etiamsi transvolare montes, inquit, posses, et in imo aquarum incedere, tamen, si de hac proposita causa voles mecum agere, huc, inquit, descendas necesse est, ostendens, quis rei scopus esset; atque hoc uno verbo hominem facundum et eruditum compescuit, ac quasi prostravit.

Ut autem magna parvis comparem, et divina humanis, ad hunc modum Sara quoque violento argumento sic capitur, ut nusquam se possit vertere. Cogitat quidem: sum sterilis anus, ut pariam in hac extrema aetate, prorsus impossibile est; sed haec cogitatio tam firma non est, quin excutiatur in isto fulmine: Quid apud Deum mirabile aut impossibile? Qui enim hominem ex limo terrae condidit, is prolem naturalem ex semine maris et feminae facere non posset? Dicuntur igitur haec ad confirmandam fidem Sarae, ut audiat et intelligat et sciat, hos suos hospites non simpliciter homines, sed Dei homines et Prophetas esse, in quibus habitet Spiritus Dei, id quod hactenus nesciverat Sara.

Sub finem repetit Angelus verba supra explicata de tempore vitae. Haec non otiosa tautologia est, ut judicant imperiti, sed pertinet ad confirmationem promissionis et fidei audientium, ac perinde est, ac si audias duos testes de una re dicentes testimonium.

Negavit autem Sara dicens: Non risi. Timuit enim; et ille dixit: Non est ita, sed risisti.

Sara cognoscens Dei Prophetam ex eo, quod occulta cordis noverat, non amplius ridet, sed perterrefit, et addit sancta mater peccatulum, ac dicit, se non risisse, cum tamen risisset. Sed hoc ipsum peccatum veniale est, quia est timens Dei, obediens Prophetis ac morigera marito. Timore enim Domini perterrita negat, se risisse, non contemtu aliquo aut superbia, ac serio jam dolet, vocem Prophetae Dei risu á se acceptam. Hoc per timorem dolet, et in isto timore aliud peccatum committit. Refutatur autem graviter, sed brevibus: „Non est ita, risisti", quasi dicat: prius ridendo, nunc mentiendo peccas.

De operibus oeconomicis et politicis saepius dixi. Assuefacienda enim diligenter juventus est, ut observet opera a Deo mandata, ac ea longissime discernat ab electiciis, seu humanis operibus. Nisi enim hoc fiat, et quidem diligentissime, discrimen boni et mali non solum tollitur, sed pro sanctissimis amplectemur, quae sunt nocentissima, et vere abominatio coram Deo.

Achas idolo immolat filium, ac se Abrahae similem sanctitate putat, cum sit turpissimus homicida. Quia enim non respicit ad verbum et mandatum Dei, quod solum verum et aeternum operum κριτήριον est, amplectitur pro vita mortem, pro medicina salubri venenum exitiale.

Exclude igitur animo atque oculis speciem, et vide, quid praeceperit Deus; illud fac, et non errabis, etsi in speciem exiguum, vulgare et leve sit

Antonius secedit in eremum, Hieronymus migrat ad sancta loca, hortatur ad virginitatis studium. Haec magna mundus esse existimat. Quod autem Sara hospitibus parat cibos sollicita ad focum, non solum boni operis speciem nullam habet, sed videtur bona opera impedire. Sed respicienti ad verbum apparebit, Saram omnibus eremitis sanctius fecisse opus.

Utiliter dividitur haec vita in tres ordines. Est enim alia vita oeconomica, alia politica, alia ecclesiastica. In quocunque igitur ordine fueris, sive sis maritus, sive magistratus, sive doctor ecclesiae, circumspice, an satisfeceris plene vocationi tuae, nec opus sit deprecatione, vel negligentiae, vel fastidii, vel impatientiae. Quodsi ita administrasti tua, ut nihil opus sit dicere: Dimitte nobis debita nostra, tunc sane abi in eremum, et exerce te illis sic splendentibus et difficilibus operibus.

Omnis igitur error Papistarum in eo est, quod hujus vitae vulgaria officia, quae in decalogo praecipiuntur, judicant esse facilia, quae perfecte impleant. A decalogo igitur ad consilia tanquam ad altiorem gradum adscendunt, laudant Anachoritas; Abrahamum sedentem in ostio, et exspectantem hospites indignum ducunt, cujus meminerint, aut quem imitandum proponant.

Sic parum est Papistis, baptisatum esse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; perfectius, et coelo, ut sic dicam, propius aliquid tentandum existimant; ideo abdunt se in monasteria, legunt Missas etc. Sed quomodo conveniunt haec cum scriptura? An non Antonius eremita revocabatur Alexandriam ad coriarium, ut disceret, quem locum esset habiturus in coelo? Si figmentum id est, non re-

pugno; modo fateantur Papistae, in sua ecclesia id natum et praedicatum et creditum. Sed utcunque sit, res certa est, coriarium hunc baptisatum tam fuisse Deo gratum facientem suum opus in fide, quam Antonium affligentem se et orantem.

Haec ad claudendam hanc historiam putavi necessario addenda, ut discat juventus, electicia opera fugere, et summo studio occupetur iis, quae vocatio affert et exigit. Ea enim sunt divinitus praecepta, atque ideo vere divina sunt, sive ut discipulus discas literas, sive ut ancilla verras scopis domum, seu ut servus cures equos, aut alia. Monachus quidem vivit durius, vestit sordidius: sed quod Deo serviat, hoc nunquam in aeternum poterit vere dicere, sicut illi possunt, qui aut oeconomiae, aut politiae, aut ecclesiae serviunt.

Et surgentes viri illi inde adspexerunt adversus Sodomam, et Abraham ambulabat cum eis, ut eos dimitteret.

Audivimus suavissimam historiam, quomodo Angeli missi ad Abrahamum sint, et promissus ei denuo ac sine ambage aut circuitione aliqua sit filius ex uxore Sara, et quam liberaliter Abraham eos exceperit, ac Sara quoque ad fidem traducta sit, ut crederet ipsa quoque, se matrem fore. Hac igitur ineffabili Dei facilitate erga Abrahamum descripta, nunc additur alia amplior significatio benignitatis Dei, ut discamus, quam sit Deo gratum tum officium, tum sacrificium, audire verbum, et suscipere cum reverentia. Talibus enim, ut videmus hoc in loco, insinuat se Deus, non ut judex et dominus, sed tanquam amicus et familiaris conviva. Qui autem ver-

bum contemnunt, qualis erga hos Deus sit, tristis et horribilis historia, quae sequitur, ostendit.

Moses Angelos vocat hic tres viros: sic enim Sara et Abraham judicabant esse Prophetas Dei, expulsos in exsilium propter verbum. Ac Abraham ut ostendat reverentiam suam erga verbum, non solum pascit laute et liberaliter hospites hos, sed pastos propter amorem verbi et timorem Dei comitatur, deducens eos in viam, qua itur ad Sodomam.

Proponuntur autem haec quoque nobis in exemplum, ut discamus revereri, et omni officiorum genere colere Prophetas Dei, seu ministros verbi. Sed quomodo hoc faciat mundus, et quae ingratitudinem hanc sequantur poenae, jam dudum his miseris temporibus didicimus: nondum autem est finis.

Dixit autem Dominus: Num occultabo ab Abraham, quae ego facio? Et quidem Abraham futurus est in gentem magnam atque robustam, et benedicentur in eo omnes nationes terrae.

Conferendi sunt loci. Paulo ante dixit, surrexisse tres viros: hic dicit, Dominum יְהוָה locutum esse. Tres viros vocat secundum sensum Abrahae; ita enim is judicabat esse homines, sed homines Dei et sanctos: quod Angeli essent, non cogitabat; Deum autem dicit locutum communi scripturae phrasi, quia divinitus missi Angeli non suum, sed Dei verbum afferebant.

Respondi autem supra ad Iudaeorum cavillum, ridentium nostros, quod hoc testimonio utantur ad confirmandum articulum de Trinitate. Non sumus autem tam stulti aut indocti, ut dicamus, hos tres

viros esse Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum in sua substantia, sicut non dicimus, humanitatem Christi esse substantialiter Deum. Hoc nobis dixisse satis est, his tribus viris significatam divinitatem, quam Abraham agnovit et credidit. Illuminatus enim Spiritu sancto ac fide plenus vidit diem Christi, Ioh. 8. (v. 56.). Sicut autem credidit Trinitatem Abraham, ita haec ei repraesentatur foris in specie trium virorum, qui tres viri non quidem sunt tres personae divinitatis, sed signa, seu apparitio divinitatis in Trinitate, quanquam Abraham adhuc in ea opinione est, esse sanctos homines, qui exsulent propter professionem verae religionis.

Etsi autem Angelos esse ignorat, tamen statuit, in hisce tribus, inter quos unus loquebatur, reliquis consentientibus, se audire Deum in sua substantia unum et in personis trinum. Haec mea de hoc loco sententia est; qui volet, acutius de eo disputet, modo ne impingat. Sobrie enim haec attingenda sunt.

Ego sequor primum scripturae auctoritatem, quae Deum loqui dicit, cum loquuntur vel Angeli, vel sancti homines ex Dei vel mandato, vel revelatione. Deinde testimonium epistolae ad Hebraeos non judico negligendum. Clare autem dicit, aliquos ignorantes hospitio excepisse Angelos (13, 2.). Nec impedit, quod divinos honores eis exhibet Abraham; agnoscit enim in eis Deum, et verba eorum sic audit, ac si ipse Deus loqueretur. Sequitur enim communem regulam, non videndum, quis loquatur, sed quid? Si enim Dei verbum est, quomodo non praesens esset ipse Deus? Sicut in Baptismo, in Coena, in usu clavium praesens est; est ibi verbum ipsius. Etsi igitur eum non videmus nec audimus, sed mi-

nistrum, tamen ipse Deus revera adest, baptisat et absolvit. Ac in Coena singulariter sic adest, ut ipse Filius Dei nobis cum pane corpus suum, et cum vino sanguinem suum exhibeat.

Ista quasi praefatio, quam Dominus praeponit: „Num occultabo ab Abrahamo, quae faciam", habet suavem significationem singularis benevolentiae. Fuit autem ea opus ad confirmandum Abrahamum, alioqui illa divinae irae commemoratio enecasset eum. Eodem pertinet repetitio promissionis de semine, et benedictione omnium nationum terrae. Hanc enim nisi ex Deo initio audivisset Abraham, et posteritatis et suae salutis spem in tam horribili spectaculo abjecisset.

Singularis igitur benevolentiae argumentum est, quod affirmat Dominus, se non posse quicquam celare Abrahamum. Deum haec ita dixisse Moses dicit, cum tamen Angelus dixerit, phrasi scripturae. Sic enim Prophetae quoque in concionibus suis loquuntur: Haec dicit Dominus. Additur autem alia causa.

Hoc quoque scio, quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam atque judicium, ut adducat Dominus super Abraham omnia, quae locutus est ad eum.

Noluit Deus, id quod dignissimum admiratione est, istam horribilem sententiam ferre super quinque civitates, nisi prius totum negotium revelaret Abrahae. Quod igitur in gentilium libris inveniuntur exempla civitatum eversarum incendio, terrae motibus, aut aliis occasionibus, videmus, quae de talibus

exemplis sapientum judicia sint. Fere omnia tribuuntur secundis causis, neque solet adscendere ratio altius. Sed conflagratio quinque civitatum revelatur hoc in loco Abrahae, ut intelligas, hanc ipsam singularem calamitatem poenam fuisse inflictam propter peccata hominum ab irato Deo.

In hac cognitione tantum positum est, ut Dominus velit, famam hanc spargi ad posteros, ac in perpetuum celebrari, aliis scilicet in exemplum, ut discant timere Deum, et peccata istiusmodi fugere, quae tanti mali fuerunt occasio: sicut etiam misericordiae exempla, ut liberationem ad mare rubrum, voluit Dominus celebrari. Talibus enim monitoribus opus est in hac vita. Pii, qui gravantur cruce, ac varie laborant et gemunt, opus habent promissionibus, quibus erigantur. Contra indurati et pertinaces ac securi irae exemplis terrendi sunt in eum finem, ut, sicut hoc in loco dicitur, discant timere Deum.

Porro naturaliter rapiuntur animi eo, ut nolint corripi. Promissiones laeti amplectimur omnes, nec iis offendimur: sed praedicatio legis terret, et quasi in furorem agit homines. Ideo Prophetae occisi sunt, non quod docerent benedictiones Abrahae promissas, sed quod malos mores et idolatriam damnarent, et revocarent populum ad sobrietatem et timorem Dei. Sicut nos quoque non ideo odit mundus, quod docemus evangelium, et beneficia Christi pure proponimus; haec pariter omnes accipiunt et probant, nisi manifeste sint impii: illud autem caput mali est, quod collationem addimus doctrinae adversariorum, quod dicimus, Pontificem esse Antichristum, quod redarguimus et doctrinam, et scelera Pontificiorum.

Sic

Sic Christus quoque dicit, Ioh. 7. (v. 7.): „Me odit mundus, quia do testimonium, quod mala sint opera eorum“. Sed ira haec et indignatio mundi nihil movere doctores debet. Audis enim hic mandatum Dei, quod talia horribilia Dei judicia sunt inculcanda, praesertim iis, quorum adhuc infirmi animi et ad peccatum proni sunt.

„Praecepturus, inquit Deus, est Abraham haec filiis suis“, hoc est, in sanctorum ecclesia debent hujusmodi historiae celebrari et retineri. Sicut Paulus, 1 Corinth. 10. commemorat poenas inflictas populo, antequam venirent in terram Canaan, ac addit, in figura illis haec accidisse, ac nobis exemplo esse debere, quasi dicat: Punivit Deus hoc modo peccata istius populi, sed ad nos exemplum pertinet, ut similia peccata discamus fugere. Et Rom. 15. (v. 4.): „Quae scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt“.

Praedicanda quidem est gratia et remissio peccatorum, sed his, quorum sancti animi et afflicta pectora sunt. Qui autem securi sunt, et timorem Dei prorsus abjecerunt, his plagae et ira Dei proponenda est, ut admoniti aliorum exemplis peccare desinant. Hoc est enim, quod ad doctrinam nostram omnia scripta sunt.

Perniciosi igitur doctores sunt, qui hodie, nescio quibus occasionibus inducti, contendunt, legem in ecclesia non praedicandam. Tu scilicet legem non doceres, ubi verus legis populus est, scilicet avari, superbi, adulteri, usurarii, idolatrae etc. Tu securis antea etiam augeres securitatem promissionibus novi testamenti? Quin Sodomorum deflagrationem et lacum illum bituminis Deus usque in hunc diem

exstare, sermonibus agitari et celebrari vult apud posteritatem omnem, ut saltem aliqui emendentur, et discant timere Deum.

Rectius divus Paulus. Is monet de verbo recte secando (2. Tim. 2, 15.). Sicut enim non omnibus corporibus omnes cibi conveniunt pariter, ita aliud doctrinae genus est, quo erigendi sunt infirmi, pusillanimes, confracti et contriti: aliud, quo duri, insensati, securi, flagitiosi in viam revocandi. Apud Esaiam (61, 1.) dicit Filius Dei: „Spiritus Domini super me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde".

Sed tale cor non habet Papa et Episcopi, qui persequuntur verbum, et ecclesias nostras quaerunt evertere. Numquid igitur his quoque annuntiandum est evangelion, habere eos Deum per Christum placatum? Hoc modo magis indurabuntur, et peccabunt securius. Contundendi igitur sunt malleo legis, fulmina et tonitrua Sinaica talibus sunt ostendenda. Contra qui luctantur cum morte, aut aliis periculis exercentur, hi audiant: „Confortetur cor tuum, viriliter age, exspecta Dominum" (Ps. 27, 14.). „Si mille ceciderint a dextris tuis, malum ad te non appropinquabit. Ego cum ipso sum in tribulatione" (Ps. 91, 7.). „Venite ad me, ego reficiam vos" etc. Matth. 11. (v. 28.) Haec gratorum cordium medicina est, quae non sunt sicut istae rigidae cautes et petrae adamantinae, quibus malleo opus est.

Ezechiel (34, 4. seq.) recte dicit, peccare Prophetas, qui cor justi mendaciter perterrefaciunt; hi enim sunt linum fumigans, quod foveri, non extingui penitus debet, sicut etiam in alteram partem peccant,

quod manus impii confortant, et non potius eos accusant et damnant.

Hodie multos invenias, qui offenduntur necessaria praedicatione legis, eamque fugiunt; dicunt enim, gravari suas conscientias, cum talia audiunt. Sed hi an non suaves Christiani sunt? Peccare non desinunt, indulgent avaritiae, irae, libidini, comessationibus etc. Haec peccata cum audiunt reprehendi, offenduntur, et nolunt, conscientias gravari. Ergo sinamus singulis facere, quod libet, et praedicemus eos beatos? Minime. Audis enim Sodomae incendium proponendum omni posteritati, ac quidem ipsi ecclesiae Dei, ut discant homines timere Deum.

In Antinomorum dogmate erat haec propositio: Si quis esset adulter, tantum ut crederet, et habiturum Deum propitium. Sed qualis erit, quaeso, ecclesia, in qua tam horribilis vox sonat? Faciendum discrimen erat, et docendum, quod adulteri seu peccatores sint duplices; quidam, qui agnoscunt adulterium, seu peccatum suum, ita, ut toto animo cohorrescant, et incipiant serio poenitere, nec tantum doleant de eo, quod commiserunt, sed etiam ex animo optent et studeant, tale nihil committere unquam posthac. Hi non securi in peccato, sed perterrefacti, ac paventes iram Dei, si apprehendant verbum evangelii, et confidant misericordia Dei propter Christum, salvantur, et habent remissionem peccatorum per fidem in Christum. Alii sive adulteri, sive peccatores, etsi excusare peccatum suum non possunt, non tamen de eo dolent, gaudent potius, cum sunt potiti voto, quaerunt occasiones peccatorum, et eis secure indulgent; hi quia destituti sunt Spiritu sanc-

to, non possunt credere, et decipit eos, qui talibus de fide concionatur.

Aliam medicinam hic morbus postulat; ut dicas cum Paulo (Ebr. 13, 4.): „Adulteros judicabit Deus". „Non videbunt regnum Dei" (1. Cor. 6, 9. 10.). „Sine castitate nemo placere Deo potest" (Rom. 8, 8.). Ergo sunt polluti isti, sub ira Dei, etc.

Talibus ad petras istas contundendas malleis opus est. Sic Abraham non indulget peccatis, sed est jam antea vere humiliatus spiritu; consolatur igitur eum Dominus, placet enim ei linum fumigans: igitur id fovet, ut concipiat flammas. Sed Sodomitae sunt ceu rupes et petrae durissimae. Ibi sulphure, fulminibus de coelo et tonitruis opus est. Hoc nesciunt illi stulti et mendaces Prophetae, qui contendunt, legem non docendam in ecclesia, et in universum neminem esse arripiendum durius, aut gravandum in conscientia.

Sed si hoc verum est, cur vult Dominus, in ipsa ecclesia retineri exemplum Sodomae, et ab Abrahamo doceri? Quia autem addit, ut timeant Dominum, nonne, qui tantum promissiones doceri volunt, doctrinam timoris Domini excludunt penitus ex ecclesia? Fugiendi igitur fanatici spiritus sunt, universam doctrinae coelestis rationem perniciose confundentes.

Sed non tantum ad docendum timorem Domini haec doctrina legis utilis est; affert et illum fructum, sicut Dominus addit, ut sic territi judicio et ira Dei faciant justitiam et judicium.

Totam scripturam si dividas, duo complectitur, promissiones et minas, seu beneficia et poenas. Ac vere, ut apud Bernardum est, dicuntur dura corda,

quae neque flectuntur beneficiis, neque plagis emendantur. Sic opera Dei quoque sunt duplicia. Misericordiae opera sunt, quae commemorat Paulus, Actor. 14. (v. 17.): demittit coelitus pluviam, fertilitatem etc. Irae opera sunt, quod etiam immittit pestem, bellum, famem, ut terreat et humiliet duros. Sic in Christo promittitur salus omnibus, qui baptizantur et credunt, contra proponitur judicium et aeterna mors iis, qui in Christum non credunt.

Haec cum ita sint, quomodo praedicatio legis potest, aut debet excludi ex ecclesia? Nonne simul excludis timorem Dei; et maximam partem operum Dei? quae profecto Deus non facit, ut maneant occulta; vult ea conspici, et sic induci nos ad timorem. Si igitur nulla esset pestis et morbi nulli, si nulla ignis seu incendiorum et aquae pericula essent, si non subitanea mors et similia mala, sane tacerem ego quoque de eis, et de suavitate tantum Dei ac beneficiis loquerer: sed experientia in diversum est.

Adserere igitur, quod lex in ecclesia non debeat doceri, est hominum nescientium Christum et excaecatorum sua superbia et malitia. Supra multa misericordiae Dei exempla proposuit Moses, cum promitteret ei Deus semen benedictum, cum ornaret eum insigni victoria, cum ut hospes ad eum veniret, et panem apud eum comederet. Haec recitantur a Mose, nec additur praeterea aliquid. Hic autem additur mandatum praedicandi: „Narrabit ea, inquit Deus, filiis suis“, hoc est: in ipsa ecclesia volo incendium Sodomorum praedicari. Cur hoc? Quia ecclesia nunquam est penitus pura; sed semper major pars sunt mali, sicut parabola de semine docet. Imo ipsi veri sancti, qui fide in Filium Dei justi sunt, habent

peccatricem carnem; quam assidua correptione oportet mortificari, sicut Paulus dicit: „Si nos ipsos judicaremus, non corriperemur a Domino“, 1. Cor. 11. (v. 31.). Memineritis igitur hujus loci, qui solus ad refutandos Antinomos satis est.

Et dixit Dominus: Clamor Sodomae et Gomorrae profecto multiplicatus est, et peccatum eorum profecto invaluit valde: descendam nunc, et videbo, utrum secundum clamorem, qui venit ad me, fecerint consummationem: quod si non, ut sciam.

Horribilis omnino res. Nondum abierunt quindecim anni, cum Sodomitae et eorum vicini a quatuor regibus victi et captivi abducti, postea autem per Abrahamum mirabili victoria liberati, et suis sedibus restituti sunt. Dupliciter igitur Deus eis se revelavit. Per captivitatem ostendit, odisse se peccatum, et certo punire velle. Per liberationem autem ostendit, se ignoscere velle poenitentibus, et eos juvare. Sed neque poena, nec beneficium valuit. Isti ipsi, qui haec suis oculis viderant, obliti animi reciderunt in horribile barathrum peccatorum, excusso penitus timore Dei.

Haec profecto mira res est, et insignis pictura humanorum animorum, qui sua natura sic per peccatum corrupti sunt, ut neque minis corrigi nec beneficiis flecti possint. Cum redirent ex captivitate ad suas sedes, sine dubio gratias egerunt Deo Abrahae, qui eos liberavit. Sed non longi temporis religio haec fuit; paulatim relapsi in securitatem indulserunt animis, donec tandem, ut in magna abundantia, sine pudore singuli facerent, quod vellent, ac penitus ex-

sent incorrigibiles. Nam etiam hic verum est, quod in physicis dicunt, motum, cum venit ad finem suum, esse impetuosissimum.

Non solum obliti sunt calamitatis et mirabilis liberationis, non solum nullam rationem verbi, oeconomiae et politiae habuerunt, sed etiam bestiis deteriores sunt facti. Horribile autem hoc exemplum est, quod terra tantis miraculis liberata intra annos quatuordecim sic turpiter et feraliter degenerat.

Beneficium Abrahae prorsus periit; non ipsius virtute, sed sua fortuna senserunt se liberatos: doctrinam autem Abrahae et Lothi etiam blasphemarunt, quod ipsorum libidinibus adversaretur. Cum his peccatis conjunxerunt praesumtionem sapientiae et superbiam. Haec ruinae initia fuere, sicut Salomon (Prov. 16, 18.) dicit: „Principium ruinae est superbire, et apostatare a Domino". Ubi enim contemtus verbi et ingratitudo erga Deum est, ibi disciplina quoque et boni mores concidunt. Hi enim fructus tantum ex semine verbi Dei nascuntur: ruinam ecclesiae ruina politiae secuta est.

Timore Domini sublato, conjugiorum fides periit; non contenti suis appetiverunt alias, suas autem prostituerunt, donec tandem tentarunt, quae contra naturam sunt, et plus quam bestialia. Hic est Satanae processus, postquam homines avertit a Deo, et ingratos fecit erga Deum.

Apud nos, proh dolor, initia talium malorum nimis manifesta sunt. Inspice enim evangelicos in civitatibus, vide magistratus et nobilium mores, deinde civium et rusticorum. Nonne decebat pariter omnes diu noctuque Deo gratias agere, quod sint liberati ex fornace ferrea Papae, et ex illis miserrimis

ignorantiae tenebris? Sed hoc non fit. Sacrificium laudis et gratitudo nusquam est; omnes autem in id unum incumbunt, ut cumulent opes, ut imposturis, fraudibus, injuriis alios premant, ipsi autem ditescant. Sed his moribus an non ruere tandem necesse erit oeconomiam; hoc autem cum fit, necessaria sequitur ruina universalis *).

Sed tractationem praesentis historiae ordiemur paulo altius propter rudiores. Etsi enim animus tuus horribile irae spectrum reformidet, tamen, quia mundus Pharaonica et Pharisaica doctrina plenus est, necesse est, haec divinae irae exempla bene inculcari.

A principio libri genesis vidimus tractari duas generationes hominum, unam justorum, quae fuit vera ecclesia, et alteram injustorum, quae semper fuit Satanae schola, in qua non solum exercentur homines ad peccata secundae tabulae, ut committant caedes, adulteria etc.: sed etiam blasphemant verbum, persequuntur et occidunt pios. Semper autem Deus tandem se interposuit judicem, et malos male perdidit. Idem hic quoque fit: Abrahae domus est vera ecclesia; etsi enim vixerunt tum alii quoque Patriarchae, tamen ecclesia erat divina voce alligata ad domum, posteros et successionem Abrahae.

Si igitur instituas collationem domus Abrahae et Sodomorum, invenies in domo Abrahae omnia suavissima et familiarissima: adeo ut ipsi Angeli Dei videantur convivaliter jocari cum Sara ridente, et negante risum. Sonat igitur perpetuo ibi Dei vox, et est domus Abrahae aliud nihil, quam regnum remissionis peccatorum et gratiae, imo ipsum coelum, in quo habitant Angeli Dei, quos reverenter excipit,

*) In edit. princ. omissum hoc vocabulum est.

et adorat in eis Deum, quem novit et credit unum et trinum. In summa apud Abrahamum nihil est, quam gratia et vita.

Contra in generatione impiorum apud Sodomitas nihil est, quam comminatio horribilis. Non veniunt ad eos Angeli; sed cum veniunt, non solum nulla reverentia excipiuntur, sed tractantur indignissime; non locum, non cibum eis favent impii, sed contumelia eos tentant afficere, qua nulla masculo potest contingere major: ut clarum sit, non tam libidine peccasse, quam malitia. Sic Nahas, rex Ammonitarum, cum se ad foedus offerrent obsessi in Iabes Gilead, 1 Sam. 11. (v. 2.) non voluit foedus cum eis facere, nisi singulis oculum eruisset. Hic non lucrum, non voluptatem spectavit aliquam, sed simpliciter voluit explere malitiam suam. Invitantur enim plerunque homines ad peccatum vel voluptatis, vel commodi alicujus causa; at in tam foedo spectaculo non voluptas, non commodum, sed extrema malitia fuit: sicut Iudaei tantum ex mera malitia occiderunt Christum. Sic impius miles multa facit tantum contumeliae causa, et ut molestias ac dolorem augeat, non ut ipse ditetur. Quid enim inde commodi habet, si praecidat crura bobus, si postes aedium concidat, succendat pagos? Malitiae haec, et ejus quidem extremae peccata haec sunt.

Hoc igitur generationis malorum studium est, odisse sanctos. Nec contenta est, si varie eos vexet; summa voluptas est, contumelia eos afficere. Haec horribilis malitia est et digna tali judicio. Mirum autem, in tam brevi tempore sic corruptum hunc populum esse, ita ut non decem viri superessent, qui Deum timerent, et disciplinam aliquam retinerent.

Ante diluvium igitur scribitur (1. Mos. 6, 5.), vidisse Deum, quod multa esset malitia super terram. Hic autem dicit Moses, audivisse Deum clamorem; id apparet gravius esse. Pertinet autem utraque figura ad pingendam hominum securitatem. Sic enim vixerunt, ac si Deus non videret, nec audiret, imo ac si prorsus non esset. Sicut in Psalmo (14, 1.) est: „Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus".

Patiuntur autem pii quoque hanc tentationem, sed alio modo: quod Deum non nunquam sentiunt dormire, et non audire, nec videre. Id cum ab initio mundi sit factum, multo magis fit nunc in hoc mundi delirio et extrema senecta. Quam horribiles blasphemiae sunt regnum Turcicum et Papatus? Sed tacet nunc paene in octingentos annos Dominus; et uterque, Turca et Papa, florent, confirmant opes et vires suas, ac per omnia sic vivunt, ac si vita nulla post hanc restaret, et Deus nullus esset. Beatum igitur seculum illud fuit, quo Christus vixit; ibi enim non solum audivit et vidit, sed vere praesens fuit: sicut Ioannes (1. Ioh. 1, 1.) dicit: „Manus nostrae contrectaverunt". Sed nunc a longe clamamus, et judicamus, nos clamare ad eum; qui non audit, sed altum dormit. Interim procedit Diabolus et Papa, ac pro libidine miscent omnia, nascuntur sectae etc.

Est igitur hoc dictum more humano, usitata phrasi scripturae. Quod enim de Deo hic Moses commemorat, id sic fuit in affectu et incredulitate hominum. Non enim dormit Deus: a talibus passionibus Spiritus liber est. Homines autem secure peccantes judicant, eum dormire, imo se respici quoque et audiri somniant a Deo. Sicut Turca inflatus

sua fortuna credit, se esse populum Dei. Iram Dei credit nullam esse, infernum putat exstinctum et judicium sublatum: Sic enim in effectu apparet.

Hinc sunt in scriptura similes loci: „Deus, ne sileas a me" (Ps. 28, 1.). Pii enim luctantes sub carne, et vicini desperationi, quia Deus differt exauditionem, judicant, Deum dormire, mutum esse etc. Hic fidei, seu spiritus in piis affectus est. Sed diximus haec in capite sexto supra copiosius. Hic satis est monuisse, quod scriptura accommodat modum loquendi ad morem humanum, non quod Deus ita affectus sit, sed quod sic fiat in piorum cordibus. Abraham igitur, Loth et alii Patriarchae audiverunt et senserunt hunc clamorem, ac statuerunt, Deum irasci, ac properare ad poenam insanabilis gentis.

Non autem negligenda hic est moralis doctrina pro magistratu et iis, qui praesunt judiciis. Supra in undecimo capite, cum aedificaretur turris in Babel, dicit Dominus: „Descendam et videbo". Monet igitur divina majestas non praecipitandas sententias, nec unam tantum partem audiendam, sed causam plene cognoscendam. Si enim de Deo, qui scit omnia, et cui nihil absconditum est, scriptura dicit, quod descenderit, quanto magis hoc studio nobis hominibus opus est, qui ducimur affectibus, occupamur amicorum sermonibus, decipimur adulationibus etc.?

Disputatur hic de peccatis clamantibus in coelum, et numerantur ab aliis quatuor, ab aliis quinque. Id etsi sine ratione factum sit, tamen piorum studium non damno. Si autem proprie volumus loqui, clamor in scriptura non significat illa quatuor vel quinque peccata, sed generaliter refertur ad omnia

peccata, cum quibus conjuncta est impoenitentia et malitia. Sic Esaiae quinto (v. 7.): „Exspectavi, ut facerent justitiam: et ecce, clamor“, hoc est, peccant impudenter, et nemo est, qui puniat; nullum in magistratu seu judicibus remedium est, nihil reliquum est, quam clamor, das jederman Zeter uber die Schand schreyet.

Ubi igitur est adhuc aliquis Dei timor, ibi magistratus facit officium, et animadvertit in sontes, et sequitur, ut homines non clament, sed gratias agant Deo et magistratui, quod cum uxoribus, liberis et facultatibus suis in tuto sint, nec sint expositi quorumvis libidini. Contra ubi verbum non est, et magistratus negligit officium, ac disciplina nulla oeconomica servatur, ubi parentes indigne tractantur a liberis, herus a familia etc., ibi sequi clamorem necesse est. Sicut hodie avaritia et usurae sunt immodicae: magistratus ad eas connivet, nec punit, ut debebat. Quid igitur fit? nonne qui injuriam sentiunt, et nihil praesidii vident in magistratu, clamant? Tales vocat Petrus „incessabiles delicto“, 2 Petr. 2. (v. 14.), qui scilicet coërceri nolunt, et admoniti furiosius peccare pergunt, sicque peccatum peccato cumulant, Pharaonis exemplo, qui eo insaniebat magis, quo plus Aaron et Moses praedicabant.

Haec viderunt sancti patres; videntes autem tantam malitiam discruciati sunt animis. Levius enim est mori, quam videre extremam et indomitam mundi malitiam. In his igitur completum est, quod textus dicit: „Clamor Sodomae multiplicatus“, et tamen Abraham non motus clamore hoc et gravitate tantorum peccatorum opponit se, et facit se medium

pro istis pessimis hominibus, intercedens pro eis, ut audiemus. Sicut igitur fides ejus hactenus praedicata est, ita nunc caritas erga inimicos praedicabitur. Non enim major caritas est, quam pro hostibus sanguinariis apud Deum intercedere.

Ac diverterunt inde viri illi, et abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram Domino, et accedens Abraham dixit: Num etiam perdes justum cum impio? Fortasse sunt quinquaginta justi intra civitatem; num etiam perdes, et non parces propter quinquaginta justos, qui sunt intra ipsam? Absit a te, ut facias istud, et interficias justum cum impio, fiatque justus sicut impius, absit a te. Numquid judicans universam terram non faciet judicium? Et dixit Dominus: Si invenero quinquaginta justos intra ipsam civitatem, parcam toti loco illi propter eos.

Est hic quaestio nova de apparitione Dei et Angelorum. Mea sententia est, fuisse hos Angelos indutos forma humana, et non Trinitatem substantialiter. Quidam nomina horum Angelorum ponunt Michael, qui fuerit dux verbi, et ceteris tacentibus locutus sit, Gabriel potentia divina, qua opus fuit ad evertendam Sodomam, Raphael medicina Dei, qui venerit ad liberandum et sanandum Loth. Haec qualiacunque sint, sine peccato cogitantur, nec sunt noxia: ego tamen vera esse non credo. Ac Iudaei dicunt, abeunte Raphaele et Gabriele disparuisse Michaelem, apparuisse autem singulari apparitione extra illos tres Dominum, ac Abrahamum cum eo

collocutum. Sed ego retineo meam sententiam, quae simplicior est, et consentit cum scriptura.

Tertius Angelus substitit; eum, sicut alios duos, Abraham judicavit esse hominem, sed talem, in quo esset Dei Spiritus.. Videbat enim, quod haberet verbum Dei, et judicabat, non hominis, sed Dei verbum eum loqui. Ideo etiam ut Deum eum adorat. Quod igitur textus dicit: „Stabat coram Domino", idem est, ac si dicat: Audiebat, intuebatur illum tertium Angelum Abraham ceu Deum, quia norat, eum habere verbum Dei.

Pertinent igitur haec ad ministerii dignitatem, quod, cum adhuc obscurum quasi esset, tanto studio exceperunt sancti Patriarchae. Nos in summa luce etiam contumelias, imo quoque gladium et famem addimus, qua enecamus evangelii ministros. Nunc orationem Abrahae audiamus, quae sane horribilis est, si eventum respicias.

Instituit Abraham orationem sapientissime, parvum arripit numerum, quod putat, eo facilius impetraturum se, quod volebat; sed horribile est, quod non decem inveniuntur justi in his quinque civitatibus. De pueris hic nihil dicimus; hi habent suam conservationem, sed nobis ignotam, sicut probat locus Ionae de nescientibus, quid intersit inter dextram et sinistram. Adulti autem sic omnes fuerunt corrupti, ut non decem essent justi. Nec polluerunt se istis vulgaribus peccatis solum, ebrietate, furtis, adulteriis, avaritia. Capitalia fuerunt: contemtus verbi, magistratuum et parentum. Deinde contumeliae in sanctos, et exsultatio in rebus pessimis.

Considera igitur tria haec: brevitatem temporis, in quo sic degenerarunt, multitudinem peccantium

et gravitatem peccatorum, et pronuntiabis, Dei judicium, etsi horribilissimum, tamen justum fuisse. Abrahae quidem impossibile creditu est, sic pariter omnes depravatos esse. Cogitavit, saltem in magistratu et regum consilio aliquos honestos viros, et Dei timentes inveniri posse. Singulae enim civitates suos habebant reges, hi autem senatum suum: inter hos non decem bonos inveniri incredibile est. Igitur tanta fiducia orat Abraham, et semel frustratus non cessat; adeo ardet caritas erga pessimos homines.

Caput genesis undecimum docet nos de ecclesia hujus temporis, quo periit Sodoma. Vixerunt enim sex Patriarchae tum, Sem, Arphachsad, Salah, Eber et Serug: ac quia Abraham quinquaginta paene annis cum Noah vixit, et novem Patriarchas vidit, habuit excellentissimos praeceptores. Noah autem fere quadraginta annis ante excidium Sodomorum mortuus est. Hic cum vidisset prius seculum ante diluvium, Sodomitis quoque notus fuit, qui viderunt et audiverunt praedicantem ac clamantem cum suis posteris de diluvio, de ira Dei; et tamen contemserunt eum cum nepotibus. Puto igitur, ecclesiam tum fuisse talem, qualis posthac in terris usque ad Christum non fuit.

Horribile autem est, in hoc aureo seculo, tot Patriarchis viventibus et docentibus, ac in vicinia quidem Hierosolymis ipso Sem ministerium verbi sustinente, Sodomitas sic degenerare, et omnem Dei timorem et notitiam abjicere. Quid igitur nos querimur de nostro seculo, cum haec tot et tam praestantibus Patriarchis acciderint? Feramus igitur hanc mundi faecem, et ingratitudinem ac contemtum tam insignem; non enim digni sumus, qui conferamur

cum sanctis Patriarchis, et tamen ipsi quoque tam horribile et atrox exemplum irae Dei videre coacti sunt, nec valuerunt quantumvis sedulae deprecationes.

De eo autem quis dubitabit, quin Patriarchae illi sex summo studio conati sint, ruentem multitudinem revocare in viam? In ipsa Sodoma vixit Loth, Sem seu Melchisedec in vicina Ierusalem, Abraham in Mamre, alii aliis, sed vicinis in locis. Sine dubio hi miserunt istuc concionatores, qui hortarentur ad poenitentiam, et castigarent eos. Sed frustra fuerunt omnia. Ubi enim est irreverentia erga verbum et contemtus, ibi frustra Sem et Abraham docent, nec exspectandum aliud est, quam vastitas et diluvium.

Aestimari autem inde potest magnitudo irae Dei contra peccatum. Si enim hi sancti et Deo grati homines avertere poenam intercessionibus suis non potuerunt, quid nos speremus in hac mundi senecta? Memineris igitur hoc ipso tempore, quo ecclesia maxime floruit, ac doctores sanctissimos et fidelissimos habuit, mundum fuisse pessimum. Sic solet Satan deformare ecclesiam scandalis, quae imperiti verbo imputant; sed pari ratione imputabitur Lotho, Abrahae, Melchisedeco interitus Sodomae; hi enim istius seculi praecipui doctores fuerunt. Sed redeo ad orationem Abrahae.

Oratio Abrahae habet sex partes. Sexies enim petiit, et cum tanto ardore, ac affectu sic urgente, ut prae nimia angustia, qua cupit consultum miseris civitatibus, videatur quasi stulte loqui. Verbum תִסְפֶּה admodum significans et violentum, ut sic dicam, est: significat enim sic abripere, ut nihil reliquum facias. Si igitur verba ponderes, est stulta oratio, quasi Deus nesciat discernere inter justos

et

et injustos. Visne simul rapere justum cum impio, et latronum more sine discrimine saevire in omnes?

Dura oratio est in speciem, sed laudatissima, si secundum cor Abrahae eam aestimes. Videt, impossibile esse, quin Deus habeat rationem justorum: ideo orat, sicut David (Ps. 26, 9.): „Ne perdas Deus animam meam cum impiis". Hoc enim tyrannorum est; hi, ut expleant iram suam, incendunt domus, pagos, oppida, nihil solliciti, justi an injusti pereant. Talis crudelitas, inquit Abraham, scio, quod in Deum non cadit. Igitur parcet toti populo propter quinquaginta bonos. Est valde magnus affectus, et quasi stupor, qui cogit ad stultos sermones. Major enim est affectus cordis, quam ipsum cor potest apprehendere, quod videt sanctus vir, totum populum subvertendum.

Est violenta oratio et impetuosa, quasi cogens Deum ad ignoscendum. Hoc quidem notum est, Deum propter unum aliquem justum toti domui, civitati, regioni parcere et benefacere. Sic Syria florebat vivo Naamano; Aegyptus propter Ioseph, Laban propter Iacob benedicitur, et scilicet Deus sic oblivisceretur sui, ut quinquaginta justorum nullam rationem haberet? Ah Domine, Domine, ne facias. Sunt verba significantia magnitudinem affectus, cum quibus simul et oculi manarunt lacrymis, et cor aestuavit gemitibus inenarrabilibus. „Absit a te" hoc, inquit, quasi docere velit Deum, quid debeat facere, sicut addit: „Numquid judicans universam terram non faciet judicium"?

Iudicium facere est punire nocentes, et parcere innocentibus. Hoc, inquit, te maxime decet, qui ju-

dicas universam terram: sed quale judicium est, etiam innocentes arripere? Profecto fortis et violenta petitio, qua Deum admonet sui officii, ut justis parcat, et propter justos etiam malis. Igitur Dominus respondet, et promittit, se parciturum, si sint quinquaginta justi. Placet enim ei ardens oratio, in qua sic lucent fides et caritas. Sed Abraham cum audit, quinquaginta non inveniri, terretur aliquo modo, et tamen orare pergit.

Et respondens Abraham dixit: Ecce, complacuit mihi loqui ad Dominum meum, qui sum pulvis et cinis: fortasse deficient quinquaginta justi in quinque: numquid perdes ob quinque totam illam civitatem? Et dixit: Non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque.

Oratio debet esse improba. Ideo pergit orare Abraham. Sed addit hic insignem humiliationem, quae in omni oratione necessaria est. „Pulvis, inquit, et cinis sum", et tamen, quia coepi orare, pergam. Parcesne, si deficiant quinque? Parcam, inquit Dominus.

Et adjecit iterum loqui cum eo, dicens: Fortasse reperientur ibi quadraginta? Respondit: Propter quadraginta nihil faciam. Rursum dixit ille: Ne, quaeso, irascatur Dominus meus, quod loquor; fortasse invenientur ibi triginta. Et dixit: Nihil faciam, si invenero ibi triginta. Dixit ille iterum: En placuit, ut et jam loquar ad Dominum meum; fortassis inve-

pientur ibi viginti. Respondit: Non perdam propter viginti. Et ille ait: Ne, quaeso, indignetur Dominus meus, et loquar saltem hac vice: fortasse invenientur ibi decem. Respondit: Non perdam propter decem. Et abiit Dominus, postquam cessavit loqui cum Abraha, et Abraham quoque reversus est ad locum suum.

A quinquaginta descendit numerus ad decem, hic certus est Abraham, se voti compotem fore. Quomodo, cogitat, possibile est, cum ibi sit pius doctor Loth, adeo nullum esse verbi fructum, ut ne decem inveniantur? Anhelans igitur suspirium Abrahae hoc est, quod promittit, se hac ultima vice oraturum, nec fatigaturum amplius Deum. In hoc exemplum intuere, quoties orabis, ac disce, pertinacia opus esse in orando. Ea non offendit Deum, sed placet Deo. Sine dubio autem Abraham historia diluvii se est consolatus, ubi octo animae servatae sunt. Itaque etsi impetrare reliquis salutem non potuit, tamen de nepote Loth certus fuit, eum Deo curae fore, et ereptum iri. Itaque redit domum, permittens cuncta justo Dei judicio. Videt enim, in tanta hominum malitia opus esse, ut Deus ostendat iram suam contra peccatum, ne scandalizentur pii, et incipiant ipsi quoque declinare.

Atque haec causa est, quod praecipit, historiam hanc commendari posteris. Vult enim timeri Deus, securos autem detestatur et odit. Esaiae 66. (v. 2.), sese apud contritos corde habitaturum promittit: Psalmo quinquagesimo primo (v. 19.) dicit, sacrificium Deo gratissimum esse spiritum contribulatum.

Vult tamen non dominari timorem solum; etiam spem misericordiae vult retineri in illis doloribus animi. Sicut figurate in Mose (Deut. 24, 6.) praecipit, cum prohibet, simul inferiorem et superiorem molam accipiendam ab egentibus. Superior mola est timor et judicium Dei: hanc sustinet inferior mola, quae spem et sensum misericordiae significat. Sic ministerium conjungere debet legem et evangelium, poenitentiam et remissionem peccatorum.

Papa nihil praedicavit, quam terrores; contra nostri Pseudoprophetae hodie nihil volunt doceri, quam evangelion et promissiones, qui error paene nocentior est. Gratia et remissio peccatorum praedicanda sunt: sed apud eos, qui habent peccata, hoc est, qui agnoscunt, se habere peccata, et ex animo iis cupiunt liberari. Qui autem in peccatis securi pergunt, hi sunt, ac si essent sine peccatis, his debet lex proponi, hi Sodomae interitu terendi sunt, et traducendi hoc modo ad timorem Dei.

Atque hoc est, ut supra quoque diximus, verbum Dei recte secare, ut, sicut in sacrificiis certa erat distribuendae hostiae ratio, ita quoque in docendo certus debet servari ordo, ut perveniatur tandem ad eum finem, ut Deus cognoscatur et misericors credentibus, et iratus securis, atque ita singuli discamus timere Deum, et niti ejus misericordia, quam in Filio misso ostendit. Sic primum praeceptum dicit: „Ego sum Deus faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me; eos autem, qui oderunt me (hoc est, qui verbo meo non obediunt), puniens in tertiam et quartam generationem“ (Ex. 20, 2. 5. 6.).

Hanc iram persuaderi sibi mundus non patitur, ut credat veram esse. Vide Michaeam et Hieremiam;

hi cum iram Dei minarentur, habiti sunt pro Pseudoprophetis, et jussi tacere. Sed quid dicit Spiritus sanctus? Mea verba bona sunt ambulantibus in viis meis. Sic cum Sodomitae in summa securitate peccarent, perierunt, neque movit Deum tanta multitudo, tam multa excellentia ingenia, imo ne quidem innocens aetas; abripit omnia simul, ut palam fiat ira ejus contra peccatum.

Credo igitur, Abrahamum plenum tristitia abiisse domum, et eam noctem insomnem in lacrymis et gemitibus duxisse ob tantae multitudinis interitum. Sed Sodomitae, dum pius Abraham de ipsis sic sollicitus est, vivunt in deliciis, et de hospitibus violandis agunt, de suo interitu prorsus nihil solliciti. Haec mundi et ecclesiae pictura est. Sicut Christus quoque dicit: „Vos plorabitis, illi autem gaudebunt" (Ioh. 16, 20.).

DECIMUM NONUM CAPUT GENESIS.

Et venerunt duo Angeli Sodomam vespere, et Loth sedebat in porta Sodomae, ac videns Loth surrexit in occursum illorum, incurvatusque est facie tenus in terram.

In hoc capite describitur poena illa peccatorum, cujus capite praecedenti facta est mentio, quod clamor Sodomae adscenderit ad coelum. Porro horribilem hanc historiam, sicut et illam diluvii, non libenter tracto. Est enim horribile, sentire et experiri iram Dei, sic immodice paene grassantem in miserum genus humanum. Toto igitur pectore commo-

veor, cum vel lego, vel tracto ista. Etsi enim sum homo iracundus, tamen tam insigni calamitate permoveor, et sentio tentationem Abrahae, quam habuit, cum conaretur omnibus viribus avertere per intercessionem tantam iram ab impoenitentibus peccatoribus.

Antinomi, novi isti Prophetae, contendunt, homines tractandos suaviter, nec terendos irae divinae exemplis. Sed diversum Paulus dicit 2 Tim. 3. (v. 16. 17.), ubi dicit, „scripturam etiam utilem ad objurgandum et ad castigandum, ut homo Dei sit perfectus, et ad omne bonum opus paratus". Et notum est praeceptum de verbo Dei recte secando. Et 1 Corinth. 10. (v. 6.) post varia irae divinae testimonia contra peccatores clare dicit, scripta illa esse propter nos, ne illorum exemplo concupiscentia peccemus.

Ergo exempla irae divinae, quale hoc praesens est, sic sunt tractanda, ut faciant ad doctrinam et eruditionem nostram, sicut Dominus Abrahae, qui nobis longe sanctior fuit, mandat, ut filiis suis haec narret. Semper enim invenies duo hominum genera: alterum superbum, praefractum, contemnens verbi ac piarum admonitionum, et immodice securum: hos si suaviter tractes, si misericordiam Dei eis proponas, deteriores reddes. Hic scilicet fructus est, quem error Antinomorum affert. Sed moneo, ut eos caveatis; non enim sunt contenti, quod ipsi pereunt: volunt nos quoque secum rapere ad interitum, ac suis peccatis onerare, dum ea reprehendi nolunt, sicut Sodomitae.

Posuit autem Deus ministerium verbi in hunc mundum, non ut tacerent ministri, sed ut arguerent, docerent, consolarentur, terrerent, atque hoc modo

salvarent, quoscunque possent. Hoc ministerium Antinomi in totum tollunt, dum reprehensiones nolunt ferre, ac jubent nos consentire ipsorum peccatis contra Pauli sententiam, qui non solum facientes, sed consentientes damnat, Rom. 2. (v. 1.). Consentiunt autem, qui peccata non arguunt, ut si dissimularem Cardinalium, Papae, Episcoporum peccata et blasphemias et tyrannidem. Atqui Dominus apud Prophetam (Ezech. 3, 19.) dicit: „Tu liberaveris animam tuam, si argueris peccata populi tui". Sunt *) etiam pessimi homines in misericordia tolerandi. Sed cum volunt nos secum rapere in interitum, ibi misericordia cesset necesse est: non parentum auctoritas, non liberorum amor tanti nobis esse debet, ut cum eis perire velimus. Obliviscenda ibi omnis misericordia est ad exemplum Loth, deserentis uxorem respicientem in via contra Domini mandatum. Tales quia indurati sunt, neo ullam admonitionem admittunt, sunt relinquendi.

Illi autem, qui non sic sunt praefracti, sed flecti possunt, erga hos misericordia vult Deus uti, sicut docet parabola de ove perdita. Non enim sunt impoenitentes Sodomitae, quibus debetur malleus divinus, qui conterit petras. Ab his judicium Domini non est abscondendum; alioqui fiet, ut nos ipsorum peccatis polluamus consentiendo eis. Omnes enim Christiani sunt in mundo ideo positi, ut serviant proximo, non solum quod ad secundam tabulam attinet, sed magis ad primam, ut discant omnes timere Deum, et confidere misericordia ejus.

Altera pars, qui jam antea humiliati et pavidi sunt, sicut Christus (Luc. 12, 32.) eos vocat pusil-

*) Edit. princ. sicut.

suum gregem; ac mandat, ne timeant, qui etsi infirmi sunt, et varie peccant, tamen non sunt praefracti nec indurati: erga tales sit minister prudens ac fidelis, qui recte secet verbum Dei, et nibil peregrinum sanae doctrinae admisceat; territos ira et judicio Dei non terreat amplius, sed erigat. Haec magna sapientia est, et in ministerio admodum necessaria, ut duplices auditores recte discernantur, et quisque audiat suam vocem: duri horribilia irae divinae exempla, pavidi autem suaves consolationes. „Christus enim positus est aliis in resurrectionem, aliis in ruinam“ (Luc. 2, 34.). Humiliati igitur erigendi sunt, contra in securitate exaltati, deprimendi, sicut sancta Maria in suo cantico etiam docet. Haec est recta sectio; non enim fieri potest, quin pavidi securis admixti sint: moderatione igitur hac opus est, ut, qui sunt duri, sciant, se peti horribilibus exemplis; pavefacti autem arripiant verba solatii et promissionis.

Atque hoc postea Spiritus sancti officium est, per verbum et confessionem dirigere corda, ut pavidi apprehendant consolationes, praefracti autem vel convertantur territi voce legis, vel prorsus pereant. Non enim sine discretione universi damnandi sunt. Sicut enim diluvium et Sodomitarum interitus ceu fulmina sunt, quibus animi terrentur, ita his irae exemplis additur consolatio de servato Noah et Loth. Sic fiet, ut pavidi non desperent.

Hic est finis, cur hujusmodi horribiles historiae a me legantur, licet invitus eas legam, quia terreor magnitudine irae Dei, et tamen video, prodesse hanc doctrinam, non solum, ut superbi terreantur, sed etiam ut pii in timore Dei contineantur, nec exemplo impiorum peccent et pereant. Deinde sic propo-

nitur in hisce exemplis ira Dei, ut tamen simul eluceat Dei benignitas, misericorditer servantis fideles.

Sic Christus apud Esaiam dicit, cap. 61. (v. 1. seqq.): „Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuntiandum pauperibus misit me, ut mederer contritos corde, et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes" etc. Ecce pauperes, contriti corde, captivi, clausi, lugentes, his promittitur indulgentia, liberatio et annus seu tempus, quo Deus placatus sit. Qui igitur non sunt pauperes et contriti corde, his dies ultionis praedicatur, hoc est, ira Dei.

Si igitur Christus sic docet, ut cum misericordia irae doctrinam conjungat, cur nos eum non sequeremur? Summa igitur sapientia est, recte miscere haec, misericordiam in servato Loth ostensam, et iram in Sodomitis perditis. Territi animi et paventes sine dubio placent Deo; promittit enim, se „calamum conquassatum non fracturum, nec fumigans linum penitus extincturum" (Es. 42, 3.).

Etsi igitur haec irae exempla ad contritionem faciunt, tamen ab eis cessandum est, cum animi fracti sunt, et mitigandus dolor ac sanandum vulnus. Scriptura vocat timorem sacrificium Dei et cultum, Psalmo quinquagesimo primo (v. 19.). Cum autem in hunc finem historiae hae per Spiritum sanctum sint scriptae, ut excitentur animi ad timorem Dei, ac fugiant peccata et faciant judicium et justitiam, recte proponuntur in ecclesia, quae sicut duplices homines habet, ita etiam duplex verbum proponit, historias irae et comminationes contra duros, secu-

ros, impoenitentes et promissiones pro contritis ac humiliatis. Summa autem sapientia est, haec recte dispensare.

Papa habet excommunicationis fulmen; sed contra quos eo utitur? Nonne contra nos, qui non securi, sed contriti sumus et humiliati? Sui autem ordinis homines, Epicureos, Canonicos securos, Cardinales, Episcopos, tyrannos beatos praedicat, et in coelum evehit. Sic titulum, quod confortet pauperes ecclesiae, et damnet rebelles, implet.

Sed hoc non novum est; Ezechielem vide, capite 13. (v. 19.): „Vos profanastis me apud populum meum propter pugillos hordei", id est, propter temporalia bona consequenda corrupistis doctrinam, et bonos damnastis, malos autem confirmastis; hoc enim est, quod sequitur: „Propter fragmenta panis interfecistis animas, quae non fuissent mortuae, et vivificastis animas, quae non vixissent, dum vos mentimini populo meo, qui auscultat mendaciis". Et alibi (ib. v. 22.): „Contristastis cor justi, quem ego non contristavi". Caret igitur sapientia illa verbi recte secandi totus Papatus. Non igitur aedificare potest, sed convellit et evertit omnia per suam doctrinam.

Spiritus sanctus autem sic etiam hasce irae et judicii Dei historias proponit, ut simul consolationem firmam ostendat, Deum sicut Loth timentes se ex certo interitu liberaturum. Non solum igitur pereunt Sodomitae, sed Loth servatus Deo gratias agit. In Loth salvatum respice tu, qui paves et humiliatus es, ac spera, idem erga te facturum Deum. Contra tu, qui secure fornicaris, nempe colligis opes, laute curas cuticulam, et es Epicuri de grege porcus, flecte

ulos ad Sodomitas; vide, quae eorum scelera in-gna sit secuta gravis poena, cogita, subito coelesti ni inflammatas quinque civitates, subsedisse terram, ccessisse horribilem bituminis lacum; uno momen-eversis ac in aeternum perditis peccatoribus. Haec ligenter cogitata excitabunt te, ut de tuo quoque riculo cogites, et peccare desinas, ac veniam pec-torum exposcas. Hoc stulti et caeci Antinomi no-ri, Grikel et Iekel, non norunt. Ideo hanc irae Dei aedicationem cum magno et certo malo ex eccle-ı tollunt. Moneo igitur, ut caveatis tales; sunt im fanatici spiritus et rerum spiritualium imperiti, flati autem vana opinione doctrinae et sapientiae. ed redeo ad historiam.

Superiore capite nominat viros, quos hic clare icat Angelos. Ita tamen idem nomen intelligendum t, ut statuas, apparuisse in eis Dominum. Cur au-m appellationem sic mutaverit Moses, nescio, nisi rte voluit Spiritus sanctus significare, non fuisse ıturales homines.

Quod de vespere commemorat Moses, existimo, uisse proximum vesperum, quod secutum est eum eridiem, quo cum Abraha pransi sunt. Quia autem er longius est a Mamre ad Sodoma, quam ut tam aucis horis possit confici ab homine, ideo quoque ngelos fuisse hoc in loco Psalmus dicit, ne quis ıspicaretur, rem fictam narrari.

Referenda autem ad hanc historiam illa sunt, uae supra de hospitalitate diximus. Sicut enim de braham, ita de Loth quoque audis exoptasse, ob-iisque ulnis excepisse hospites, ac tantum non coë-isse, suo ut uterentur hospitio. Dixi autem, nullum

hospitalitatis encomium majus esse, quam illud Matthaei 25. (v. 35.): „Esurivi, et dedistis mihi panem".

Quod Loth sedit in porta Sodomae, aliud est, quam sedere in porta civitatis. Porta enim civitatis significat locum curiae. Mos enim orientalium populorum erat, curiam ponere in portis; ibi enim arcem, seu propugnacula habebant, ac conveniebant deliberaturi de republica. Loth autem sedet in ingressu civitatis.

Est autem commendatio hospitalitatis. Res enim ostendit, cur se domi non continuerit. Exspectat hospites, videt civium furorem et injurias; si qui igitur veniant peregrini, vult eos secum esse, ubi sine contumelia et injuria pernoctare possint. Ac fortasse eo tempore magna persecutio fuit in Ur Chaldaeorum. Itaque pii frequentes Abrahamum exsulem secuti sunt, cum eo potius in exsilio, quam cum impiis in patria victuri. Fratrum igitur periculo moniti Abraham et Loth sedent aut in ostio domus, aut in ipsa porta, ut, si qui veniant, hospitium inveniant paratum. Videns igitur Loth Angelos adorat eos facie tenus in terram. Hoc de Abraha non est scriptum, qui tantum incurvavit se, seu genu flexit. Loth procumbit in faciem in terram; tanta erga hospites tum fuit reverentia.

Apparet autem hinc, quae fuerit disciplina in familiis piorum, et quomodo adsuefecerint suos posteros, quod venientes peregrinos homines ita exceperunt reverenter, ac si Deus ipse veniret. Deum enim in eis reveriti sunt et honorarunt. Nostro seculo, in hac faece mundi, tanta malitia, tam variae fraudes et doli sunt, ut, quid cui facias, nescias. Hoc tamen praestandum nobis est, ut saltem, quos

novimus, honore afficiamus, ac juvemus officiis. Sed audi, quomodo cum ignotis hospitibus loquatur Loth.

Et ait: Obsecro, domini mei, declinate, quaeso, ad domum servi vestri, et pernoctate. Lavate etiam pedes vestros, et mane consurgetis, ituri viam vestram. Qui dixerunt: Non; sed in platea pernoctabimus. Et quasi violenter coëgit eos, declinantesque ad eum, intraverunt domum ejus, et fecit eis convivium, et posuit panem non fermentatum, et comederunt.

Vocabulum: Domini, non est usitatum illud אֲדֹנִים, vel אֲדֹנַי, sed אֲדֹנָי, quod soli Deo competit. Id quomodo intelligendum sit, supra satis copiose dictum est, ac ostendit historia, Loth quoque de articulo Trinitatis recte institutum fuisse, vel ab ipso Abraha, vel ab alio ex Patriarchis. Ideo cum hospites duo adessent, non petit dominos sed Dominum in eis honore afficere. Talia exempla hospitalitatis in libris gentilium non habentur; diligenter igitur inspicienda sunt.

Offert hospitium perliberaliter, se ipsorum servum, ipsos autem dominos constituit ac esse jubet, ut omnia faciant, ac si essent domini domus. Offert aquam pedibus, id quod usitatum officium est erga peregrinos, non tantum ut abluantur sordes contractae ex itinere, sed ut fatigati pedes quasi refocillentur, et vires accipiant.

Christus quoque lotionem pedum instituit, sed longe aliam, quam hodie Monachi et Episcopi, Pontifex, reges et principes celebrant, qui solam pompam retinuerunt. Vult, nos abjici ad pedes aliorum,

vult, nos servire aliorum necessitatibus. Haec negligunt omnes, et interim nudo hoc spectaculo credunt se imitari Christum. Sed quale exemplum ipse nobis dederit, et quantum ab eo hypocritae absint, nimis notum est.

Sed Angeli hic faciunt, quod apud Abrahamum non fecerunt. Invitati enim in domum Loth recusant, ac in platea pernoctare volunt. At Abrahamo offerenti hospitium statim assentiuntur, et dicunt: „Fac, sicut locutus es". Itaque Loth quoque facit, quod Abraham non fecit, ut recusantes quasi cogeret; metuebat enim eis a civibus.

Hebraei dicunt, ideo finxisse Angelos, quod domum Loth ingredi nollent, ut studium et prompta voluntas Loth magis patefieret, qui acquiescere non potuit, sed violentia etiam usus est, dum eos coëgit in domum suam. Sed frustra nos haec et sine aliquo fructu accuratius scrutamur. In mundo sane admodum commune est, verbis esse liberalem. Sic verba honoris vocant, cum invitantur, quos tamen venire nollemus. Aularum hae praestigiae sunt, piorum patrum verba et cor non variarunt. Itaque tentandi Loth causa recusationem hanc factam non credo.

Salomo graviter monet, Proverb. 23. (v. 6. 7.): „Ne comedas cum homine invido. Dicit enim tibi: comede et bibe, et mens ejus non est tecum". Tales multi sunt, qui captant plausum, ac volunt videri hospitales, cum tamen sint sordidissimi, et propter unum obolum ringantur toto triduo. Hoc vitium maxime regnat in potentibus. Decet in iis, qui dant beneficium, esse sincerum cor, in accipientibus autem verecundiam et pudorem.

Atque haec, ut mihi videtur, causa recusati beneficii est in Angelis. Recusant enim tanquam non gravaturi Lothum, sicut homines modesti solent, non quidem fuco, sed vere. Loth autem, sicut illi verecunde negant, liberaliter et sincere eis offert hospitium: nec est ex eorum numero, qui daturi aliquid prius interrogant, et pudorem tentant. Verum enim est, quod usitato versiculo dicitur: Qui dare vult aliis, non debet dicere: vultis? Incivile enim est tentare pudorem, et quasi ad mendicandum cogere.

Homines verecundi etiam cum urget inopia, tamen cogi paene volunt ad accipiendum officium. At invenias impudentes alios, qui non exspectant, dum jubeas; ultro se ingerunt, mensae assident, hoc et illud sibi donari volunt. Tales odio digni sunt.

Pertinet igitur hic locus praecipue eo, ut, qui dant beneficium, dent sinceriter: qui accipiunt, ut accipiant verecunde. Hanc sententiam recte hoc loco tradi existimo, sed in ea non est resistendum; Spiritus sanctus etiam aliud quiddam ostendit.

Videmus, scripturam sanctam pulchre sibi constare, ac consentire ubique perpetuo tenore. Supra Abraham intercedens pro Sodomitis audit horribilem et inexspectatam sententiam, non decem inveniri justos in quinque civitatibus. Ad hoc dictum confirmandum pertinent praesentia; ipsi ceu exsules et ignari morum populi (ita enim simulant Angeli) putant, sicut aliis in civitatibus bene moratis, tutum in plateis somnum. Sed Loth gnarus omnium ideo majore conatu eos secum esse jubet, quia scit certo, si pernoctent in platea, injuriis affectos iri. Norat enim Sodomitas non solum inhospitales, sed etiam persecutores hospitum, et contumeliosos in hospites.

Hoc voluit Moses hoc seu signo innuere. Sicut etiam Ezechiel dicit: „Ecce, haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus; et manum pauperi non porrigebant, et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me“, Ezech. 16. (v. 49.). Durissima verba sunt haec. Superbos vocat contemtores verbi, hoc est, Dei et hominum: non erga Deum reverentiam, non erga homines caritatem exercebant. Obliti erant beneficii, quo ab Abrahamo affecti erant; se solos putabant, quos amaret Deus, et qui Deum offendere non possent, si quidem sic eis benediceret.

Sicut mundus hodie quoque ista stulta consequentia sibi imponi sinit. Quis enim videt, se locupletari fortunis, opibus, valetudine, statuit, se habere Deum propitium, et clamat: Hie wonet Gott, Deus, ecce, apud nos habitat. Sicut Iudaei dicunt, Zach. 11. (v. 5.): „Benedictus Dominus, divites facti sumus“. Haec est consequentia, quam in scholis vocabant a baculo ad angelum. Non enim largitur Deus opes, ut ex illis statuas, eum propitium esse: aliud majus beneficium dedit, unde id recte colliges. Tentare te vult, an velis manere in timore suo, et humiliari coram ipso, ac praestare debitam sibi obedientiam; hoc enim paucissimi faciunt, sed insolescunt fortuna. Hinc proverbium est, Gut macht Mut, Luxuriant animi rebus plerunque secundis (Ovid. Art. II, 437.). Es müssen starcke Bein sein, die gute Tag ertragen sollen. Nisi enim animi illustrentur et regantur Spiritu sancto, sicut David, Abraham et alii, impossibile est, non everti eos a fortuna propitia, sicut eleganter dictum est: Fortuna quos fovet, stultos

stultos facit. Ideo monet Psalmus (62, 11): „Si affluunt divitiae, nolite cor apponere". Sed mundus haec non credit. Is tenet cum Sodomitis hanc consequentiam firmam: Ecce, habemus fertilissimum agrum, potentissimam civitatem, obruti sumus donis et fortuna multiplici: quomodo igitur odisset nos Deus, aut quomodo posset aliquid adversi incidere?

Ad haec accessit saturitas panis, quod crapulabantur et helluabantur, sicut nos Germani quoque solemus. Quid autem soleat sequi crapulam, notum est et hoc quoque. Vesperi cum hoc facinus in Angelos hospites designare voluerunt, forte convivium publicum fuit, in quo vino se obruerunt.

His annumerat Ezechiel otium, seu prosperitatem quietis, quod omnia habuerunt tranquilla, quod non famem, non pestem, non morbos ullos senserunt, sed, sicut Moses de populo suo dicit, fuerunt impinguati et incrassati, ut porci. Ideo secutum illud quoque est, quod ad propositum facit, quod pauperi manum non porrexerunt, et fuerunt inhospitales. Sicut hodie in Germania multi ecclesiarum pastores fame paene pereunt, et esurit miser Christus, ac tantum non perit afflictionibus ubique. Adeo nulla misericordia est in hominibus.

Talis cum esset Sodoma et vicinae civitates, fama de eis sparsa est in vicinas civitates et loca. Nam civitas acquirit famam ex moribus: sicut hodie in Germania aliquae civitates usuris celebres sunt, quod etiam est Sodomiticum peccatum, quod non solum non occultatur, sed praedicatur etiam: famosae sunt propter comessationes et potationes. Haec peccata cum publice fiunt, et adsuetudine ab *) homi-

*) In edit. princ. omissum est ab.

nibus excusantur, ut non solum non sint infamia, sed etiam risum moveant; sicut videmus, nostros nobiles et cives de suis scortationibus gloriari, tunc vere sunt Sodomitica peccata. Sicut Esaias (3, 9.) pronuntiat de suo populo: „Peccata sua sicut Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt". Ubi enim pudor et verecundia est, ac tu de peccato tuo erubescis et metuis, ne invulgetur, ibi peccatum leve adhuc est. Sed quando praedicatur, et facinorosi, ut Salomo (Prov. 2, 14.) inquit, exsultant in rebus pessimis, ac laetantur in malitia, ibi nihil nisi ignis infernalis reliquus est.

Quod igitur Angeli in platea pernoctare volunt, et hospitium Lothi recusant, Loth autem eos cogit, eo potissimum pertinet, ut scriptura sibi ipsi praestet testimonium, fuisse Sodomitas corruptissimos, et in tanta multitudine non fuisse decem bonos. Ideo Loth vindicaturus eos ab injuriis vi quasi cogit in suam domum. Sed quid fit? Quod studio quaerit effugere, id accidit. Hac enim sua quasi tutela hospitum, quod eos in domum suam recipit, irritantur Sodomitae ad tentandum facinus horribile.

Circumstantiae igitur augent indignitatem. Angeli ut peregrini incedunt nudis pedibus et capitibus, ceu fessi ex itinere. At ibi inter tam multos et opulentos cives nemo est, qui eis guttam aquae offerat: imo etiam occidere eos quaerunt, et extremis contumeliis afficere. At pius Loth non hospitium tantum dat, etiam instruit convivium: ad illud an aliquos ex generis adhibuerit, scriptura non meminit; hoc certe conatum esse caetera argumento sunt, ut hospites ad hilaritatem traducerentur. Addit post

dapes panes azymos, ne quid desit vel ad necessitatem hospitum, vel ad suam liberalitatem declarandam.

Quia autem textus azymi panis meminit, quaestio hic est, an tum aliquid fuerit Mosaicarum legum. Ac Iudaei dicunt, Sodomam eversam in Paschatis die, qui omnium in anno laetissimum festum est, et ideo Sodomitas indulsisse poculis. Lyra hanc sententiam valde impugnat; sed sine magno commodo. Quid enim inde vel boni vel mali? Hoc tamen cum fructu fit, ut distinguere discant studiosi legem Mosaicam ab aliis legibus omnibus: Paschae an Pentecostes festum tum fuerit, neque nego, neque affirmo.

Hoc tamen certo affirmari posse judico, Mosen multa retulisse in leges, observata antea a Patribus. Oblationes praecipit; at obtulerunt Abel agnum, Cain fructus agri longe ante Mosen. Sic Noah discrevit inter munda et immunda. Horum similia alia fuisse quis neget? quae Moses antea observata a piis ex mandato Dei retulit in suas leges. Fuit enim ei instituendus novus populus, et regnum novum constituendum. Id sine legibus, iisque accurate scriptis, fieri non potuit. Quia autem ecclesia in hoc regno fuit, cultu et caeremoniis opus fuit. Harum cum aliquas retinuisset Patriarcharum seculum, Moses ex mandato divino eas retinuit, sicut circumcisionem. Iudicialia quoque constituta sunt de puniendis facinorosis. Quis autem dubitet, judicialia quoque pleraque ex usu superiorum temporum et traditione Patrum sumta? Sed Moses, ut legislator, pia ratione sui temporis alia addidit, prout Dominus jubebat.

Sive autem ex Patrum traditione et usu, aut ex vicinarum gentium consuetudine quaedam transtulerit in suum populum, tamen id totum vocatur lex

Mose. Ac praesens locus testatur, azymorum usum fuisse ante legem, sive ea certo tempore, ut postea in lege, seu in festivis conviviis in usu fuere.

Quod autem Iudaei hodie suas leges sic praedicant, et necessarias statuunt, male faciunt. Fuerunt enim alligatae sicut Levitica et Iudae tribus ad certum locum, et ad tempus certum, hoc est, usque ad Christum. Locus autem fuit terra Canaan, in qua duodecim tribus habitarunt: hic ceu limes et terminus fuit regni Mosaici. Cum autem hodie terram seu locum amiserint Iudaei, profecto tenentur etiam legem omittere. Finitum enim est tempus, et locus translatus. Personae quoque, hoc est, tribus regalis et sacerdotalis confusae sunt.

Ante legem in orientalibus azymorum usus fuit, sed talis, ut in conviviis omnibus, in nuptiis et festivitatibus apponerentur. Moses autem hunc morem restrinxit ex mandato Domini, ac voluit in Paschate azymis suos vesci. Discernenda igitur lex Mosi est ab aliis legibus. In lege azymorum usus fuit certo tempore. Ante legem liber usus fuit omnibus temporibus: sicut agnum immolare in Paschate jubebat Moses; ante Mosen immolare licebat, quando quis vellet. Nihil igitur ad Mosen usus azymorum, quamquam Moses eum postea voluerit certi temporis esse. Haec obiter monere ob Lyrae disceptationem volui; nunc persequamur reliqua in historia.

Priusquam autem irent cubitum, viri civitatis, viri Sodomae circumcirca cinxerunt domum illam a puero usque ad senem; omnis populus ab extremitate, et vocantes Loth dixerunt ei: Ubi sunt illi viri,

qui ingressi ad te sunt hac nocte? Educ illos ad nos, et cognoscemus eos.

Pergit Moses in descriptione horribilis peccati. Ac ego quidem non libenter versor in hoc loco, quod aures Germanorum adhuc innocentes et purae sunt ab hoc portento. Etsi enim haec quoque labes, ut reliqua peccata, irrepsit per impium militem et voluptuarium mercatorem, tamen, quae in occulto fiunt, ignorantur ab aliis. Carthusiani Monachi digni odio sunt; hi contagium hoc horribile ex monasteriis Italicis primi intulerunt in Germaniam; sic scilicet laudabiliter Romae instituti et eruditi sunt.

Continet autem locus hic necessariam et utilem doctrinam. Videmus enim, quod, cum peccata in mores abeunt, et homines securi eis indulgent, vindicta divina statim consequitur. Discamus igitur timere Deum, et armare nos contra carnem et Diabolum, ne in similia flagitia ruamus, quae Deus non potest impunita transmittere. Moses satis grandibus verbis describit miseriam et calamitatem generis humani. Postquam comedissent Angeli, inquit, absque dubio in coena varia locuti de timore Dei, de justitia, de corruptela morum et disciplinae dissolutione (de his enim forte conquestus est sanctus Loth; non enim frustra dicit Petrus (2 Petr. 2, 8.), animam justi cruciatam diu noctuque, quod indigna et videre et audire cogebatur. Os igitur ex abundantia cordis locutum est, nec se potuit continere dolor, cum tam opportuni et sancti contigissent hospites): postquam igitur coena peracta est, et tempus suaderet somnum, quid fit? Viri civitatis, viri Sedom (haec repetitio ad aggravandum peccatum pertinet) adeo furiosi

sunt, ut non solum nullum praestiterint officium hospitibus, sed in aliena domo ne ad horam quidem fessos sinerent quiescere: saeviunt in lassos, antequam cubitum abeunt, etiam somnum invidentes. Nonne barbaries et crudelitas insignis? Sed hoc gravius et prorsus infandum est, quod ad libidinem eos flagitant, atque hoc faciunt viri civitatis, non leves ex plebe homines, mercenarii, servi, inquilini, sed praecipui cives, quorum erat tueri alios, et punire similia flagitia in aliis.

Pertinet igitur hoc quoque eo, ut intelligas, non fuisse decem justos in civitate. Hi enim cives erant primo loco, habebant uxores, habebant liberos et familias; has gubernare debebant, et adsuefacere ad disciplinam et pudicitiam; sed quid ipsi designant? quid tentant? idque in publico, et contra hospites innocentes?

Repetit autem Moses et dicit, viri Sodom hoc fecerunt, quae caput fuit totius regionis, atque ideo exemplo esse debebat vicinis civitatibus. Ita enim fit; minores respublicae ad majorum exempla se comparant. Sed quid de illis quatuor inferioribus judicabimus, cum tantum vitii in praecipua, quae ceu gubernatrix aliarum fuit, conspiciatur? Nam audi porro Mosen.

Circumdant domum, non mittunt apparitores, seu lictores ad domum Loth exploraturos, qui hospites sint, qui advenerint, nec ipsi exploratum veniunt. Sed domum circumcirca cingunt minitantes hostile aliquid. Hebraeum verbum hoc loco passivum est; significatio autem ejus nota est vel ex illo Ieremiae loco cap. 31. (v. 22.): „In illo tempore circumdabit mulier virum“. Significat enim circum-

circa cingere, sicut circulus complectitur vas undique. Ita cinxerunt domum Lothi, ex omnibus angulis et plateis ad eam concurrentes.

Haec circumstantia facit, ut credam, festum tum fuisse diem, et convivia agitata per urbem; tota enim civitas insaniit. Etsi enim non omnes perpetrare facinus voluerunt, tamen omnes fuerunt in studio, ac delectati sunt hoc civium furore contra hospites. Pari autem loco sunt faciens et consentiens.

Porro inter ista quatuor membra durissimum est, quod sequitur: „a puero usque ad senem“. נַעַר est aetatis nomen, ac fere eo utuntur Hebraei, cum de servis et ancillis loquuntur. Significat enim eos, qui XX. XXIV. XXVI. annum attigerunt, jam per aetatem ad serviendum utiles, ac qui jam sentiunt aestus carnis. Hi omnes se associant civibus, regi, consiliariis, senatoribus, optimatibus; etiam senes adsunt, in quibus vel mortua Venus, vel qui saltem compescere furorem reliquorum canitie et auctoritate poterant: et, ut clarius rem intelligas, omnis populus simul ex omnibus civitatis angulis accurrit. Non quidem potuerunt omnes perpetrare facinus hoc, sed et delectati sunt facto, et consenserunt.

Quid autem putabimus cogitasse in hoc totius civitatis furore pium Loth, cujus unius domus petebatur ab omnibus? Unus enim timebat Deum, et domi suae disciplinam ac castitatem, quam poterat diligentissime, tuebatur, reliquis libere et sine pudore indulgentibus adulteriis, stupris, mollitiei, incestibus etiam, adeo ut non peccata, sed ludus aliquis haberentur: quemadmodum hodie inter nobiles et in inferiore Germania fornicatio pro ludo habe-

tur, non pro peccato; itaque etiam sine omni poena est.

Et in Italia primum, deinde a quibusdam Canonicis in Germania disputatum est, simplicem fornicationem soluti cum soluta non esse peccatum, sed naturae purgationem quaerentis exitum. Honor sit auribus innocentibus; non enim libenter haec tracto; et tamen cavendum nobis est, ne tales scandalosi sermones incautam et alioqui pronam ad peccatum aetatem abripiant ac evertant. Ubi enim sic vivitur et docetur, ac vitia in mores abeunt, ibi, inquit graviter Seneca, remedii locus non est (Epist. 39.).

Vos Pauli sententias vobis proponite, et ex illis judicate: „Fornicarios et adulteros judicabit Deus" (Ebr. 13, 4.). „Nolite decipi; fornicarii et adulteri regnum Dei non possidebunt" (1 Cor. 6, 9.). Et Ebr. 11. (v. 6.): „Sine castitate nemo Deo placebit".

Vidi ego Romae tanquam sanctos adoratos quosdam Cardinales, qui consuetudine mulierum fuerunt contenti. Non igitur ibi occulte nec privatim, sed publice infanda flagitia committuntur, exemplo et auctoritate principum et totius civitatis. Hic quis remedii potest locus esse? aut quis arguet tales, qui peccata pro laudatis moribus habent, et cum laude ea putant exerceri? Ad hos si compares illos, qui etsi peccant, tamen clam peccatum habent, et pudore suffunduntur, dices, tolerabiles esse peccatores: sicut proverbium Germanicum dicit de nemine:, Nemo etsi peccet, tamen tolerabiliter peccat. Habet enim timorem et pudorem saltem crassum et servilem, quod nollet, vulgari peccatum suum. Tales Sodomitae non erant; itaque desperata apud eos erant

omnia, nec relinquebatur remedio locus. Sed necesse erat, Dominum de coelo descendere et punire.

Etsi autem horribile est experiri et videre, quanta sit potentia Satanae, postquam homo semel a timore Dei deflexit (non enim cessat impellere de peccato in peccatum): tamen utiliter haec cogitantur, et ad orationem invitant, imo etiam commendant nobis curam coelestis patris de nobis, admonentis et quasi in viam revocantis nos per patrium flagellum, quod hoc modo dulcescit, cum cogitas, quid soleat homo sibi relictus et indulgens libere peccato.

Sodomitarum singularis enormitas est, discedentium a naturali ardore et desiderio, quod divinitus implantatum est in naturam, ut masculus ardeat in feminam, et appetentium, quod contra naturam penitus est. Unde haec est perversitas? Sine dubio ex Satana, qui, postquam a timore Dei semel deflexum est, tam premit naturam valide, ut exstinguat naturalem concupiscentiam, et excitet eam, quae contra naturam est.

Moses peccatum hoc valde exaggerat, cum addit horribilem istam vocem, et in auribus omnium sanorum hominum intolerabilem: „Educ viros istos, ut eos cognoscamus". Hoc clamat non unus et alter, sed tota civitas, juniores cum senibus, etiam ipse magistratus. Disce igitur, quid Propheta Esaias velit, cum dicit (3, 9.) de suo populo: „Sicut Sodoma praedicaverunt peccatum suum". Non in ipsa domo tam infandam vocem edunt: foris stant in publico, et publice magistratus auctoritate postulant, educi Angelos duos. Non igitur hoc ejusmodi peccatum fuit, quod cuperent clam esse et celari: apparet, publice fuisse morem, cujus neminem puduit.

Auget autem indignitatem, quod in hospites talia audent. Quid autem fecerunt aliae quatuor inferiores civitates et quasi discipulae, hoc cum Sodoma, princeps earum, faceret? Si igitur Dominus meritam poenam non adduxisset, paulatim dilapsa esset politia, nec potuisset consistere. Si enim vinculum conjugii tollas, et vagas libidines permittas, cum disciplina leges et honestas omnis intercidit. His autem sublatis non politia, sed mera bestialitas et feritas relinquitur. Itaque Dominus coactus est, ut poenam infligeret, et grassantem immodice furorem reprimeret, aliis in exemplum.

Et egressus ad eos Loth post tergum occlusit ostium, et dixit: Nolite, fratres mei, quaeso, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quae nondum cognoverunt virum; educam eas ad vos, et utimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbram tecti mei.

Omnia haec pertinent ad descriptionem incorrigibilis furoris, et peccati prorsus insanabilis. Bonus Loth conatur quidem per sanam doctrinam, et piam ac blandam admonitionem occurrere civium suorum furori: sed frustra; magis enim incenduntur. Vocat fratres, non, ut meriti erant, tyrannos aut nebulones, et amicissime rogat, ut desistant a proposito, et in hospites non sint injurii. Sed magis irritantur: quid igitur fecissent, si libere damnasset, si Satanae mancipia, ut erant, et Dei hostes appellasset?

„Responsio mollis, inquit Salomo (Prov. 15, 1.), frangit iram“. At horum tantus furor est, ut etiam

incendantur magis. Nec satis est Lotho tentasse causam mollibus verbis: extrema tentat, et offert eis filias duas, tantum ut hospitum pudori consulat, et eos ab injuria vindicet. Nec considerat periculum, in quod filias conjiciebat certissimum, quae jam desponsae erant maritis.

Vides igitur magnitudinem peccati Sodomitarum, quod nulla ratione potuit sanari. Verbum prorsus contemserunt; remedia autem duo eaque maxima, quae in tanto periculo Loth adhibet, nempe verba blandissima, et quod filias suas furentibus libidine Sodomitis offert, ut eis pro voto abutantur, non solum frustra sunt, sed etiam augent furorem. Nihil enim respondent ad illud de puellis, sed, ut furiosi homines solent, sexum contemnunt, quasi dicant: puellas stuprare quotidianum ludicrum est. Igitur ad ipsum Loth convertuntur, et respondent ad ejus concionem.

At illi dixerunt: Appropinqua illuc.

Hieronymus fecit: Recede, ac si jubeant eum discedere ex urbe; sed verisimilius est jussisse, ut rediret in domum, et hospites educeret.

Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid judicabis nos? Te ergo ipsum magis, quam hos, affligemus. Vimque faciebant Loth vehementissime.

In summa nolunt corrigi, nolunt reprehendi. Fidunt potentia et multitudine sua, Lothum tanquam inquilinum contemnunt, non volunt ab eo vel judicari, vel admoneri: sicut Pontifex hodie cum suis solet. Quia enim in illo dignitatis fastigio sedet,

licere sibi putat, quod libet, et est impatiens omnis reprehensionis; seditiosos vocat, quos suae libidini obsistere videt, prorsus Sodomitarum similis. Sed ubi remediis locus nullus relinquitur, necessario sequitur interitus et exitium. Hactenus descripsit Moses peccatum Sodomae; nunc pergit describere poenam. Sed nos prius usitatas quaestiones agitabimus.

Quaeri primum solet, an omnes homines in quinque civitatibus tam fuerint perversi et mali, et quid sentiendum sit de mulieribus et virginibus, item de parvulis, qui nondum habent usum rationis. Sed nos differemus hanc quaestionem usque ad finem, et nunc de illa videbimus, quam Lyra et ante eum Augustinus tractarunt, an recte fecerit Loth, quod propter hospites liberandos obtulerit filias, easque sponsas, ad stuprum? Magnum enim flagitium est, quod parens filias prostituit, easque sponsas, non ad simplex stuprum, sed ad adulterium, imo ad ipsam mortem. Et tamen videmus, Lothum, qui hoc facit, talem virum esse, qui dignus est excipere hospitio Angelos, quod insigne testimonium est sanctitatis et pietatis. Sicut autem merito praedicatur illa in hospites fides, ita quoque detestabilis est summa in filias impietas, quarum pudor parenti cum vitae suae periculo defendendus est.

Haec faciunt Augustinum dubium, ut nihil certi definiat. Speciem veri habet, inter duo mala minus malum eligendum, quod vocat compensare flagitium. Quia enim aut hospitum aut filiarum pudor erat in discrimen adducendus, levius videbatur peccatum in filiabus: alterum enim peccatum contra naturam erat. Sed hanc sententiam evertit Apostolus, cum dicit (Rom. 3, 8.): „mala non fa-

ende, ut bona eveniant." Et ipse Augustinus de-
inat in mitiorem sententiam, ac statuit, singulari
erturbatione animi ad hoc consilium Lothum de-
irrisse; sed perturbationem animi vitiosam esse,
on igitur imitandam. Ad hunc modum Augusti-
us se absolvit, ac relinquit auditorem dubium.

Lyra aliquando liberius disputat, et quanquam
ntentiam Augustini de compensatione flagitiorum
on probat, sicut nec probanda est: tamen duo ad-
ıcit exempla, quae eam videntur comprobare.

Primo enim concessum fuit Iudaeis repudium,
l majus peccatum evitandum. Deinde in celebrio-
bus et frequentioribus civitatibus tolerantur lupa-
ıria, ut hac occasione minus stuprorum et adulte-
orum committatur. Igitur in hoc quoque casu li-
ıisse Lotho, majus peccatum cavere, admittendo
inus. Sed recte objicit Lyra, in rebus corporali-
ıs hoc licere. Ut enim retineas centum aureos,
ote decem perdis; ut totum corpus serves, recte
gitum mox resecas, aut manum. Haec topica va-
t in corporalibus, ut ad vitandum majus malum,
quod minus malum est, deligas; sed in spiritua-
ous alia est ratio, nec sunt facienda mala, ut eve-
ant bona. Peccatum est occidere uxorem; sed si
caede per adulterium servare posses, neutiquam
oc faciendum esset, sicut Augustinus ne quidem
endacium committi vult ad praecavendum homici-
um.

Quod autem attinet ad repudium Iudaicum, rec-
Lyra eos allegat, qui dicunt, non Mosen ut le-
slatorem hoc permisisse sua auctoritate, sed aucto-
ıate divina; Deum enim pro suo arbitrio posse jun-
ıre aut disjungere matrimonia. Sicut Iudaei Ae-

gyptiorum opes divina auctoritate rapiebant, nec tamen peccabant.

Exemplum de lupanaribus, quae tolerantur in magnis civitatibus, indignum est, de quo disputetur. Nam manifeste pugnat cum lege Dei, et gentiles habendi sunt, qui turpitudinem hanc publice tolerant. Frivolum enim est, quod judicant, hac ratione minui stupra et adulteria. Nam adolescens, qui cum meretricibus consuescit, is data occasione, cum pudorem semel projecerit, non abstinebit neque a maritatis, nec a virginibus. Augetur igitur magis, quam sanatur libido hac ratione, et fit illis auctoritas peccandi, qui alias, hac occasione praecisa, continerent. Sunt enim alia et meliora remedia ostensa, et praecepta divinitus, nempe conjugium. Ethnicus igitur magistratus judicandus est, qui lupanaria tolerat; pius enim magistratus non debet tolerare scortationem, praesertim manifesta licentia. Nam etiam invitis et prohibentibus magistratibus, tamen hoc malum grassatur, nec potest penitus tolli.

Sed ad principalem quaestionem redeo, an possit excusari Loth. Lyra igitur concludit, peccasse quidem mortaliter: quia tamen hoc peccatum ex perturbatione animi accidit, exoneratum esse a tanto, licet non a toto. Sic loquuti sunt in scholis, cum vellent significare levius peccatum. Nos rectius fecerimus, si de talibus casibus sobrie disputaverimus. Quae enim nobis causa, ut tam sollicite de sanctorum peccatis excusandis laboremus? Fuerunt homines, igitur periculis perturbati potuerunt non nunquam falli et errare. Et tamen, quod ad praesentem historiam attinet, excuso Lothum, ac sentio,

ne peccato hoc consilio usum. Non enim cogitat de filiabus periculo exponendis, quas norat a fuosis non expeti; sed hanc viam mitigandae irae fo speravit. Est igitur ceu hyperbole judicanda aec oratio.

Caeterum, utut sit, regula tenenda est, quod mctorum facta non imitanda, nec trahenda sunt in emplum. Non enim sequitur: Abraham, Augustius, Petrus hoc fecit; ergo mihi quoque faciendum it. Haec autem consequentia valet: Deus hoc dit et jubet; ergo faciendum est. Verbum enim est gula certa, quae fallere non potest. Sic jureconılti quoque dicunt, factum non esse jus, sicut nec is est factum. Tanto autem difficilior de factis alieis dijudicatio est, quod nos tantum, quid in speem fiat, videmus, cor non videmus.

Lothum Deo carum et sanctum hominem fuisse ertum est, alioqui cum Sodomitis perire eum neesse fuisset. Offert autem filias spe liberandorum ospitum. Sed quo animo obtulerit, non vides. uid si plenus fide in Deum hoc certo sibi persuat, Deum discussurum periculum omne, ne quid atiantur filiae, et simul spem esse liberandorum ospitum? Hoc certe cor non facile damnabis, in raesentissimo periculo respiciens ad bonitatem et mnipotentiam Dei. Quis autem dubitabit, quin adiderit vota et gemitus pro defensione suorum? Et imen praesens periculum ad hoc medium eum comellebat.

Etsi igitur non defendo Lothum (homo enim fuit, ; humani aliquid potuit pati, ac nudum factum tanım, non ipsum cor nobis patet), tamen circumantiae me cogunt, ut statuam, factum Loth esse

inculpabile. Neque tamen ex hoc sequitur, quod imitandum aut in exemplum trahendum sit, quasi liceat minus peccatum admittere, ut vites majus peccatum. Quae enim extra legem fiunt, non sunt trahenda in legem, sed aestimanda tanquam miracula, ex quibus certe nemo debet facere regulam aut jus. Ac praecipue in ecclesia doctores hoc conari debent, certa ut doceant. Non igitur exempla, sed regulas debent proponere. Tu non es Loth, non es Abraham; igitur quod Loth, quod Abraham fecit, imitari non debes.

Sicut seditiosus Monetarius rusticis suis proponebat exemplum Davidis pugnantis contra Syros, ac jubebat, ut eodem modo ipsi quoque pugnarent contra nobilitatem. Hoc est, exemplum transferre in jus, et ex facto regulam facere; id nunquam abit sine certo periculo: et est ratio, quia discedere a regula et nudo facto niti, est Deum tentare. Qui igitur non vocantur certo mandato extra regulam, ut sint viri miraculosi (ut sic dicam), hi se intra regulam contineant, et non impingent, nec errabunt. Sed Loth, Abraham et similes sunt miraculosi viri, quorum spiritus rapitur extra legem, extra exemplum et consequentiam. Habent enim singularem vocationem et impetum, quem tu non habes.

Memineris igitur, cum tales historiae proponuntur, ne exempla seu facta, sed legem et regulam urgeas. Quid Loth fecerit, ad te nihil pertinet. „Quid enim tu judicas alienum servum“ (Rom. 14, 4.)? Lex autem ad te pertinet, ut tu in pietate educes uxorem et liberos, et caveas, ne fias eis causa peccati. Si periculum imminet, et servare pudorem earum potes, ne prostituas, nec te exemplo Loth excuses. Tu enim

enim non es Loth, et quia discedis a regula, tentas Deum: non enim tibi datum est a regula discedere, et sequi aliorum exempla et miraculosa facta. Abraham occidit quatuor reges in Aegypto, bis uxorem exponit in periculum pudicitiae: Loth offert filias ad stuprum. Cur hoc faciant, nihil ad te. Voluit enim Deus per hos ostendere suam sapientiam et potentiam.

Mirari igitur ea possumus, sed non imitari; sicut miramur Petrum ambulantem in mari, Christum et Mosen quadraginta diebus jejunantem, non autem imitamur. Quae enim in sanctis pugnant contra legem et regulam, miracula sunt, et a nobis fieri non possunt; quae autem ab eis facta excusari non possunt, sicut concubitus Loth cum filiabus, ea sunt peccata, et a nobis fieri non debent. Non autem rarum est, quod sancti labuntur et cadunt. „Saxies in die cadit justus“ dicit scriptura (Prov. 24, 16). Quia enim nostro exemplo habent carnem peccatricem, nihil mirum est, si non nunquam cadunt: sed ubi possunt excusari, glorificemus Deum. Ad hunc modum judico, quod Loth sit miraculum divinum, in quo Deus voluit ostendere suam sapientiam et potentiam.

Cum igitur scriptura proponat facta et jura, exempla et regulas, miracula et praecepta seu leges, docenda et spectanda sunt jus, regula, lex. Grammaticus si ponit hanc regulam: Omne nomen in a est feminini generis, vocabulum poëma est quasi miraculum collatum ad hanc regulam: est enim neutrum. Sic in jure quaerenda est epiikia; ea est miraculum juristarum, quia discedit a regula. Verum enim est, quod summum jus est summa injuria. Sic

medici habent suos canones; sed quoties accidentia cogunt, ut ab eis discedant, et contrariam sanandi rationem instituant? Imperiti igitur juristae et medici, qui simpliciter urgent regulam sine accidentium consideratione, sunt sicut in theologia justitiarii, qui gubernant rigide totum mundum, sed cum ingenti damno rerum, corporum et salutis.

Sunt quidem docendae regulae et tenendae; sed Deus ut ostendat potentiam et sapientiam suam, multa facit contra regulam per homines heroicos, quos ipse singulariter vocat, quanquam rari et pauci sunt. Reliqui arte et regula utantur necesse est; quodsi heroicos illos, qui a regula discedunt, imitari volent, turpiter impingent. Laudantur igitur talia, quia ab heroicis et miraculosis fiunt, sed nemo ea feliciter potest imitari, perinde ut cum robustus aliquis et agilis transilit fossam vel rivum: at in quo nec robur, nec agilitas est, is arte utitur; nititur scipione, et sic, quod natura non potest, arte perficit. Sed redeamus ad Mosen.

Jamque prope erat, ut effringerentur fores, et ecce, miserunt manum suam viri, et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, et eos, qui foris erant, percusserunt caecitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.

Furiosi Sodomitae conabantur jam effringere fores; tempus igitur erat, ut ipsi hospites se tuerentur, et tam liberali ac fideli hospiti redderent beneficium, tentanti omnia, quae ad ipsorum salutem commoda videbantur. Nam Loth nesciebat, esse

Angelos; sanctos existimabat homines esse, qui visitarent ecclesias, et verbum passim docerent. Itaque in eis adorabat Deum, et sancte colebat eos tanquam divinitus missos hospites. Ac fert hujus pietatis amplissimum praemium cum tota sua domo. Primum enim defenditur a furiosis hominibus: Angeli enim eos caecitate percutiunt *) tali, sicut Lyra quoque annotat, ut prorsus nihil videant, sed ἀκρισίᾳ, ut, etsi viderent, tamen judicare, quod viderent, non possent: sicut ebrius oculos apertos habet et videt, sed sine judicio; non enim agnoscit, quae videt. Id Hebraei proprie vocant סַנְוֵרִים: videbant Sodomitae fores, sed errabant judicio, et putabant esse parietem, contra parietes judicabant fores esse. Haec est caecitas non naturalis, sed miraculosa, et cordis, quam ἀκρισίαν, item ἀορισίαν, privationem actus, non habitus vocant. Sic Syri non viderunt Helisaeum cum servo, Judaei non viderunt Christum in templo. Ac Deus saepe tali miraculo utitur, ut suos, quos defendere vult, etiam videntibus hostibus eripiat. Vocant autem hoc privari actu, non habitu videndi. Adimitur enim actualis visus, sicut in evangelio (Luc. 24, 16.) dicitur: „Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent“. Sic Magdalena Christum judicabat hortulanum esse. Syri non videbant, se seduci in Samariam, etsi caetera omnia viderent. Sic Sodomitae effracturi fores percussi sunt ab Angelis caecitate, ut disparuerit eis janua et fenestrae. Sic multi omnibus temporibus miraculose liberati sunt, ut illusis quasi oculis hostium evaderent.

*) Omissum videtur non.

Observandum autem hic discrimen est. Syri a Propheta caecitate percussi, cum sentiunt manum Domini, emendantur: at Sodomitae sentientes manum Domini non emendantur; erant enim caeci tota nocte, nec prius desinunt quaerere fores, quam penitus defatigati et delassati sunt. Hic quid animi fuisse Lotho censes, sedenti tota nocte, et omni momento expectanti irruptionem civium? Sine dubio autem erexerunt eum Angeli, frustra fore conatum hunc. Insomnem itaque totam noctem transegerunt in curis et lacrymis, praesertim uxor Lothi et filiae.

At Sodomitae sentientes se caecitate percussos, neutiquam id accipiunt tanquam poenam inflictam a Domino; magicum quiddam esse suspicantur, et a Satana fascinatos se judicant. Ita enim semper evenit. Impii obstinatissimi sunt, et se in sinu Dei fovere statuunt: contra pii pavent, et metuunt iram Dei. Non statuunt, flagellum immitti a Satana, sed ab irato Deo: ideo ad folii volantis sonitum expavescunt, et omnia tuta timent. Hoc cogitare non possunt, quod impii cogitant, Diabolum istarum calamitatum auctorem esse; sicut revera est. Non enim Deus pios affligit, sed permittit, ut Diabolus id faciat, sicut videmus in Iobo; ejus liberi occiduntur igni, et tempestatibus pecora, non Deo succensente ipsi, sed Satana. Debebamus igitur nos quoque ingruente peste et aliis calamitatibus dicere, Satanae ea esse opera, Satanam furere et irasci, Deum autem esse misericordem, et favere nobis, quia credimus in ejus Filium.

Atque hac ratione sancti martyres vicerunt mortem et pericula omnia. Deum enim statuerunt sibi propitium esse, tormenta autem et afflictiones judica-

erunt magica et Diabolica esse, permissa a Deo ad tentandam fidem. Itaque etiam gavisi sunt in malis, et insultaverunt Satanae. Idem nos quoque debebamus facere; sed infirmitate vincimur plerunque, sicut etiam magnorum sanctorum exempla testantur. Nam Paulus quoque pavoribus occupatur, et recipit animum visis fratribus, Actorum 28, (v. 15.) Talis pavor non sentitur ab impiis. Securi enim sunt de Dei favore; itaque etsi aliquid eis incommodi objicitur, secure id Satanae imputant. Sic Sodomitae caecitate percussi, sentiunt, quid passi sint; sed non accipiunt tanquam poenam inflictam divinitus: incantatos se et fascinatos a Lotho sentiunt. Hoc si nos possemus facere, et imitari in hac parte impios, essemus beati; et tamen huc vocant nos infinitae promissiones et certissimae.

Diligenter autem inculcanda sunt haec et docenda, ne in tentationibus indulgeamus carni, seu rationi nostrae, posthabito verbo. Non enim Deus est, qui te vexat, si in Christum credis, sed Diabolus: is odit te, is occasiones tribulandi te quaerit. Sed inquies: Agnosco, me esse peccatorem, ergo non sum Christianus, ergo, si quid mali immittitur, a Deo irato immittitur. Sed consequentia haec falsa est; Christiani enim sunt, qui remissionem peccatorum credunt. Si igitur in Christum credis, si ejus verbum libenter audis et fide amplecteris, es verus Christianus, nec obstant peccata tua. Igitur si quid tibi accidit adversi, fortiter conclude, id esse ex Diabolo, nec ideo Deum abs te alienum esse, nisi quatenus id facit permissione seu tentatione, ut tentet fidem tuam in tuum commodum.

Hoc disce ab adversariis tuis et Dei: ad hos

quum proprie pertineant comminationes, eas non agnoscunt, sed arripiunt promissiones; iis se consolantur. Hoc tu quoque fac. Turpe enim est, te esse imperitum verae doctrinae, quam profiteris: tu times Deum, et credis in Deum; non igitur lex, sed evangelion ad te pertinet. At tu evangelion relinquis, et arripis legem, quae non ad te, sed ad duros et securos pertinet.

Haec est spiritualis infirmitas, de qua omnes sancti conqueruntur. Utilis tamen est ad deprimendam superbiam, ne simus fidentes in nobis, sed ut humiliemur, et discamus confidere tantum in gratia, quam Deus nobis offert in Filio suo. Certissime enim verum est, quod Deus nobis non irascitur; alioqui enim non daret nobis excellentissimam cognitionem Filii sui. Item non donaret Spiritum sanctum, cujus primitias accepimus. Ideo et confitemur Dei Filium, nec blasphemamus eum sicut Papistae, et resistimus aliquo usque peccato. Optandum igitur esset, nos in hoc Sodomitarum similes esse, ut ipsorum exemplo rideremus, et pro ludo haberemus furias Satanae, constanter autem statueremus, sicut revera est, nos, qui in Christum credimus, a Deo diligi et custodiri.

Quod translatio nostra habet: „ita ut ostium non possent invenire", in Hebraeo est, fatigati sunt, et tamen ostium non invenerunt. לאי notum verbum est, unde לְאָה dicitur, lassa, infirma, deficiens, quae non videbatur vivere posse prae imbecillitate. Pertinet igitur particula haec ad descriptionem incorrigibilis pertinaciae, quod non cessaverunt, ut percussi sunt caecitate. Sed continuaverunt coeptum quae

bundi laborem, donec lassitudine coacti deficerent, et, sicut fatigati solent, somno opprimerentur.

Et dixerunt viri illi ad Loth: Eos, quos adhuc hic habes, generum, filios tuos et filias tuas, sed et omnia, quae habes in civitate, educ de loco isto. Nam nos perdemus locum istum, eo quod magnus sit clamor eorum coram Domino, misitque nos Dominus, ut perdamus eum.

Disputatur hic ex grammatica, an Loth habuerit plures tum filios, tum filias, si quidem Angeli dicunt, ut, si quos praeterea in civitate habeat, eos secum educat, et infra tantum duarum filiarum mentio fit. Ego Lyrae sententiam sequor, quod Angeli humano more, seu, ut homines solent, loquantur, quasi nesciant, an Loth praeterea alios domesticos seu familiares habeat. Nam supra de Loth dictum est, habuisse eum pecora, et pastores multos, ita ut cum Abrahamo habitare non posset.

Nascitur autem hic alia quaestio, ubi pecora, ubi pastores isti manserint. Nam sequens historia nihil de iis ostendit. Ego sane historiam hanc mirabilem judicare non possum, nisi forte, ut verisimile est, pastores et pecora extra urbem in agro et tuto aliquo loco fuerint. Nam quod quidam existimant, Loth coactum egestate vendidisse pecora, et dimisisse familiam, non solum non probabile, sed etiam contumeliosum est. Sin autem in urbe fuerunt, valde horribile est, quod etiam servi in domo Loth fuerint contra suum Dominum, in eandem securitatem impliciti, in qua tota civitas impia vixit. Sed relinquamus haec in medio, si quidem scriptura nul-

lam mentionem facit, et clare dicit, tantum quatuor animas servatas: quanquam tandem etiam uxor Loth in itinere perit, et tantum pater cum duabus filiabus salvatur.

Memorabile autem exemplum est insignis malitiae, quod pius paterfamilias nec unum pastorem, nec unam ancillam in vocatione potuit retinere. Decepit omnes maximum illud scandalum, quod herus solus contra se haberet totam civitatem. Sic igitur cogitaverunt: Noster herus simplex et bonus vir est, passim excipit, quicunque huc veniunt hospites, et tamen, ut solet mundus, saepe ei mala redditur gratia. Sic nunc sua simplicitate attraxit sibi malum, quod hosce hospites contra ipsorum voluntatem apud se retinuerit etc. Hoc enim regulare est, quod sancti judicentur a mundo stulti esse, et multa stulta agere. Cum igitur concionaretur de futura poena, et cuperet servare familiam, tanquam delirum senem et ridicule credulum dimiserunt. Haec sententia mihi magis arridet, et exempla docent, sic fere solere familiam, praesertim in periculis, quae ostendunt, qui veri, qui fucati sunt amici.

Notabitis hoc in loco verbum הוֹצֵא, quod interpres vertit: „educ"; est enim illud ipsum verbum, quo supra de Melchisedech in historia Abrahae Moses usus est, quod panem et vinum protulerit. Nam Papistae corrumpunt eum locum, et interpretantur de oblatione seu sacrificio, cum verbum hoc aliud nihil significet, quam quod Melchisedec protulerit in medium panem et vinum, excepturus hoc munere hospitem victorem. Itaque pertinaces impii sacrificii patroni non a theologo tantum, qui ipsas res tractat, sed a grammatico refutantur. Tam enim ineptum

est, si in historia Melchisedec verbum נשׂא pro offerre exponas, atque hoc in loco contendas, jussum Loth ab Angelis offerre omnia sua.

Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, dicens: Surgite, egredimini de loco isto, quia subvertet*) Dominus istam civitatem. Sed fuit in oculis generorum suorum quasi ludens.

Postquam quaerendo defatigati Sodomitae somno oppressi sunt, egreditur Loth, sic jussus ab Angelis, ad generos, quibus elocaturus erat filias, monendos, sibi ut caverent, et imminens exitium effugerent; sed videntur hi quoque ex pridiana crapula laborare, si quidem bonum senem etiam rident. Quid? cogitarunt, huncne locum ita subito perderet Dominus? Quam stulte credulus es, qui hospitibus istis, seu potius impostoribus credis: tale aliquid si immineret, profecto apparerent quaedam argumenta futurae ruinae: nunc autem omnia laeta et tranquilla sunt, et tu somnias exitium etc.

Sic semper accidit. Mundus quanto exitio propior, tanto securior est, ac ridet non tantum minas, sed prorsus impossibile esse credit, ut tam subito pereant. Monet Noë de futuro diluvio, et revocat suos cives ad poenitentiam: sed ridetur, et senio delirare creditur. Nos quoque concionamur de Filio Dei, venturo ad judicium, et aeternis flammis subjecturo impios. Sed haec cum vel legit vel audit Papa cum suis Cardinalibus, rident tanquam in re impossibili. Quid, inquiunt, si coelum ruat? Sicut narratur historia de Leone Pontifice, quod adhibue-

*) Edit. princ. subvertit.

sit aliquando ad mensam duos philosophos, quorum alter de immortalitate animae, alter de mortalitate disputaret. Cumque post longam et acrem concertationem Pontifici, uter *) rectius dixisset, pronuntiandum esset: Tu, inquit ad illum, qui immortalitatem animarum defenderat, vera quidem videris dicere; sed adversarii tui oratio facit bonum vultum. Sic Epicurei solent; amplectuntur carni et rationi consentanea contra manifestam veritatem.

Sed nos comminationes non negligamus, neque contemnamus. Recte enim Lyra dicit, significari per generos Loth illos, qui cum audiunt comminationem judicii divini, rident et dicunt, truffam esse.

Sed, inquies, tales si fuerunt generi Loth, cur pius senex elocavit eis filias? Nam parenti prima debet cura esse, ut piorum affinitatem quaerat, neo ex se natos conjungat cum impiis. Respondeo: Habuit Loth ecclesiolam, quam docuit, et in qua cognitionem Dei veram propagavit; in ea sine dubio ejus generi quoque fuerunt. Itaque Loth judicavit bonos et sanctos esse: corda enim inspicere non potuit: sed fuerunt hypocritae, qui pietatem ad tempus simularunt: nunc autem aperiunt se, dum verbum rident, et ridentes pereunt. Non enim credunt, serio loqui senem Loth, sed tanquam insanum ludunt et rident.

Memorabilis profecto historia, praedicanda in ecclesia Dei saepe, quantumcunque simus justificati, ne in Antinomorum insaniam incidamus, qui legem ex ecclesia tollunt: quasi vero in ecclesia omnes sint sancti, nec opus sit talibus exemplis irae divinae.

*) Ed. princeps ut uter.

Mundus quidem tales doctores amat, sicut apud Ieremiam dicunt: „Loquere nobis placentia". Sed Divus Paulus, Rom. 16. (v. 18.) non vult, suavibus sermonibus seduci ecclesiam. Arguenda enim sunt peccata, et proponenda ira Dei propter incredulos, qui in ecclesia sunt, imo etiam propter credentes, ne adhaerescenti peccato et innatae imbecillitati indulgeant. Sic ipse Christus, etsi suavissime invitat ad se peccatores, tamen impoenitentibus Pharisaeis subinde occinit horribile οὐαί.

Sed hic, quod paene oblitus eram, etiam de Angelis dicendum est, qui quasi gloriantur, quod sint missi ad perdendas civitates: „Nos, inquiunt, perdemus locum istum". Item: „Misit nos Dominus, ut perdamus istum". Hoc perinde est, ac si glorientur, se esse carnifices Dei, perditores et vastatores.

Pertinet autem hoc ad descriptionem officii et potentiae Angelorum. Nam Helias, Helisaeus et alii, sicut Hebraeorum undecimo est, etiam faciunt miracula grandia, sed non propria virtute. Oportet, accedat oratio et fides: ad haec, tanquam ad causam, sine qua non, ut philosophi appellant, sequuntur miracula. Sic Petrus orat, et in fide Christi jubet claudum surgere. Sed Angeli sunt potentes, ut faciant mirabilia sua virtute concreata ipsis.

Omnino enim hoc verum est, quod Deus mundum hunc visibilem gubernat non tantum per homines, sed etiam per Angelos. Posset quidem occidere fures sine carnificis opera, et sine magistratus civilis sententia: sicut non nunquam facit, praesertim cum homicidis. Sic posset homines creare sine conjunctione maris et feminae, sicut creavit

Adam et Evam: sed divinae majestati placuit, hominum ministerio et opera uti, ut scilicet ostenderet mirabilem et divinam suam potentiam in creaturis suis, quas non voluit esse otiosas: ideo Paulus (1. Cor. 3, 9.) vocat nos omnes „cooperarios Dei". Utitur enim nostro ministerio ad varias res. Sic etiam Angelorum ministerio utitur, quos instruxit tanta potentia, ut propria virtute seu concreata possint perdere terras et populos, si Deus sit apud eos.

Est autem haec magna gloria, tanta potentia instructos esse. Nota enim est historia, quod Angelus Domini una nocte et uno impetu sub rege Ezechia centena et octuaginta quinque millia Assyriorum occiderit. Et Christus praedicat Angelorum potentiam, cum ad Petrum dicit, Matthaei 26. (v. 53.) de duodecim legionibus, cum unus Angelus ad vertendos et perdendos hostes Christi satis fuisset. Quin historia Hiob testatur, etiam malos Angelos ingenti potentia instructos esse.

Utile autem est scire haec, ut et pii habeant consolationem, impii autem terrorem. Nos enim, qui credimus, debemus certi esse, quod proceres coelorum nobiscum sint: non unus et alter, sed magna copia, sicut apud Lucam est, coelestes exercitus apud pastores fuisse; quodsi absque hac custodia esset, et Dominus hoc modo Satanae furorem non arceret, non viveremus uno momento. Nam quid possit Satan, et quid cupiat maxime, satis certum documentum ex Hiobis historia sumi potest; excitat tempestates, mittit fulmina, seu, ut scriptura loquitur, ignem dejicit de coelo, immittit hostes, etiam ipsum corpus corrumpit, et replet ulceribus. Occupati igitur boni Angeli sunt, ne ferus hostis

noceat. Nec medicina, nec alia media per se valerent, nisi adessent Angeli. Et quod nascentibus novis morbis nova remedia ostenduntur, non hominum ea industria est, sed Angelorum ministerium, qui artificum animos gubernant et impellunt, sicut Satan etiam suos, teste Paulo (Ephes. 2, 2.) gubernat et impellit.

Quod igitur hoc in loco de bonis Angelis vastantibus et perdentibus terram dicit, eo pertinet, ut primum discamus Deum timere, si quidem habemus tam potentem adversarium Satanam: deinde, ut confidamus in bonitate Dei, qui tam excellentes proceres et duces nobis constituit, per quos suos sic potenter defendit. Quid per Turcam, per Pontificem Romanum, per fanaticos spiritus conficiat Satan, non solum corpora infestans, sed etiam animas rapiens et retinens, 2. Timoth. 2. (v. 26.), nemo nescit. Sed consolatur nos haec Angelorum custodia, quam Deus voluit potentiorem esse Satana.

Admirabilis igitur haec Dei gubernatio est per creaturas, quod totum humanum genus expositum leonibus, lupis, draconibus et omnibus horribilibus ducibus Satanae, qui instructi sunt, non tantum ut noceant gladio et pestibus et infinitis morbis, sed etiam omni genere haeresium, tamen per Angelos, qui pro piis stant, defenditur. Sic scilicet Deo placuit, suam gloriam ostendere per creaturas, sed diverso modo. Helias enim jussit ignem de coelo cadere, ac paruit ignis verbo et fidei ejus; sic jussit pluere coelum; sed non ea virtute, qua Angeli, qui propria virtute, seu dono concreato. Sancti fide et precibus obtinent, si quid tale faciunt.

Supra tractavimus quaestionem, quod Loth non

peccaverit adorans Angelos. Pertinet autem ad eam quaestionem solvendam id, quod hic dicunt Angeli, se a Domino missos. Non igitur tanquam cum Angelis, sed tanquam cum Domino loquitur: sicut etiam opera, quae jussu et mandato Domini fiunt, recte vocantur Dei opera. Itaque Christus quoque dicit (Luc. 10, 16.): „Qui vos audit, me audit". Item (Matth. 25, 40.): „Quicquid minimo ex meis fecistis, mihi fecistis". Generalis enim hic canon est, ut sive per homines, sive per Angelos aliquid boni fiat, a Domino id factum statuas, eique acceptum referas.

Ac necessaria haec regula est, ne faciamus ex Mose Haereticum, et ex Loth idolatram, qui de creatura loquitur sicut de creatore: „Dominus, inquit ad generos, perdet locum istum", cum Angeli dixissent, se locum istum perditurum. Respicit igitur Loth non ad personam Angelorum, sed ad Deum jubentem.

Simile est, quod in evangelio (Matth. 19, 4. 5.) Christus dicit: „Non legistis, quod faciens ab initio masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem" etc. Quomodo conciliabimus hic Mosen cum Christo? Moses enim clarissimis verbis testatur, hanc Adae vocem esse. Et tamen Christus Deum sic dixisse affirmat. Respondeo: quod Adam dicit, dicit auctoritate divina: ergo non ipsius hoc verbum, sed Dei est. Est igitur haec ingens gloria, qua nos ornat majestas divina, quod sic per nos operatur, ut nostrum verbum suum esse dicat, et nostras actiones suas, ita ut vere possis dicere, os pii doctoris esse os Dei; manum, quam extendis ad sublevandam inopiam fra-

tris, esse Dei manum. Sic cum Adam ad Cain dicit (1. Mos. 4. 6.): „Quare concidit vultus tuus"? recte hoc verbum dicitur Dei verbum, etsi per os Adae dictum est.

Haeretici in hac parte valdè errant, et connectunt inconsequentia, cum de verbo vocali et de Sacramentis disputant, ac Deum prorsus nudant ministerio. Qui enim verbum tollit, et id non accipit tanquam a Deo dictum, is tollit omnia. Aufer verbum de Baptismo, de Absolutione, de Coena Domini, et nihil erunt. Non solum stultum igitur, sed etiam impium Sacramentariorum argumentum est, quod dicunt, externa nihil prodesse ad salutem, et postea cumulant exempla et sententias scripturae: „Caro non prodest quicquam" (Joh. 6, 63.) etc. Faciendum enim discrimen est inter externa, et non ita in genere omnia externa abjicienda sunt. Nam externa recte tum damnantur, quod ad salutem nihil prosunt, cum sunt humano arbitrio, seu potius temerarie sine verbo Dei instituta. Alioqui Deus vult per suarum creaturarum ministerium agere. Ideo ante omnia hoc considerandum est, an externa ista fiant secundum institutionem et voluntatem Dei, vel non. Si verbum seu institutio Dei non adest, tunc recte dicis, externa nihil prodesse ad salutem, sed etiam nocere. Sicut Christus Matthaei 15. (v. 9.) dicit: „Frustra me colunt mandatis hominum".

Sed si vides, externa ista niti verbo, et divino mandato instituta esse, ibi genu flexo tacitus adora ista externa, et dic: Hoc non jubet fieri meus pastor, non Petrus, non Paulus, sed meus Pater in coelis; igitur in humilitate obediam, et credam, obedientiam hanc profuturam ad salutem.

Haec distinctio admodum necessaria est; quam quia vel nesciunt, vel negligunt Haeretici, in deformes errores incidunt. Non enim universaliter et absolute verum est, quod Suenckfeldius sic argumentatur: Nullum externum prodest ad salutem. Baptismus, praedicatio evangelii, Coena Domini sunt externa: ergo nihil ad salutem prosunt. Major manifeste falsa est. Distinguendae enim res externae sunt. Aliae enim sunt merae humanae, et ab hominibus confictae; de his major vera est. De iis autem, quae divinitus instituta et jussa sunt, major non est vera. Nam nobis ad salutem instituta sunt, sicut Christus (Marc. 16, 16.) de Baptismo dicit: „Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit". Et Paulus (Rom. 10, 10.): „Confessio fit ore ad salutem".

Sic verbum vocale est quidem vox hominis, sed auctoritate divina instituta ad salutem. Vult enim Deus gubernare mundum per Angelos et homines, creaturas suas, tanquam per sua ministeria, sicut lucem dat per solem, per lunam, etiam per ignem et candelas. Hic etiam poteras dicere: Nulla externa res prodest; sol est res externa: ergo nihil prodest, hoc est, non lucet, non calefacit etc. Tam fatuum argumentatorem quis ferret?

Manet igitur regula, de qua supra etiam dixi, quod Deus non amplius vult agere secundum extraordinariam, seu, ut sophistae loquuntur, absolutam potestatem, sed per creaturas suas, quas non vult esse otiosas. Sic dat victum, non ut Iudaeis in deserto, cum coelitus daret Manna, sed per laborem, cum diligenter facimus opus vocationis nostrae, nec vult amplius homines ex gleba figere, sicut Adamum, sed conjunctione maris et feminae utitur, quibus

eus benedicit. Hanc vocant Dei ordinatam potestatem, cum scilicet utitur ministerio, vel Angelorum vel hominum. Sicut in Propheta Amos capite tertio v. 7. notabilis sententia est, „Deum nihil facere, quod non prius significet Prophetis suis."

Si qua autem non nunquam fiunt extra ministerium vel Angelorum, vel hominum, ibi recte dixeris: Quae supra nos, nihil ad nos. Nobis enim ad ordinatam potestatem respiciendum, et ex ea judicium sumendum est. Potest Deus salvare sine Baptismo; sicut credimus, infantes, qui non nunquam parentum negligentia, aut alioqui Baptismum non consequuntur, non ideo damnari. Sed nobis in Ecclesia secundum ordinatam Dei potestatem judicandum et docendum est, quod sine Baptismo illo externo nemo salvetur. Sic ordinata potentia Dei est, quod aqua humectat, ignis urit etc. Sed in Babylone in medio igni Danielis socii incolumes vivebant. Haec fuit potentia Dei absoluta, secundum quam tum agebat; sed secundum hanc nihil nos jubet. Vult enim, nos facere secundum ordinatam potentiam.

Recitatur sententia Dionysii in scholis: Deum operari per essentiam, nos per qualitatem defluxam; sed haec quis intelliget? Qui autem illum canonem, quem posuimus, recte tenet, is potest judicare Papam et mundum in omni sua sapientia, quod scilicet Deus ordinate omnia agit per ministerium hominum. Nemo igitur consequetur salutem spiritualibus, ut vocant, speculationibus, sine externis rebus. Verbo attendendum est, Baptismus petendus, sumenda Eucharistia, Absolutio requirenda. Haec quidem omnia externa sunt, sed in verbum inclusa. Igitur sine eis Spiritus sanctus nihil operatur

Ante hoc tempus, priusquam Deus lucem evangelii ostenderet, multa scripta et dicta sunt de vita speculativa et activa. Ac in monasteriis utriusque sexus, qui fere fuerunt optimi, occupati sunt hoc studio, ut offerrentur eis visiones et revelationes. Hinc etiam factum est, ut quidam omnia sua somnia annotarent: hi scilicet omnes exspectaverunt illuminationes singulares sine externis rebus. Sed hoc quid aliud est, quam sine scalis velle adscendere in coelum? Igitur praestigiis Diabolicis saepissime delusi sunt.

Recte igitur pater quidam in eremo judicavit. Cum enim videret, Monachos suos talibus speculationibus indulgere, monuit eos hoc verbo, ut abstinerent. Si, inquit, videris tibi adscendere in coelum, et jam unum pedem figere supra limen coeli, statim eum retrahe, nec sequaris altero pede. Hic damnavit speculationes, seu vitae genus speculativum, quod indocta et imperita posteritas tantis laudibus evexit. Qui enim recte speculari volet, intueatur Baptismum suum, legat Biblia sua, audiat conciones, honoret patrem et matrem, fratri laboranti subveniat, non concludat se, ut sordidum Monachorum et Monacharum vulgus solet, in angulum, et delectetur ibi suis devotionibus, ac sic putet se in Dei sinu sedere, et commercium habere cum Deo sine Christo, sine verbo, sine Sacramentis etc.

Qui tales sunt, contemtissime loquuntur de vita activa; ac mihi quidem magno constitit, donec ex hoc errore liberatus sum. Placet enim rationi, et, ut Paulus (Col. 2, 18.) appellat, videtur esse Angelorum religio. Hypocrita Wicelius, et blasphemus apostata aliquando objiciebat mihi, nos nimis

externa docere, spiritualibus insistendum esse etc. Vult enim ratio ambulare in mirabilibus super se. Sed vos cavebitis hos laqueos Satanae, et aliam constituetis definitionem vitae speculativae, quam in monasteriis docuerunt. Nempe hanc: Vera vita speculativa est, audire et credere verbum vocale, ac nihil velle scire, „nisi Christum, eumque crucifixum" (1 Cor. 2, 2.). Is solus cum verbo suo est objectum speculationis utile et salutare; ab eo cave discedas; qui enim abjecta vel neglecta humanitate, seu carne Christi, de Deo, ut Monachi solebant, et nunc Suenckfeldius et alii solent, speculantur, aut ad desperationem adiguntur, oppressi claritate majestatis, aut jubilant stulte, ac se in coelos positos somniant, decepti a Satana, talibus praestigiis animos ludente. Ac desperantibus quidem succurri potest; sed istis, qui ceu gaudio ebrii se in sinu Dei sedere putant, non item.

Gerson quoque scripsit de vita speculativa, ac ornat eam magnis titulis, ac imperiti cum legunt talia, amplectuntur ea pro divinis oraculis; sed revera, ut in proverbio dicitur: Thesaurus carbones. Igitur seu externum, seu civilem te appellent vani speculatores isti, nihil te hic moveat; age tu Deo gratias pro verbo et externis istis, et relinque istas ampullosas speculationes aliis.

Ego legi tales libros cum magno studio, et vos quoque hortor, ut legatis: sed cum judicio. Nec nulla causa est, cur ego haec sic urgeam et inculcem, ut in ordinatam Dei potentiam et ministeria Dei intueamini. „Nolumus enim agere cum Deo nudo, cujus viae sunt impervestigabiles, et abscondita judicia", Romanorum undecimo (v. 33.).

Ordinatam potentiam, hoc est, Filium incarnatum amplectemur, „in quo reconditi sunt omnes thesauri divinitatis" (Col. 2, 3.). Ad puerum illum positum in gremio matris Mariae, ad victimam illam pendentem in cruce nos conferemus. Ibi vere contemplabimur Deum, ibi in ipsum cor Dei introspiciemus, quod sit misericors, quod nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ex hac speculatione seu contemplatione nascitur vera pax, et verum gaudium cordis. Itaque Paulus (1 Cor. 2, 2) dicit: „Nihil judico me scire praeter Christum" etc. Huic speculationi cum fructu vacemus. Illa autem unio animae et corporis, de qua Gerson magnifice disputat, saepe cum magno periculo est, et mera Satanae ludibrium, qui tales devotiones in animis excitat.

Recitatur historia de quadam Moniali, quae oblectata speculationibus suis, studiose a reliquis se separabat, ne impedirentur cogitationes. Haec cum videretur sibi aurea veste induta, et aurea corona ornata, atque ita ceu nuptiis sponsa laeta sederet et gauderet, reliquae Moniales deprehendunt Satanae ludibrium. Vident enim coronae loco in capite stercus vaccinum, quod ita somniabat auream coronam esse. Sive hoc ita sit factum, sive non, tamen ostendit, saepe homines suis speculationibus turpiter deceptos. Qui igitur securus in hac parte vult esse, fugiat tales speculationes, et magnifice sentiat de ministerio, per quod Deus nobiscum agit, et se quasi nobis conspiciendum praebet. Sed redeamus tandem ad historiam.

Et cum ad... [illegible] ..., urgebant

ngeli Loth, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam et duas filias tuas praesentes, ne forte consumaris in peccato civitatis.

Hoc morale exemplum est, quo monemur de caritate, cujus insigne exemplum Loth de se praebet. Invitus excedit urbe, non tam propter se, quam propter cives. Cupiebat enim, saltem differri poenam, si avertere prorsus non posset. Atque ea causa est, quod nectit moras et cunctatur, imitatus exemplum Abrahae, qui etiam omnem movebat lapidem, si forte servare vicinos cives posset. Caritas enim ejusmodi est, ut doleat etiam in inimicorum periculis et malis. Quod ad ipsum Loth attinet, non dubitat de Angelorum verbis; sed jam in conspectu quasi habet ardentem civitatem, igni coelitus demissa. Fides enim apprehendit verbum, et verbo credit: ad eam postea accedit caritas, ut cogitet etiam de liberando proximo, oblitus omnium injuriarum. Sed cum avertere malum non posset, dilationem cunctando quaerit, nobis in exemplum, ut etiam pro adversariorum salute simus solliciti, non tantum considerantes nostrum commodum, sed etiam aliorum.

Videmus, hodie impendere magnum et certum Germaniae malum, ac quo clamamus magis, et hortamur diligentius ad poenitentiam, eo adversarii nostri deteriores fiunt: quodsi, ut debemus, increpamus eos, blasphemant, et saeviunt in nostrae ecclesiae membra, et occidunt, quos possunt, simpliciter indomiti et urgentes suum et totius Germaniae exitium. Hic fides facit, quod suum est; statuimus enim, quod impossibile sit, ut Deus tantam blasphemiam diutius patiatur; et tamen caritas, cum poena averti

non possit, orat, ut Deus eam differat, si forte alii qui adhuc convertantur.

Sic Ezechias audiens vaticinium de Babyloniis vastaturis Iudaeam, orat, ut saltem pax fiat in suis diebus. Et in epistola Iudae (v. 22. 23.) praecipitur, ut eripiamus alios tanquam ex ignis incendio. Oremus igitur nos quoque Dominum hodie, ut non inducat in tentationem, et nos ejus iram si non retundere, tamen differre possimus, ut saltem aliqui ex futuro incendio eripiantur, quod propter peccata nostra toti Germaniae impendet.

De filiabus Loth quaeritur, an fuerint maritatae. Sed in eo nihil positum est: sponsas fuisse fere judicant. Illud igitur potius considerandum est, quod sanctae puellae, nihil motae scandalo sponsorum, patrem potius, quam sponsos sequuntur, qui piam senis admonitionem et curam secure ridebant.

Sed hic observanda singularis phrasis est, qua Moses utitur. Praecipiunt Angeli divina sententia ipsi Loth, ut egrediatur civitatem, et addunt severam comminationem: „Ne et tu rapiaris in peccato, vel propter peccatum civitatis". Diserte civitatis peccatum dicit, non peccatum hominum aliquorum, sed totius loci. Durum autem verbum hoc est, quo peccatum ita facit commune et vulgatum, ut appelletur non peccatum adolescentiae seu juventutis, non virorum aut mulierum, non plebis aut magistratus, sed totius civitatis. Necesse igitur est, tale fuisse peccatum, quod consentientibus magistratibus et universis ordinibus hominum in ista civitate sit perpetratum, et publica licentia concessum, quod pariter omnes involvit, non solum facientes, sed etiam consentientes. Tale peccatum fuit Benjamitarum, qui

foedum stuprum non solum non puniebant, vocatis auctoribus sceleris ad poenam, sed etiam totam tribum compellebant ad defensionem. Talia peccata, quae ab ipso magistratu defenduntur, qui punire debebat, properant poenam; itaque Benjamitae occidione occisi sunt, ut tantum sexcenti ex tam universa tribu superessent.

Instituit enim Deus tres ordines, quibus mandatum dedit, ne peccata sinant impune abire. Primus est parentum, qui domi suae disciplinam severe custodire debent in regenda familia et liberis. Secundus ordo est politicus; magistratus enim gladium gerit, ut contumaces et negligentes disciplinae vi cogant. Tertius est ecclesiasticus, qui verbo gubernat. Sic adversus Diabolum, carnem et mundum munivit Deus genus humanum hac triplici auctoritate in eum finem, ne scandala crescerent, sed praeciderentur. Parentes sunt ceu paedagogi; hos qui adulti sunt, et negligunt, coërcet magistratus per carnificem. In ecclesia qui contumaces sunt, excommunicantur.

Ita lucet ubique divina majestas, utens pro sua varia sapientia et infinita prudentia hominum ministerio. Qui si vocationem suam negligunt, et aut connivent ad scandala, aut non serio puniunt, alienum peccatum in se transferunt.

Peccatum filiorum si pater non reprehendat, fit proprium patris. Peccatum adulterorum, homicidarum, usurariorum sunt quidem propria civium; sed si magistratus non puniat, sicut passim hodie fit, privata illa peccata singulorum fiunt peccata civitatis, seu publica peccata, quae publicae calamitates semper solent sequi. Recte enim dicunt leges, quod

faciens et consentiens pari poena plectendi sunt. Sic si Episcopus videat errores, haereses, malos mores in ecclesia, et non corripiat, nec excommunicet impoenitentes, se ipsum constituit reum omnium istorum peccatorum. Sic Loth audit horribilem sententiam, nisi egrediatur, participem fore peccati civitatis, et periturum esse cum incredulis civibus.

Sic Moses, Num. 16. (v. 24.), cum seditiosos Dathan, Abiran et Core Dominus puniturus esset, clamat ad reliquos: „Separamini de medio impiorum, ne et vos absorbeamini". Et cum immolarent vitulis, Exod. 32. (v. 28.), viginti tria millia a Levitis occisa sunt; alioqui, si hoc non esset factum, totus populus interemtus, et populo peccatum illud imputatum esset. Et in Josua, postquam Rubenitae aedificassent altare, totus populus metuens poenam mittit legatos: „Nos, inquiunt, nondum sumus purgati a peccato Balaam, et vos novum peccatum inducitis super nos". Sentiunt enim et vident, veram esse Ezechielis sententiam (3, 18.): „Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat: ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, ego autem sanguinem ejus requiram de tua manu".

Porro hoc praeceptum de reprehendendis peccatis non solum ad doctores in ecclesia et magistratus in republica pertinet, sed ad singulos cives et domesticos. Ioseph de fratrum peccatis referebat ad patrem, et accusabat eos. Sic cives inter se non debent dissimulare peccata aliorum, et in ecclesia frater fratrem arguat, secundum Christi mandatum, ne alienis peccatis communicet. Ac in politia non

vero exempla sunt, quae ostendunt, quoties magistratus aut sustinuit, aut defendit manifesta peccata, secutum esse exitium, et publicas calamitates horribiles. Fugere igitur tum necesse est, nisi velis alieni peccati particeps fieri, et poenam alieni peccati attrahere in tuum caput. Sic in Apocalypsi (18, 4) monemur, ut exeamus Babylone, et discedamus ab ea, hoc est, ut nos prorsus separemus ab ecclesia Papae, nisi cum ea velimus etiam perire.

Quod ad ipsum Loth attinet, est homo sanctus et innocens, sine omni crimine; et tamen audit hanc comminationem: „Ne tu rapiaris": non quidem propter tua peccata, nam Angeli ad te missi sunt, ut te servent, sed propter peccatum civitatis. Oportet igitur nos sive in magistratu simus, sive privati unanimiter resistere peccatis, ne ira Dei super nos veniat, et absorbeamur omnes simul.

Recitatur in historiis Graecis de quodam Sybaritarum cive Amiri. Cum vidisset, servum ab hero ex ara protractum, confugere ad sepulchrum patris, et ibi herum motum religione paterni sepulchri servo parcere: indignum ratus Amiris, majorem religionem sepulchri, quam arae esse, venditis, quae habebat, omnibus migrasse ex opulenta et florente tum civitate Sybaritarum in Peloponnesum, quod statueret, certam poenam secuturam tales mores: ac insanire visus est suis civibus ob hoc factum. Sed ipse hujus suae insaniae pulcherrimum tulit fructum: nam Sybaris paulo post deleta est. Observandum igitur hoc est, quod semper praevalentibus peccatis necesse est venire iram Dei. Qui igitur in officio seu magistratu sunt, faciant suum officium, neque

ad ullum scandalum, quantumvis exiguum, conniveant. Quodsi praevaluerit iniquitas, fugiant, ne fiant participes alieni peccati.

Merito igitur Antinomos reprehendimus, qui affirmant, comminationes legales in ecclesia non habere locum: sed certum Dei mandatum est, quod peccata debent argui. Itaque nemo curet, quod veritas odium parit. Qui gerit gladium, severe in scandalorum auctores animadvertat, nulla habita ratione civium, offendanturne, an non. Sic doctor in ecclesia libere reprehendat, quae cum scandalo fiunt, et impoenitentes arceat a communione et aliis piis officiis. Non enim impiis contemtoribus evangelium praedicandum est, sed afflictis, miseris et male habentibus, sicut apud Esaiam (61, 1.) est: „Spiritus sanctus super me; ad praedicandum afflictis misit me, ad medendum contritos corde“ etc. non ad consolandos superbos contemtores et praefractos, quorum semper maxima pars est. Sicut Christus in parabola de semine ostendit. Et nos hoc in loco audimus regulam, alienis peccatis non esse communicandum. Etsi enim Loth non fuit magistratus, sed privatus civis et sine crimine, tamen, nisi fugisset, peccatum civitatis factum fuisset ipsius peccatum, et simul cum caeteris periisset.

Et tardante illo apprehenderunt viri illi manum ejus, et manum uxoris ejus, atque manum duarum filiarum ejus, parcente Domino illi, et eduxerunt eum, posueruntque eum extra civitatem.

Habebat Loth mandatum divinum exeundi et deserendi civitatem istam; huic mandato debebat obe-

dire. Deus enim cum loquitur, serio loquitur, nec jocatur aut ludos agit, sicut nos homines solemus, qui saepe aliud loquimur, et aliud cogitamus. Sed bonus senex vexatur ea tentatione, quae nos quoque omnes fatigat. Sicut enim Satan in Paradiso Evam perturbat injecta quaestione, cur, et quo consilio Deus prohibuerit pomi esum: ita nos quoque nostra ratio impedit et decipit, ut non simus eo contenti, quod scimus, Deum aliquid mandasse; sed stulte solliciti etiam volumus inquirere causas, cur mandarit. Hanc curiositatem Deus odit, nec vult nos esse, ut sic dicam, curistas seu quaristas. Vult nos mandato suo simpliciter obedire, et hac una ratione contentos esse, quod ipse jusserit.

Patitur igitur Loth hoc in loco humanum aliquid, quod tardat, et moratur longius, ex bona, ut judicabat, opinione. Fortasse cogitabat, Dominum mitius acturum, et saltem parsurum innocenti aetati. Sed tales cogitationes Deus noluit; simpliciter voluit, ut pareret suo mandato, et excederet civitate. Ideo Moses hoc in loco verbo quadrato seu geminato מַהְמַהּ utitur, quod ideo meo judicio significat cunctari seu tardare, quod, qui cunctantur, secum disputant, seu deliberant. Sed Deus non potest hoc מַהְמַהּ tolerare, vel pati. Qui enim jussus deliberat et cunctatur, Deum aut pro mendaci, aut pro joculario Deo habet. Si jam tibi diceret: Vade et demerge te in Albim, sine cunctatione deberes id facere. Sicut Abraam jussus circumcidi cum suis, statim paret, et audiens de immolando filio non disputat secum, in quem finem illud jusserit Deus; statim ad locum monstratum se confert. Idem Loth quoque facere debuit. Sed cunctatur et tacitus

optat, mutari Dei consilium posse, exspectans generos et familiam, si forte adhuc veniant.

Ideo sequitur dulcis textus, apprehensum ipsum eum suis, et vi ex aedibus extra urbem protractum. Non potuit enim Deus istam tardationem, seu quaeritationem, ut sic dicam, ferre: ac nisi misericordia ipsius super sanctos tanta esset, ut in Psalmo (103, 8.) est, Loth sic tardans periisset cum reliquis.

Ergo, cui libet ludere, ludat cum hominibus, cum uxore, liberis, pecunia. Non enim Deus invidet nobis, ut vivamus hilares: sed cum audis Dei verbum, vide, ut mox sine disceptatione obtemperes. Et si vel vires desint, vel alia impedimenta objiciuntur, saltem voluntas sit promta. Deus enim non vult moram aliquam, cum jubet aliquid: vult, ut cum Davide (Ps. 108, 2.) dicas: „Domine, paratum est cor meum". Talis David erat; ideo etiam erat fortunatus et felix, Saul autem factus quarista, postquam mandatum acceperat de Amalech funditus exstirpando, eradicatus est cum sua familia ex regno, nec profuit ei bona intentio, quod opimam praedam destinabat sacris usibus. Potior Deo erat et gratior obedientia erga verbum suum. Si igitur opere obedire non potes, saltem animus sit promtus; alioqui Deus offenditur graviter.

Sic in Canticis, capite 5. (v. 2. 5.) queritur sponsa, surrexisse se, ut aperiret dilecto suo; sed distillasse manus myrrha, et digitos plenos fuisse myrrha, hoc est, fatigatam cruce et lassatam esse; pessulus itaque ostii postquam aperuisset, sponsum alio declinasse, se autem turbatam esse animo. Ideo Paulus, 2 Corinth. 6. (v. 2.) hortatur , ne negligant tempus et opportunitatem, et citat ex Esaia (49, 8.):

„In die salutis exaudivi te“. Et Christus, Ioannis duodecimo (v. 36.): „Credite in lucem, dum eam habetis“, sicut nos Germanice dicimus, emendum esse, dum forum adest, ne simus מְאַחֵר, neve cunctemur, nisi impediamur viribus.

Peccat ergo hic Loth, quod differt migrationem, et non statim egreditur. Gentes quoque in civilibus damnant cunctationem, et recte Sallustius (Cat. 1. extr.) dixit: Postquam consulueris, mature facto opus est. Viderunt enim sapientes homines, periculum in mora esse, et recte pinxerunt, occasionem calvam esse, quae semel amissa retrahi non potest. Quanto autem magis convenit, ubi mandatum Dei expressum est, non cunctari, sed promte obedire sine ulla deliberatione? Cogitatio, qua Loth impeditur, bona et honestissima est; tangitur cura generorum et familiae, hos perire dolet; sed nullae rationes verbo debent anteferri. Abraham causas graves habuit, cur filii mactationem differret; sed antefert suis cogitationibus mandatum Dei. Haec obedientia Deo gratissimus cultus est, et affert secum copiosam benedictionem, sicut exempla ante oculos sunt.

Ante revelatam evangelii lucem putabatur sanctissimum vitae genus esse Monachum fieri; sed profecto perdite viximus, quotquot in monasteriis viximus. Iam, lucente verbo, una hora plus boni facimus, quam toto tempore vitae in coenobiis. Verbum enim Dei solum est, quod facit doctos, expeditos, promtos homines, qui sine difficili labore multa praeclare faciunt: ubi e contra impii diu consultant, et tamen nihil recte faciunt. Adsuefacienda igitur juventus est ad obedientiam praestandam tum parentibus, tum praeceptoribus. Ea debet cita esse; non

tarda. Tardam enim odit Deus, promtam et paratam amat: sicut inter nos quoque grata sunt officia, quae videmus promta et spontanea esse, juxta dictum vetus: Bis dat, qui cito dat.

Peccat igitur Loth, quod mandato Dei repugnat, et non statim jubenti Deo paret, ac dedisset hujus inobedientiae poenam, nisi Angeli vi eum abripuissent. Parcebat enim ei Dominus, alias propter alienum peccatum dignus fuisset, qui periret. Notandum igitur hoc exemplum misericordiae est.

Zacharias, pater Ioannis Baptistae, quia Angelo non credit, mutus factus est. Vir Dei in regum libris propter inobedientiam occiditur a leone. Filii Aaron, quia profanum ignem accendunt, occiduntur a Domino, Levit. decimo. Sed tali severitate Dominus contra Loth non utitur. Parcit et ignoscit ei, eumque quasi invitum servat: et quamquam offenditur inobedientia, tamen placet ei simplicitas. Non enim nullam habebat causam Loth, cur tardaret et contristaretur. Sperabat enim mitigationem aliquam, et libenter saltem familiam suam, pastores, tum etiam alia servasset.

Et factum est, cum illi eduxissent eos foras, dixit: Salva animam tuam; noli respicere post te, neque maneas in tota illa planitie: versus montem salvare, ne forte absumaris.

Angelus quatuor mandata dat Lotho et ejus familiae. Primum, ut salvet suam animam, quasi dicat: Quid ad te, si alii salvari nolunt? Num ideo tu cum ipsis peribis? Secundum, ne respiciat post se. Tertium, ne consistat in ulla parte hujus regionis

Quartum, ut in monte vicino consistat. Haec mandata Angeli satis ostendunt cogitationes et affectus ipsius Loth, quales fuerint. Invitus egreditur civitatem: egressus cupit in vicinia consistere, quia scilicet tangitur misericordia ruentis et pereuntis civitatis. Sed Angeli mandant: Salva animam tuam, quasi dicant: Sodomitae sunt homines incorrigibiles, venit hora ipsorum. Relictis igitur illis suam animam seu vitam sic misere negligentibus, salva tuam, ne involvaris in idem periculum. Certo enim decrevit Deus locum hunc perdere. Discede igitur longius.

Pertinet autem hoc quoque ad doctrinam. Quoties enim videbis, aliquos sicut Sodomitas habere verbum, et contemnere cum comminationes, tum promissiones, tunc cogita, salvandam tibi tuam animam, ne cum talibus pereas. Quia enim tales sunt iis similes, de quibus Salomon (Proverb. 23, 35.) dicit: „Percusserunt me, et non sensi", non potest ab eis longius abesse exitium. Sic induratus Pharao perit in mari. Et Samuel frustra flet supra Saulum regem. Qui sic in reprobum sensum traditi sunt, ab iis cavendum est, ne participemus eorum peccato, et una cum ipsis pereamus. Ideo in Apocalypsi (18, 4.) ecclesia jubetur egredi ex Babylone, hoc est, jubet, ut discedamus ab impia Pontificis ecclesia; et Paulus mandat (2 Cor. 6, 17.): „Exite de medio ipsorum", respicientes*) ad hoc Angeli mandatum: Salva tuam animam, quasi dicat: Cogita tu de tua salute; de aliorum salute frustra laboras. Est enim emphasis in pronomine Tu.

Sic Paulus (Tit. 3, 10. 11.): „Haereticum hominem post unam et alteram admonitionem devita, sciens, quod subversus est". Et Romanorum 12. (v.

*) Fort. respiciens.

19.) „Date locum irae", quasi dicat: si volunt perire increduli, pereant sane. Adversarii nostri, Papistae, eo redacti sunt, ut fateri cogantur, doctrinam nostram veram esse; non igitur amplius peccant infirmitate aut ignorantia, sed obstinatione et malitia. Ideo separemus nos ab eis, et exeamus de medio ipsorum. Agnoverunt enim veritatem, et tamen agnitam persequuntur. Quis igitur dubitet de futura eorum ruina?

Secundum mandatum de non respiciendo etiam pingit affectum Loth solliciti pro salute civitatis. Sic enim amici discedentes solent: saepius respiciunt ad suos. Iubet igitur Angelus, ut Loth in totum segregetur ab ista civitate, ita ut etiam non respiciat, ut sit prorsus sine omni affectu salvandi et commiserandi. Difficile igitur hoc mandatum est et grave. Itaque uxor Loth id non potuit servare. Cogita enim tu, si audias tempestatem post te, et clamorem pereuntium, praesertim istorum, quos caros habuisses, quomodo continere te posses, ut non saltem respiceres ad eos? Sed Angelus oblique respicit ad inobedientiam Lothi, quasi dicat: Satis peccasti hactenus tardando obedientiam; disce igitur de caetero obedire, et cave, ne respicias.

Tertium mandatum: Neque stes in ulla regione hujus loci: hoc eo pertinet, ut jubeat Lothum festinare, et recta pergere ad locum salutis, neque usquam moras nectere, aut respicere. Ac pertinet hoc quoque ad descriptionem cogitationum Loth, quaerentis varia diverticula: sicut Moses multas causas comminiscitur recusandae vocationis; sed urgetur, ut recusare non possit. Quia enim Domini vox et mandatum adest, tenemur ei obedire.

Pulchre

Pulchre quidem Seneca dixit: Non attendas, quis, sed quid dicatur. Haec regula de hominibus recte usurpatur, et in civilibus locum habet; sed in ecclesia non. Ibi enim tantum videndum, quis dicat: hoc cum Eva in Paradiso non faceret, et spectare vellet, quid diceretur, et oblivisceretur ejus, qui dixisset, cecidit. De hominibus enim fieri potest, ut sint stulti, et dicant, quae non sunt dicenda: sed Deus talis non est. Est bonus et sapiens; igitur errare non potest; igitur non quid, sed quis dicat, considerandum est.

Quartum mandatum: Adscende in montem, de situ loci nos admonet. Sodoma enim et vicinae civitates fuerunt sitae in valle ad montes Abarim versus orientem. Habet autem ea vallis magnam commendationem excellentis fertilitatis, et natura agri in plano positi fecundiores sunt, quam in montibus; jubetur igitur extra illum locum excedere in steriliorem.

Dixitque Loth ad eos: Non, quaeso, mi Domine; en, invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, et magnificasti misericordiam tuam, quam mecum fecisti, ut vivificares animam meam. Ecce ego non potero salvari in monte, ne forte apprehendat me malum illud et moriar: en est civitas illa vicina, ut confugiam illuc; illa parva scilicet, obsecro, ut salver ibi: nonne parva est, et vivet anima mea?

Hoc pulchrum exemplum est, in quo cernitur, quanta vis sit orationis, si quidem Loth illud ultimum mandatum depellit de adscendendo montem,

allegans necessitatem suam, quod scilicet in monte salvari non possit. Potuit enim tentari, et ex alio loco respicere in vallem, et sic perire. Habet autem brevis in speciem oratio omnes conditiones bonae orationis. Dat quidem Deus omnia ex gratuita misericordia, et tamen vult orari. Clarum enim praeceptum exstat, quo jubemur orare: deinde promissio exauditionis cum mandato conjuncta est; tandem orandi formula ab ipso Dei Filio est praescripta.

Discamus igitur, orationem admodum esse necessariam, nec patiamur, nobis per istam malam tentationem imponi, quod cogitamus, Deum etiam sine oratione nostra daturum, quibus indigemus: et cum sciat, quid nobis maxime prosit, oratione nihil opus est. Recte enim Augustinus dicit: Qui fecit te sine te, non vult salvare te sine te. Ideo positi sumus ad varia officia administranda, ut simus quasi adjutores, seu „cooperatores Dei", sicut Paulus appellat, 2 Corinthiorum 6. (v. 1.). Et supra dixi, posse Deum facere hominem ex luto; sed placet ei alia via, ut scilicet maritus fias, et ducas legitimam uxorem. Sic posset docere et illuminare corda sine ministerio verbi, sed non vult. Ideo ordinavit ministerium externum, et instituit Sacramenta. Sine Baptismo potest remittere peccata, sed non facit; vult, nos homines participes esse suarum operationum: itaque contemnere eas summa esset ingratitudo. Idem de oratione quoque statues. Haec enim ordinata Dei voluntas est, quod vult orari, et orantibus dare Spiritum sanctum et omnia necessaria.

Nunc videamus orationis partes. Prima conditio bonae orationis est, Deo gratias agere, et beneficia, quae divinitus acceperis, repetere animo et verbis

Sic in oratione Dominica petimus quidem quotidianum panem; sed cum initio Deum patrem nostrum appellamus, confitemur hoc ipso nomine, nos hactenus alitos et defensos a Deo esse, et omnia paterna officia a Deo accepisse. Haec igitur in rhetoricis praeceptis vocatur benevolentiae captatio, quae optime fit per laudem et gratiarum actionem.

Secundo loco est vel querela, vel commemoratio necessitatis. Ego, inquit Loth, sum in maximis periculis, si secundum tuam voluntatem adscendero in montem. Peccavi jam antea tardando: posset autem mihi similis casus accidere; ideo propter misericordiam, qua me servasti, te oro, ut mihi hoc dones, quod peto.

Tertio loco proponit, quid sibi donari velit; fugiam, inquit, in propinquam civitatem, et ibi servabor; pulchre autem circumstantiis hanc petitionem amplificat. Parva, inquit, est civitas, deinde est vicina, et potero ibi securus esse ab omni periculo.

Haec est oratio Loth, ad quam Deus consilium et propositum suum mutat, id quod diligenter notabis. Non enim hic disputandum est de secreta mutatione voluntatis divinae; sed illud potius discendum, quod Psalmus quoque docet (145, 19.): „Dominus facit voluntatem timentium se". Sic ordinata potentia Dei erat, ut sol retineret cursum et motum suum; sed cum Iosue oraret in necessitate, et praeciperet soli, ut staret, stetit sol ad vocem Iosuae. Id quantum miraculum sit, ex astronomis quaere. Causa autem quae est? Nulla alia, nisi quod Deus facit voluntatem timentium se, et submittit suam voluntatem nostrae, modo persistamus in timore ipsius. Satis autem clare dicit textus hic, Dei voluntatem

esse, ne Loth stet in ulla parte regionis; sed mutat hanc voluntatem Deus, quia Loth timet Deum et orat. Haec Dei potentia ordinata est, non secreta. Non enim vult Deus gubernare nos secundum voluntatem secretam, sed regulatam et patefactam verbo.

Pertinet igitur historia haec eo, ut excitemur et provocemur ad orationem in omnibus nostris periculis, si quidem vult facere, quod nos volumus, si modo humiles prosternamur coram ipso, et oremus. Sic Ninivitae servati sunt, quibus etiam exitii diem Propheta denuntiarat. Et sunt plura hujusmodi testimonia in scriptura, quae testantur, quod flecti se Deus patiatur, et suam voluntatem nostrae subjiciat. Cur igitur sic ad orationem sumus frigidi? Cur sic sumus sine fide et pusillanimes, quasi oratio nostra nihil sit? Monachi de sua oratione desperent, qui Deum non norunt, et prorsus sine fide sunt, ac oratio eorum non affectus, sed durus labor est, et verae inanis sonus.

Nos autem, qui habemus cognitionem verbi, cum convenimus, et in vera humilitate flectimus genua nostra, scimus non tantum edocti promissionibus, sed etiam exemplis, quod Deus velit voluntatem suam omittere, et nostram facere. Haec diligenter inculcanda sunt populo et nobis, ne frigeat in nobis affectus orandi. Deus quidem facit omnia; sed debemus nos quoque, quae nostrae vocationis sunt, facere. Dat panem alendi et servandi corporis causa; sed laboranti, serenti, metenti etc. nec debes cogitare, si terram seras, nihil ad tuum laborem secuturum. Dei enim mandatum est, ut facias tuum officium, et ipse per te vult operari. Instare igitur

debes labori et officio omnibus viribus, et omni cura tua, et caetera permittere Deo. Sic quando contra Turcas pugnandum est, primum urgeris mandato Dei, ut subditos tuos defendas; parabis igitur te, et tum arma, tum alia necessaria ad bellum comparabis, et dices: Quod potui facere, feci: quod autem in me deficit, hoc, Domine, tu supple, ut fiat tua voluntas. Ideo Paulus (Rom. 12, 11.) quoque monet, ne simus pigri studio, neve remittamus studium. Qui enim stertunt, et sicut servus in evangelio non faciunt officium, hi audient (Luc. 19, 22.): „Ex ore tuo te judico". Sedulos autem et pios ditabit Dominus; „facit enim voluntatem timentium se". Sine dubio David ex talibus exemplis, deinde ex propria experientia scripsit multos Psalmos.

Et dixit ad eum: Ecce, suscepi faciem tuam etiam in hac re, ut non subvertam civitatem illam, de qua locutus es; festina, et salvare ibi, quia non possum facere quicquam, donec venies illuc. Et hinc est, quod vocatum est nomen illius civitatis Zoar.

Mira res, et historia notatu dignissima. Voluntas Dei fuit, ut etiam Zoar civitas subverteretur cum aliis; sed quia Loth pro ea intercedit, mutat voluntatem Deus, et facit, quod Loth vult. Sic propter unum Paulum servantur in naufragio, quotquot eadem navi vecti sunt. Quod autem postea sequitur: Ego non possum quicquam facere, priusquam illuc venias, ubi tutus esse potes, ibi forte quaerat quis: Igitur Deum prohibere potest, ut non faciat statim, quae vult? Respondet Moses: Hoc facit oratio Lo-

thi; ea cogit Deum, ut non exsequatur suam iucundam voluntatem; frangi eam sinit, et facit voluntatem timentium se.

Haec valde grandia et incredibilia sunt. Debent autem diligenter notari pro nostra eruditione et consolatione, ut libenter oremus, et, sicut Paulus (Phil. 2, 14.) docet, „absque haesitatione et murmure". Est autem murmur, quando offensi cruce quaerimus ex Deo, quare hoc aut illud sic faciat. Sed, ut dixi, non debemus esse quaristae, qui ad Deum dicamus: Quare hoc sic facis? Parere debemus voluntati ejus, et si quid nos offendit in factis ejus, debemus orare. Haesitationem vocat Paulus dubitationem; ea prorsus ab oratione exclusa esse debet: nam sola est, quae orationem vitiat.

Itaque Bernhardus hortatur fratres suos, ne contemnant suas orationes, sed sciant, eas scriptas in coelis, antequam ipsi eas compleverunt. Vidit sanctus vir pusillanimitatem in orando, qua plerique omnes vexamur. Quia enim magna nostra infirmitas est et majora in Paulo, Petro et aliis dona videmus, oraturi resilimus, et indignitate nostra terremur, quod non digni sumus, qui aliquid a Deo impetremus. His cogitationibus non solum tepescit fides et ardor orationis, sed prorsus extinguitur, et ponitur in ejus locum noxia haesitatio et abominabile murmur. Quin potius sic cogitamus, Loth etiam fuisse indignum. Quis enim dignus est, ut loquatur cum Domino? Satis igitur nobis hoc sit, quod sumus vocati per verbum ad fidem, et eruditi verbo Dei. Atque ideo sumus pars ecclesiae, quae certum mandatum habet orandi. Non igitur indignitatem tuam, sed mandatum Dei intueberis, nec disputabis, dig-

dignusne sis, an non; sed promissionem retinebis, quod Dominus velit facere voluntatem timentium se.

Sic animandi sumus ad orationem, quam homines spirituali ingenio edocti dixerunt esse laborem super omnes labores. Cur hoc, nisi quod acerrima pugna est sustinenda contra haesitationem et murmurationem, quam nostra pusillanimitas et sensus indignitatis excitant? Discamus igitur nos contra has Satanae insidias munire, et intueamur in promissiones et exempla, quale hic de Loth scribitur. Non enim propter ipsum Loth haec scripta sunt, sed propter nos, ut discamus nos Dei iratam voluntatem impedire, et Deo ostendenti ex propinquo flagellum occurrere. Sicut apud Ezechielem (22, 30.) ipse Dominus dicit: „Quaesivi in eis virum, qui obstaret mihi, et non inveni, et ita effudi furorem meum". Sacerdotes quoque, qui gubernabant populum doctrina, graviter objurgat: „Vos non opposuistis murum pro domo Israël in die furoris mei" (ibid. 13, 5.).

Ergo ad iram commovetur Deus, si intermittamus orationem; negligitur enim mandatum ipsius: animose igitur et confidenter oremus. Si enim hoc, quod petimus, non datur, dabitur tamen aliud melius. Non enim oratio potest frustra esse, sicut Iacobus (5, 16.) quoque dicit: „Multum valet deprecatio justi, si sit assidua", id est, seria et intenta. Non enim potest Deus contemnere justum et universa opera ejus. Etsi enim mundus eum persequitur, tamen Deus honorat facta et dicta, imo etiam passiones ejus. „Mors quoque justorum pretiosa est in conspectu Domini" (Ps. 116, 15.).

Quod Moses de mutato nomine oppiduli Zoar addit, quae antea Bela dicebatur, ideo fit, ut Deus eam novo nomine insigniat in exemplum posteritatis, ut ipsa quoque discat timere Deum exercentem judicium super impios, et sperare in misericordiam ejus, ac petere auxilium. Utrunque enim historia haec complectitur: Sodomorum interitus pertinet ad terrendos impios, liberatio Loth cum tam liberali exauditione orationis consolatur pios, ut in periculis orent, et sperent ipsi quoque liberationem.

Et sol jam egressus erat super terram, cum Loth intraret Zoar, et Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem a Domino, et subvertit civitates illas et totam illam regionem, omnes quoque habitatores illarum urbium, et germen terrae.

Singularis hic phrasis est, quod Moses dicit, solem egressum super terram. Ostendit autem, Loth et suos sub auroram surrexisse, et compulsos exire, ambulasse cum suis sarcinulis, pane, potu et aliis necessariis, et venisse in oppidulum Zoar, quod forte Italico milliari a Sodomis aberat. Quod igitur egressum solem dicit, fortasse voluit Moses significare liberationem generis humani per Filium Dei. Sed haec differemus usque ad allegoriam.

Quae sequuntur, etsi brevia sunt, tamen tantas res complectuntur, ut humana oratione exprimi non possint. Quinque civitates opulentissimas et virentes, cum universis habitatoribus, animalibus, hortis, agris, subversas esse in una tempestate, quis non exhorrescat? Quantus ibi ejulatus, quantus clamor homi-

num, jumentorum fuit? qui omnes simul absorpti sunt. Omnino horribile exemplum hoc est, quod superat omnes omnium gentium historias. Troja subversa bello est; sed hoc nihil ad id, quod tot civitates uno momento absorbentur a terra, in quibus tot millia hominum fuerunt, adhuc per aetatem non tenentium discrimen recti et mali. Hi omnes, ne uno quidem reservato, pereunt, pereunt simul pecora et omnes fructus terrae, ita ut ne germen quidem superesset.

Haec horribilia sunt, et tamen nihil movent impios. Nam sanctus Petrus, per Spiritum sanctum locutus, inducit exemplum hoc contra Papistas de illo novissimo malo orbis terrarum. „Deus, inquit, non pepercit quinque civitatibus" (2 Petr. 2, 6.), quae in Paradiso Dei sitae erant, in optimo loco terrae, qui videbatur ceu cubile Dei esse. Originali mundo etiam non pepercit: et fuit hic eorum finis, ut hi diluvio et aquis, illi igni coelitus demisso perirent. Quare autem fecit hoc Deus? Nimirum quia voluit proponere exemplum terribile omnibus impiis. Et scribuntur haec a Spiritu sancto non propter eos, qui perierunt, sed propter secuturam posteritatem, etiam propter Papistas ultimi temporis pestes, sicut Petrus allegat.

Sed fere semper ita accidit, ut, qui terreri debent, sint securissimi: contra quibus consolationibus opus est, angantur et desperent. Sic Papa et Cardinales horribile hoc exemplum non curant, nec ad se pertinere putant; non enim credunt, Deum esse, nec iram ejus prius exhorrent, quam eam sentiant. Fugiendi igitur sunt, ne involvamur in easdem poenas.

Christus quoque non semel hanc historiam allegat. Jubet nos meminisse uxoris Loth (Luc. 17, 32.), et pronuntiat, tolerabilius judicium habituros Sodomitas, quam eas civitates, quae evangelium sine fructu audiverunt (Matth. 10, 15.). Quodsi gravius quam Sodoma puniendi sunt isti, qui verbum negligunt: quid de iis statuendum est, qui*) verbum persequuntur? Bene igitur verba Christi expendenda sunt; si non vult contemni verbum, multo minus vult, ut conculcetur, et homines propter id occidantur: et tamen hoc agit Pontifex cum suis, ut involvat orbem terrarum caedibus.

Nos igitur, sicut Loth et Abraham, sumus spectatores tantorum malorum, quae satis exaggerari non possunt, et piorum animos graviter excruciant. Sicut de Loth quoque Petrus dicit, oculos et aures ejus quotidie cruciatos. Exspectabimus autem in patientia, donec hos nostros Sodomitas Dominus subvertat, et in hoc ponemus omnem operam, ne in scelere ecclesiae Pontificiae inveniamur. Etsi enim nos quoque nostris laboramus vitiis, et, ut nihil gravius dicam, pigri ac somnolenti sumus ad verbum, tamen nihil posset nobis accidere acerbius, quam oppressio et amissio verbi. Sed mundus leve peccatum esse ducit, a verbo discedere, et eo carere exiguum damnum esse sentit. Sed valeat apud nos Petri et Christi sententia horribilis, qui Sodomitas sanctos et justos esse dicunt respectu ecclesiae Romanae, quae non solum contemnit, sed etiam persequitur evangelium, et occidit credentes. Recte igitur Petrus dicit (2 Petr. 2, 6.), posuisse Deum hoc ὑπόδειγμα iis, qui impii futuri sunt. Et Christus tolerabilius

*) Edit. princ. quae.

judicium Sodomitarum futurum esse dicit, quam talium contemtorum.

Consolemur igitur nos. Utrunque enim haec historia ostendit, puniendos ecclesiae hostes, et servandos in aeternum justos: si modo simus similes Loth et Abrahae, hoc est, si retineamus verbum et fidem. „Novit Dominus", inquit Petrus (2 Petr. 2, 9.), utrunque, „et liberare justos, et impios reservare ad interitum". Quanquam impii hoc non credunt, et cum talia exempla applicari ad se audiunt, suavissime rident in re minime ridicula, quae superat omnes lacrymas, nec ulla commiseratione, vel oratione aequari potest. Cogita enim tu, quam horribilis fuerit calamitas, in una tempestate quinque urbes cum viris, mulieribus, liberis, servis, ancillis, jumentis, pecoribus simul absorptas, ut ne quidem culmus restaret de tota illa regione? Quod autem potest clarius exemplum proponi, Deum severe irasci impiis? et tamen Christus et Petrus auctores sunt, parvam hanc poenam esse, si compares ad eam, quae Papistas nostros manet, qui non solum impoenitentes, sed etiam obstinati sunt, et manifestos errores retinent et defendunt.

Pluendi verbo utitur Moses, ut ostendat, tempestatem per ministerium Angelorum excitatam fuisse. Quae autem in tempestatibus fere concurrant, nimbi, turbines, tonitrua, fulgura, fulmina, terrae motus, rationi notum est. Sulphuris quoque meminit, quia ignis a tempestatibus excitatus semper sulphureus est, et tacta coelesti igni etiam odorem sulphuris habent. Cum magno igitur fragore et sonitu delapsus ignis devoravit civitates. Memineris autem,

Angelorum hoc opus esse; nec, ut gentes judicant, fortuito talia fieri.

Ac ab initio mundi semper exstiterunt varia exempla irae Dei, quae non sunt scripta; sed quae scripta sunt, sunt maxime memorabilia, ad docendos nos, ut fugiamus peccata, si quidem sic horribiliter Deus in peccatores animadvertit. Hoc anno in agro Neapolitano bona terrae pars apud Puteolos terrae motu et aquis effusis periit: non, ut Papistae existimant, casu aliquo, sed propter peccata populi, quorum nullus finis est.

Christus admodum familiariter et misericorditer dicit (Matth. 12, 32.): „Si quis peccat in Filium, remittetur ei: sed in Spiritum sanctum peccare", ut Papistae solent, qui incorrigibiliter, scienter et recta malitia peccant, cum tamen possint naturali dono, et sine gratia a talibus peccatis abstinere, „id vero peccatum est irremissibile". Quis enim eos cogit, quod nostros occidunt? Quis cogit, ut agnitam veritatem sic acerbe impugnent? Nonne sua voluntate coguntur, quam Satan etiam impellit?

David etiam peccat, et valde graviter, quod adulterium committit, et injustae caedis auctor est. Sed hoc infirmitatis peccatum fuit, quod cum agnosceret, et in fide peteret remitti, remissum est. At persequi evangelium, et in manifesta idolatria perseverare contra tot Spiritus sancti monitiones, quasi in despectum (recte enim sic possum dicere) divinae majestatis: haec sunt peccata in primam tabulam, quae certum sequitur exitium.

Non igitur dubito, quin Deus in illa luce evangelii auferat electos suos ex Sodomis, et congregabit triticum in horreum suum. Postea si blaspheman-

tes Papistae pergent furere, sequetur finis, hoc est, vel veniet novissimus dies, vel insignis subversio totius Papatus sequetur. Non enim mentitur Petrus, cum Sodomam vocat „exemplum impiorum" (2 Petr. 2, 6.), et ipsa natura peccatorum talis est, ut Deus non possit perpetuo ad ea tacere. Agamus igitur Deo gratias, qui liberavit nos per Filium suum a ventura ira, et per Angelos suos nos custodit, ne cum hodiernis Sodomitis pereamus.

Est autem hic non negligenda phrasis Mosaica: „pluit Dominus a Domino", qua inprimis offenduntur Iudaei, et varie eam torquent. Sed clarus textus est, quod Dominus pluat, et pluat a Domino; utrunque enim hoc loco ponitur Dei nomen, quod vocant tetragrammaton, et in Hebraeo sonanter et significanter additur articulus, quem vocant accusativum: ergo, cum bis Dominum vocat, ostendit duas divinitatis, ut loquuntur, personas, et unum Dominum. Sanctus Hilarius erudite et recte hunc locum urget, quod unus Deus sint Deus Pater generans, Deus Filius genitus, Deus Spiritus sanctus, procedens a Patre et Filio.

Iudaei sicut audaces, imo etiam temerarii sunt, exponunt articulum pro pronomine, ut sit sensus: Dominus pluit a se ipso Domino. Sed quis hos jussit eos hoc audere in Dei libro? Si enim ad hunc modum liceret eludere scripturam sanctam, nullus fidei articulus maneret integer. Igitur magistrum fieri Spiritus sancti, et docere eum, quid aut quomodo scribat, incredulorum Iudaeorum et impiorum Papistarum est. Nos autem simus et maneamus discipuli, nec mutemus verbum Dei, sed mutemur ipsi per verbum.

Iudaei hanc glossam fingunt usitata sua temeritate, ne cogantur in divinitate concedere pluralitatem personarum. Sed nos ex evangelio scimus, quod hunc loquendi modum Christus ubique servat; omnia enim tum dicta, tum facta sua refert ad Patrem „Doctrina mea, inquit (Ioh. 7, 16.), non est mea, sed Patris". „Philippe, qui videt me, videt Patrem meum" (ib. 14, 9.). „Pater manet in me, et ego in Patre" (ib. v. 10.). „Quaecunque Pater facit, eadem facit et Filius" (ib. 5, 19.). Hoc quid aliud est, quam Moses dicit? Christus docet, Christus operatur, sed a Patre, seu ex Patre. Ac Ioannes praecipue hac loquendi forma delectatus est, ut ostenderet, omnia, quae a Christo fiunt et dicuntur, fieri et dici tanquam a vero Deo, scilicet a Deo Patre, qui non est genitus, sed gignit Filium.

Nihil igitur moveamur Iudaeorum cavillis, qui hoc non recte intellectum fundamentum pro se habent, quod tantum sit unus Deus. Postea scripturam depravant, loquentem de pluribus personis. Sed tu responde: Deus quidem unus est; sed Spiritus sanctus sic patefecit Deum per verbum, quod in unica essentia divina tres sint personae. Hoc nos observamus et docemus, ac nitimur non solum auctoritate scripturae, sed etiam testimonio novi testamenti. Propriissimus enim loquendi modus in evangelio est. Christus omnia facit, omnia dicit, sed a Patre. Item (Matth. 28, 18.): „Omnis potestas mihi data est in coelo et in terra", id est, ego sum verus Deus, et inter me et Patrem nihil interest, nisi quod ego ex Patre genitus sum, Pater autem est ingenitus. Ideo recte locuti Hilarius et Augustinus, qui hac

loco usi sunt ad defendendum fidei nostrae de divinitate Christi.

Et uxor ejus respexit post illum, et facta est statua salis.

Uxor Loth, quae cum marito egreditur, haud dubie fuit fidelis et sancta mulier; alioqui neque maritum secuta esset in tanta calamitate, nec ab Angelis arrepta et educta. Quare rejiciamus fabulas Iudaicas; nugantur enim, inhospitalem fuisse, et negasse sal Angelis ad condiendum cibum, ac ideo in poenam hujus peccati conversam in statuam salis. Talibus ineptiis pleni sunt Iudaeorum libri: quin potius ipsam historiam intuentur, et colligunt circumstantias diligenter, quae manifeste convincunt, non inhospitalem, sed piam et sanctam hanc mulierem fuisse, in qua egregie lucet fides, si quidem maritum sine cunctatione sequitur, et tamen patitur hoc humanum, ut respiciat et pereat?

Apparet ex textu, ingressam eam cum marito in civitatem Zoar. Aut igitur, sicut mulieres natura infirmiores sunt, oblita est mandati Angelorum, aut putavit, nunc non amplius esse periculum, postquam ex agro in civitatem venit; sed inobedientia habet suam poenam, ac mutatur in statuam salis.

Hoc cur sic fecerit Deus, causa nulla reddi potest, et fortasse ab hac statua mare mortuum et salsum nomen habet. Non autem stetit haec statua diu, sed una cum civitate concussa et fulmine contrita est. Potest autem fieri, ut appellet statuam salis, non quod revera sal fuerit, sed quod similitudinem salis habuerit. Sal enim candidum est. Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, pa-

riter omnes hunc locum silentio praetereunt; solus Lyra, qui Rabbinos sequitur, cum eis saepe inepte rabbinisat: factum hoc fortasse singulari providentia Dei, ut scilicet nos retineremur in lectione sacrorum librorum, et non tantum occuparemur legendis commentariis hominum, qui saepe nimia curiositate peccant.

Nos igitur omissis reliquis, quae ad rem non valde faciunt, hoc contenti simus, quod uxor Loth nobis est posita auctore Christo in exemplum. Alludit enim ad eam, cum dicit Lucae nono (v. 62.): „Qui admovet manum ad aratrum et respicit, non est aptus ad regnum coelorum"; et in illa gravi concione Lucae decimo septimo (v. 32.) de novissimo die dicit: „Mementote uxoris Loth"; ex eo facile intelligimus, quid sit respicere, scilicet discedere a mandato Dei, et occupari aliis rebus extra vocationem, sicut is, qui jussus sequi Christum, prius vult sepelire mortuos suos.

Signum igitur seu documentum et admonitio haec est, ne sinamus nos impediri in vocatione nostra. Sicut Petrus, Ioannis ultimo, respiciebat ad Ioannem: sed objurgatur a Domino. Unusquisque enim in sua vocatione debet manere, et non curare, quid alii faciant. Hodie valde nos urgent Papistae exemplo superioris seculi, quo omnia jacuerunt in tenebris. Vestra doctrina, inquiunt, nova est, et ignota majoribus nostris; si igitur vera est, omnes majores nostri damnati sunt. Hi etiam respiciunt, et verbum praesens sic negligunt. Quid enim ad nos, quale Dei judicium sit super illos, qui jam olim ex hac vita emigrarunt? Nobis hodie praedicatur verbum Dei; id sine disputatione debemus audire

dire et amplecti, non debemus fieri quaristae, qui Deum interrogant, quare hoc tempore patefecerit sanam doctrinam, et non superioribus temporibus?

Pertinet igitur historia haec eo, ut discamus perseverare. Qui enim Christianus esse vult, non debet mutare propositum: non debet spectare aliam viam, seu aliud evangelium. In hac una via et sola salus est; si aliam ingrederis, periisti, et similis es uxori Loth. Quod autem ad uxorem Loth attinet, magis est hoc exemplum eruditio nobis, quam condemnatio istius mulieris, quam omnino judico sanctam fuisse, et salvatam esse; nam de misericordia Dei aliter praesumendum non est, praesertim cum ante notae vitae testimonium habeat praeclarum, quod ab ipsis Angelis educitur, et sequitur maritum.

Cur autem, inquies, sic perit? Respondeo: Humanum aliquid est passa, et ad horribiles istos fragores contra Angelorum mandatum respexit. Hujus inobedientiae fert temporalem poenam, „anima tamen salvatur", sicut de incestuoso Paulus loquitur. (1 Cor. 5, 5.). Doctrina igitur haec retinenda est, quae ut ad omnem posteritatem perveniat, sancta mulier sustinere hanc poenam cogitur, sicut Christus dicit, Lucae 17. (v. 32.): „Mementote uxoris Loth".

Omnino autem sperandum est, non esse damnatam ideo. Sunt enim talia exempla multa in sacris literis, quod Deus sanctos suos temporalibus poenis affligit, ut non pereant cum hoc mundo. Et Paulus dicit, primo Corinth. 11. (v. 32.): „Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur". Correpta igitur uxor Loth est, non est damnata. Sic filii Aaron, qui offerebant,

alienum ignem, castigati, et non damnati sunt, in signum aliis. Idem de Propheta judico, qui a leone interfectus est. Corpus ibi est passum propter inobedientiam; animae nihil accidit: ut scilicet admoneremur de timore Dei, et custodiremus severe mandata Dei. Sic statua haec vere est condimentum, et sal sapientiae, quo admonemur, non esse respiciendum, sed perdurandum, et, sicut Paulus (Phil. 3, 13.) loquitur, „tendendum in anteriora".

Ac necessarium profecto praeceptum est propter gravem hostem, quem habemus, qui dies noctesque nobis insidiatur et persequitur. Ideo Ioannes Evangelista tam studiose monet, ut maneamus in doctrina, quam initio accepimus, et Iudas (v. 3.) jubet, decertandum pro fide semel tradita sanctis. Gravissima enim ecclesiae tentatio et pestis est, quaerere nova dogmata, et discedere a via, quam verbum ostendit. Ideo Paulus Galatas (1, 6.) monet, ut caveant a talibus doctoribus, qui scandala ponunt, et in diverticula abducunt.

Nascitur autem hoc malum ex fastidio verbi, cujus singularis artifex Satan est. Sic nostro tempore Monetarius discedens a verbo excitabat seditiones: his sopitis Carolostadius cum Sacramentariis ecclesiam turbarunt. Illis quoque jam inclinantibus, Anabaptistae exorti sunt. Sic nunquam sine tentatione ecclesia est; non enim manet mundus in recto et firmo processu vocationis, sed respicit, sicut uxor Loth, quae ideo temporaliter punita est in exemplum eorum, qui futuri essent impii, quod, nisi verbum retineant, aeternam poenam sint incursuri.

Territa fortassis est horribili fragore fulminum, et ruentium civitatum; ideo respexit. Non igitur la-

lus aut levis tentatio est, avocari novis et aliis cogitationibus a verbo. Arrius cum spargeret venenum suum in mundum, magno applausu acceptus est, quia afferebat aliquid novi, hactenus non auditum in mundo. Talia fere initia omnium haeresium fuerunt: obviis ulnis accepit eos mundus, et sic admiratus est, ac si priores doctores non fuissent puri. Hoc venenum Satanae uxor Loth monet suo exemplo cavendum, ut firmi maneamus in fide semel tradita; sed mundus huic doctrinae non paret: alii propria vanitate indulgent novis, alii quaerunt gloriam, sicut Paulus dicit, 1 Timothei capite sexto (v. 5. 20.), et sic fere omnes avocantur a vero cursu.

Quam autem grave sancto viro Loth fuerit, tali occasione et propter tale peccatum carissimam uxorem, cum qua tot annos vixit, quae eum in tam longinquo exsilio tam officiose secuta erat, amittere, facile ex nostro affectu aestimabimus. Itaque cum ne in Zoar quidem videretur tutus (terruit enim eum non immerito carissimae uxoris casus), confugit in vicinum montem, et ibi se cum filiabus abscondit in specu, ne simili calamitate ipsi quoque perirent.

Et Abraham ante lucem matutinam in loco, ubi steterat coram facie Dei, respiciens versus situm Sodomae et Gomorrae, et versus universam faciem terrae illius regionis vidit. Et ecce, adscendit vapor illius terrae quasi vapor fornacis.

Inducitur hic sanctus Patriarcha Abraham, pater promissionis, quod sit spectator horribilis poe-

nae, qua quinque civitates perierunt, ut scilicet exaggeraretur et magnificaretur illa severitas irae Dei in terrorem impiorum; nam sanctissimus vir intercesserat apud Deum pro istis locis, ne ea perderet. Sed cogitur non solum aliena peccata deflere, et devorare, imo etiam suis oculis spectare interitum tot millium hominum. Haec qualis et quanta tentatio fuerit, Moses indicare voluit: cogitavit sine dubio, sicut in Psalmo octuagesimo nono (v. 48.) est: „Numquid in vanum constituisti filios hominum“? Num credere debeo, me unum et solum de filiis Dei servari, cum Deus tantam multitudinem hominum simul coelesti igni absorbeat?

Haec cogitatio et disputatio de incomprehensibilibus judiciis Dei excitat in animis murmur contra Deum, et occasionem praebet horribilium tentationum et dubitationum. Cogita enim tu, si esses in civitate aliqua, obsessa ab hostibus, et scires ex verbo Dei seu certa revelatione, omnes cives occidendos, te autem solum servatum iri, ac videres sine discrimine grassantem hostem, quam diu retenturus esses istam fiduciam de tua salute in tali periculo? Sic quoque Abraham fuit. Sed firmiter retinuit fidem, repulsis illis objectis, quae fidem labefactabant.

Auxit hoc quoque dolorem ejus, quod meminerat, totam eam regionem divino miraculo liberatam a vi hostium ante annos plus minus sex vel septem. Non solum igitur doluit, per se servatos sic miserabiliter perire, sed etiam de toto genere humano cogitavit, ad hunc modum secum syllogisans: Si hi, quibus factum miraculum, et salus per meam manum data est, adeo brevi tempore degenerarunt et

subversi sunt, quid de universo genere hominum sperandum est? Itaque cum in sequenti capite proficiscitur in Gerar, mirabiliter timet; dubitat enim, an eo in loco sint homines timentes Dei; sicut regi expostulanti respondet: „Cogitavi mecum, forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me propter uxorem meam". Hae cogitationes, quaeso, unde natae sunt? Nonne ex tali corde, quod sic cogitavit: Si timor Dei non fuit in Paradiso illa, quid in Palaestina erit?

Haec fuit prima Abrahae tentatio, quae copiose a Mose describitur, et talibus verbis, quae carnales homines non intelligunt. Quam primum, inquit, appropinquavit aurora coeli, egressus est Abraham cum maxima sollicitudine, non tantum generali pro quinque civitatibus, sed etiam pro nepote Loth, uxore et filiabus ejus, quas sciebat Sodomis habitare; sed nesciebat, an cum Sodomitis periissent. Igitur tremens et pavens cogitur propter aliena peccata plorare, et omnia adversa metuere.

Non enim putabimus, Abrahamum fuisse truncum quendam et alienum ab omni humanitate; fuit pius et misericors, ut si quis alius. Sollicitus igitur fuit pro salute quinque civitatum, et maxime pro domesticis suis. Itaque non potuit se continere in lecto; antequam illucescit, surgit, cum spe aliqua, Deum fortasse mitius acturum esse. Itaque spe, curis et pavoribus plenus statim convertit oculos ad notam regionem, adhucne sit incolumis. Notus enim affectus est, quo complectimur amicos absentes, quemadmodum Terentianus Micio de filio longius morante sollicitus est, et ego nunc de meo Philippo Francofordiae agente sollicitus varia cogito. Sic

affecti animi nihil nisi cruces et curas sentiunt. Al cogitant, quid nunc facit amicus meus, nepos meus, liberi mei, cives mei etc.? Talis tum quoque animus Abrahae fuit, plenus suspiriis et gemitibus. Brevibus quidem verbis scribuntur haec a Mose: sed non inspicienda sunt carnalibus oculis; oportet induere affectum, imo etiam effectum rerum, ut te tanquam in rem praesentem constituas, et tuum cor examines, quid fuisses cogitaturus aut facturus, si tali in loco fuisses.

Quid autem accidit, dum haec secum sic sollicite cogitat vir sanctus? „Ecce, inquit Moses, vidit adscendentem fumum, sicut est fumus fornacis". Hic demum auctus stupor et moeror est. Relicta enim fuerat hactenus aliquantula spes, Deum clementius acturum esse; sed experitur diversum: videt enim adscendere קִיטֹר, hoc est, lucidum fumum sine flamma. Nam crassus fumus noctu apparet, ac si sit totus ignis: sed ille fumus fuit lucidus, qualis esse solet exstincto jam fere, aut remissius ardente igne; cum enim procul videmus crassum fumum adscendere, statim conjicimus, incendium ibi esse; sed adhuc spes aliqua est, fore ut restinguatur. Sed cum illum lucidum fumum videmus, non jam incendium esse judicamus, sed colligimus, incendio omnia periisse. Ita Abraham cum videret tenuem illum fumum, intellexit, totam regionem igni consumtam esse.

Quae autem suspiria, qui gemitus hoc triste spectaculum secuti sunt? Ubi nunc Loth meus? Quae ejus fortuna est? Vivitne? Vivuntne uxor et filiae? Prorupit igitur in lacrymas, et territus deflevit tantam calamitatem.

Scribuntur autem haec propter impios ad amplificandam iram Dei contra peccatum, si qui poenitentiam agant, et peccare desinant. Iudaei ludunt in his gravissimis rebus. Papistae autem fere carnalibus oculis inspiciunt. Vident, Abraham, Loth et alios sanctos habere suas uxores, et occupari cura domestica: haec judicant profana esse, et indigna sanctis. Hac externa specie offenduntur; mortes autem et infernos, quibus quotidie sanctos suos exercuit Deus, non vident nec intelligunt, et tamen scriptura sancta satis haec clare proponit, nisi caeci cupiditatibus et ἄστοργοι essent, sicut Petrus (2 Pet. 3, 3.) de eis vaticinatur. Quin rident haec; sed riserunt Sodomitae quoque, et tamen venit super eos tam horribilis calamitas. Idem exspectabimus de adversariis, quanquam, cum dabunt poenas, misericordia tangemur, et dolebit nobis eorum interitus. Nec mihi dubium est, quin qui post nos vivent, ii saepe mortem optabunt; stuporem enim tantae calamitates afferunt, nec, ut in levioribus periculis solemus, lacrymis tum locus est.

Et factum est, cum perderet Deus civitates illius regionis, recordatus est Deus Abrahae, et emisit Loth de medio subversionis, cum subverteret civitates illas, in quibus habitabat Loth.

Quae hic addidit Moses de Abrahamo, pertinent ad commendationem orationis. Manifeste enim pronuntiat, quod Deus servaverit Loth non tam propter propriam justitiam, (coeperat enim jam periclitari propter inobedientiam et moram: itaque Angeli objurgant eum: „Ne et tu similiter pereas“,

Uxor autem periculosius peccavit, ac ideo durius punita est) quam propter orationem fidelis Abrahae. Quasi dicat: Sic Deus dilexit Abrahamum, ut propter ipsum servaretur Loth: noluit enim sancti Abrahae pectus in infinitum tristari; sed hanc consolationem ei reliquit, ne haberet tristitiam super tristitiam. Vides igitur in omnibus sanctorum historiis, esse vices crucis et liberationis, passionum et consolationum, lacrymarum et gaudii. Hi ergo sunt veri Atlantes portantes coelum humeris, hoc est, sustinentes pondus irae divinae, et tamen retinentes in tantis calamitatibus fiduciam misericordiae, licet in conspectu videant contrarium; atque ibi demum experiuntur, quanta vis sit fidelis orationis.

Iam sequitur textus de Loth et filiabus ejus, qui quaestionibus et confusionibus tam Iudaeorum, quam nostrorum plenus est. Nostri patres eum praetereunt fere, sive impediti aliis studiis, sive Deo sic curante, ne ecclesia multitudine librorum oneraretur. Nam ego ipse eam ob causam odi meos libros, et saepe opto eos interire, quod metuo, ne morentur lectores, et abducant a lectione ipsius scripturae, quae sola omnis sapientiae fons est: ac terreor exemplo superioris aetatis. Postquam enim in hominum commentarios inciderunt, qui sacris studiis dediti erant, non solum plurimum temporis in lectione veterum theologorum consumserunt: sed etiam tandem occupati sunt in Aristotele, Averroe et aliis, ex quibus postea nati sunt Thomae, Scoti et similia portenta. Debet igitur modus librorum esse, inter quos hi soli probandi sunt, qui lectorem deducunt ad scripturam recte intelligendam.

Et in ipsis Patribus nihil debemus amplecti, quod cum sacra scriptura non conveniat: ea sola maneat judex et magistra omnium librorum. Expedit sane, audire confitentes, sive mortui sint, in scriptis, sive vivant, et viva voce doceant: modus tamen esse debet. Et regula haec perpetuo servanda est, ut illos legamus, qui scripturam explicant. Nos destituti in hoc loco Patrum sententia, quanta dexteritate possumus, hunc locum explicabimus.

Et adscendit Loth de Zoar, et habitavit in monte una cum duabus filiabus suis. Timuit enim habitare in Zoar, et mansit in specu, ipse et duae filiae ejus.

Loth non sine causa timuit manere in Zoar; jam enim quatuor urbes perierant, haustae coelesti igni. Loth autem in ipsa civitate salutis plus amittit, quam in civitate perditionis amiserat. In Sodomis enim perierat domus, res familiaris, pecora, familia: sed hic amittit dimidiam vitae partem, uxorem scilicet, feminam sanctam, et gravissimis praeditam moribus. Cogitavit igitur: si in civitate salutis uxor mea salvata non est, forte cras idem periculum me et filias occupabit. Eja igitur meae filiae, secedamus in tutiorem locum, ubi a tentatione ista, qua uxor periit, possumus tuti esse. Relinquit igitur Zoar, quae ipsa quoque statim interit coelesti igni, sicut caeterae hausta. Nam textus clare dicit, omnem regionem esse perdendam: itaque Zoar quoque interiit, quae quinta ex his civitatibus fuit.

Hic igitur fuit exitus harum civitatum. Horribilis profecto clades, et ad terrendos impios necessaria, quae saepe inculcetur illusoribus et persecutoribus verbi. Satis enim et plus satis esset aliorum peccatorum, in quibus omnes nascimur et vivimus: sed major pars addit hanc Diabolicam malitiam, ut rideat, blasphemet et persequatur verbum. Ergo contemnere verbum Dei est antecedens, cujus certissimum consequens est, perire sulphure et flagrante igni; ita ut vix pii hoc horribile judicium videre et ferre possint.

Igitur Loth quoque territus exemplo propriae uxoris fugit: non enim posset calamitas propius eum attingere, nisi attingeret corpus ejus; sed nondum satis malorum est; ubi statuebat certam salutem fore, ibi in majus periculum incidit, secundum vulgare illud dictum: Nulla calamitas sola. Abdit se in speluncam, fugiturus conspectum non solum regionis, quae jam flammis interierat, sed etiam hominum, pecorum et ipsius quoque terrae, ne qua peccandi occasio esset. Quid igitur eum putabimus habuisse animi? Sine dubio in summis pavoribus et angoribus fuit; sed ecce, excipitur novo malo, sicut jam sequitur.

Et dixit primogenita ad juniorem: Pater noster senuit, et vir non est in terra, qui ingrediatur ad nos, juxta morem universae terrae. Veni: potabimus patrem nostrum vino, dormiemusque cum eo, ut servemus de patre nostro semen. Potaverunt itaque patrem suum vino nocte

illa, et ingressa est primogenita, dormivitque cum patre suo: et ille non advertit, cum accumberet illa, et cum surgeret.

Stultum sane hoc puellarum consilium fuit. Ideo carnales homines, qui superficiem scripturae sanctae inspiciunt, cum talia legunt, de suis cupiditatibus cogitant, et credunt, puellas has insaniisse libidine; non autem vident horrendam severitatem irae Dei, luctum et paene desperationem horum hominum. Nec minus temerarii sunt Iudaei, qui disputant, impossibile esse, quod Moses hoc loco scripsit, Loth non sensisse concubitum cum filiabus.

Ante omnia igitur vindicandus Moses est a suspicione mendacii. Nos igitur sic dicimus, hoc certum et indubitatum esse, quod Loth et filiae ejus fuerint in summo pavore et angustia, non solum propter triste spectaculum, quod tantam hominum multitudinem subito viderunt perire, sed etiam propter domesticam calamitatem, quod Loth carissimam conjugem et filiae suavissimam matrem amiserant; hic casus si quem non frangit, durius adamante pectus habet.

Iam etiam hoc verum est, quod homines in summo perturbationis gradu positi fiunt alieno animo, et tum dicunt, tum faciunt, quorum posthac obliviscuntur. Animus enim quasi demersus magnitudine perturbationis ipse se nescit. Quod igitur Loth cum filiabus concubuit, sine dubio sensit: est enim concubitus concussio totius corporis, et expergefactio animae et corporis.

Cur autem dicit Moses, non sensisse? Respondeo: Ut significet summam perturbationem, qua absorptus postea non meminit, quid fecerit. Experimur enim idem in levioribus rebus, in melancholicis et amatoribus, quorum affectus vehementiores sunt, quod multa dicunt et faciunt, quorum posthac non amplius meminerunt. Amantes enim vere sunt amentes, et sibi somnia fingunt, ut poëta (Virg. Ecl. 8, 108.) ait: non igitur novum aliquid est, quod aliquis in insigni stupore faciat rem, cujus postea non meminerit. Iudaei igitur sunt mali dialectici. Non enim scriptura dicit, quod Loth non senserit concubitum: hoc dicit, surrexisse eum, et nescivisse, quod concubuerit. Describit enim Moses magnitudinem perturbationum, et non, ut porci isti judicant, illecebras concupiscentiae.

Pertinet autem ad excusandum sanctum virum, quod non solum in summa perturbatione fuerit, sed etiam a filiabus inebriatus. Conveniunt igitur duo incommoda, perturbatio extrema et ebrietas, quae facile perturbatos occupat. Quid igitur mirum, si mane nescivit, quod noctu fecit? Ebrius loquitur aliquid, et bene sentit, se loqui. Et tamen post somnum non meminit eorum, quae locutus est.

Haec est mea cogitatio de hoc loco. Non enim possum ferre, quod canes isti dicunt, Mosen scribere impossibilia. Usitata haec sunt, etiam in levioribus perturbationibus: ut cum vel melancholia, vel amore, vel alio motu animi occupantur, non semper meminerint eorum, quae fecerint. Non igitur impossibile, sed quotidianum et usitatum est, ut homo cadat in tantum affectum amoris, odii, tristitiae,

laetitiae etc., ut prae ira vel gaudio nesciat, quid vel dicat, vel faciat: et tamen sentit, se dicere et facere aliquid.

Sed an Loth ideo penitus excusari possit, hoc non dico: et pertinet res ad aliam disputationem. Hoc tantum dico, non impossibile esse, quod textus hoc in loco de Loth dicit. Dupliciter enim ebrius est; corpus vino, et animus curis; non igitur mirum est, quod sobrius nesciat, ebrius quid fecerit. Pertinet autem hoc eo quoque, ut historias sacras discamus diligentius inspicere, nec sicut porci vel odio, vel concupiscentia excitati irruamus in scripturam sanctam.

Lyra non recte sentit, quod sanctum patrem Loth involvit in tam magnum peccatum. Sedit enim in suo monasterio, nec vidit flagrantem Sodomam, quod spectaculum non occasionem libidinis praebuit, sed animum in vehementissimam perturbationem demersit. Hoc cum Lyra non videat, cogitat fortasse, Loth ebrium saltasse in specu, et postea ista secuta esse. Sed non recte judicat, nec inspicit historiam, ut debebat, adhibitis omnibus circumstantiis. Puer si domum incendit imprudens, non ideo judicatur incendiarius esse: itaque leges ei parcunt. Sic cum rixa oritur, et irati inter se concurrunt, ibi civiliter excusantur quaedam, quod imprudentia peccatum sit, consilium autem non adfuerit. Sic Loth in tantis angustiis fuit, ut, quid faceret, nesciret. Habent pii tenerrima corda, et sunt, ut scriptura vocat, ceu vermiculi tenerrimi ligni. Sed duri et superbi facile contemnunt omnia. Debet autem judicium fieri, non secundum inexperta corda, sed

pavida, et quae iram Dei metuunt, praesertim tempore tantae calamitatis, qualem Loth sensit.

Non igitur impossibilia, sed naturalia et cum experientia consentientia scribit. Huc etiam illa circumstantia facit, quod scribit, adscendisse eum in montem, et se abdidisse in specu. Si enim mens non perturbata fuisset, potius ad Abrahamum in Hebron migrasset, quam in montem; sed perturbatus nihil potest capere consilii de ulla re facienda.

Idem de filiabus Loth sentiendum est. Nota est imbecillitas sexus; periculum autem, in quo fuerant, et subitus matris casus, quem viderant, graviter perturbarant animos: non igitur libidine incitatae, sed invitatae commiseratione singulari totius generis humani hoc consilium instituunt. Nam considera diligentius verba eorum. „Non, inquiunt, est amplius vir super terram“. Item: „Servemus semen a patre“. Hae desperationis, non libidinis aut concupiscentiae voces sunt, nitentes admodum specioso fundamento. Cogitarunt enim: Deus non vult perdere, sed conservare genus humanum. Iam autem nemo relictus est praeter patrem, qui generationem et sexum conservare possit. Cum patre igitur dormiamus necesse est. Sic nihil nisi mera sollicitudo de genere humano conservando sanctas puellas exercet. Antecedens, quod nullus vir in terra sit relictus, plenum est perturbationis: animus igitur sic perturbatus suadet concubitum cum patre, et non libido.

Haec dico, non ut excusem eas, sed ut veras causas hujus facti exponam. His enim deprehensis extenuatur scandalum, quod sequi necesse est, si

causas

causas has non videas. Sanctus est pater, sanctae sunt puellae: sed peccant uterque. Peccant autem non malitia nec libidine, sed ingenti perturbatione. Nemo igitur horum exemplo libidini suae patrocinari poterit. Si extra perturbationem et mentis compotes fuissent, abstinuissent ab incestu, et se, sicut Abraham postea facit, consolatae fuissent omnipotentia Dei, qui etiam ex lapidibus homines facere, aut mortuos revocare in vitam posset. Sed perturbatae secundum sensum praesentem concludunt: Si nullus vir reliquus est praeter patrem, ex patre habebimus semen. Est autem senex, et pudebit eum facti: inebriandus igitur erit, ut obliviscatur praesentis calamitatis, et incendatur vino senile corpus; sobrius id nunquam faciet, etc.

Non absque causa Moses tot verbis foedum factum describit. Quod enim tanta multitudo impiorum perierit, per se horribile est; sed quod Loth, spectator hujus poenae, et filiae ejus in tantum peccatum prolabuntur, horribilius est. Scripta autem sunt in terrorem omnium impiorum, imo etiam sanctorum, ne fiant securi, sed agnoscentes infirmitatem, cujus tam horribilia exempla exstant, diligentius instent orationi, et vigilent: et tamen convenit nobis, ut tum patrem, tum filias excusemus, nec aggravemus eas. Peccant enim non sicut impii, libidine, otio, securitate, malitia, sed ex ingenti perturbatione. Nullo autem modo casus ex perturbatione factus cum eo, quod deliberato fit, conferendus est: quin non fuisset Loth tam facile inebriatus, si non prius animus fuisset perturbatus. Peccavit igitur, sed venialiter, hoc est, Deus hoc peccatum ex misericordia remisit; nunquam

enim id commisisset, si sobrius et animo praesens fuisset.

Sed, inquies, cur Deus sic labi suos sinit? Nobis quidem non licet curiosius inquirere de factis Dei, et tamen facilis hic est responsio. Vult Deus, nostram imbecillitatem nobis notam esse, ne abeamus in securitatem. Loth igitur et sua sancta familia viderant Sodomitarum peccata, et merito ea erant exsecrati: sed quid nunc ipsis accidit? Tam sancti homines abominando incestu se polluunt, id quod apud Sodomitas vix factum est, aut saltem non vulgo factum est.

Causa igitur patet. Vult Deus, ut humiliemur omnes, et tantum de ipsius misericordia gloriemur; quod enim ad nos attinet, nemo altero melior aut sanctior est: nemo tam graviter peccat; si Deus manum retrahat, tu eodem peccato te pollues. Utrunque igitur hic horribilis casus docet, ut te coram Deo humilies, et assiduo pro gubernatione Spiritus sancti ad Deum ores. Iudaeorum nugae de vino propinato, et de philtro parato a filiabus, explodendae sunt. Fuit naturale vinum, quale in ea regione natum est, sine dubio et saporis optimi et lenissimi. Nam supra ejus regionis fecunditatem Moses ipse valde commendavit, Paradisum Dei appellans. Ebrius igitur Loth factus est, non quod sic immaniter biberit vinum, sed quod perturbatus animus vinum tam praestans non potuit ferre.

Quam diu Loth in monte isto habitarit, Moses non commemorat; sed verisimile est consideranti circumstantias, ab Abraha quaesitum, et in suam

domum translatum, et ibi cum filiabus alitum esse. Quomodo enim potuit nepotem ex tanta clade vix ereptum deserere, et non humanissime complecti exutum jam omnibus facultatibus, quas antea magnas habuerat, et jam viduatum uxore, et tandem etiam incestu pollutum, de quo, ut debuit, sine dubio multum doluit? Fuit enim humanissimus vir.

Haec circumstantiae arguunt. Sed Rabbini, seu, ut verius appellem, asini Iudaeórum tales circumstantias non considerant; tantum judicant de scriptura ex suis sordidis affectibus: qui tales sunt, legant Ovidium, Martialem et similes. Hic enim agitur de maximis tentationibus sanctissimorum hominum, et de acerrimis certaminibus fidei. Ipsum enim Abrahamum vide: sicut fluctus fluctum impellit, ita tentatio et calamitas alia post aliam eum excipit. Maximus ei luctus fuit, quod oratione sua non potuit servare quinque urbes. Deinde exercuit eum necessaria cura de nepote Loth; et postquam vivere eum scit, etiam resciscit de incestu. Haec omnia grandia sunt.

Ipsum autem Loth quibus cogitationibus putabimus excruciatum esse, postquam didicit, a se impraegnatas esse? Hic sine dubio, nisi ab Abrahamo crebras consolationes audivisset, dolore et luctu extinctus esset. Quid enim faciat animi dolor insignis, exempla docent, quod multi subito hoc acerrimo veneno exstinguuntur. Haec verisimiliora sunt, quam quae ex Iudaeorum sententia Lyra recitat, sedisse Loth in tabernaculo sub ficu, in domo Abrahae et Loth et filias ejus vixisse: imo mortuos esse magis verisimile est.

Sic inerudita sunt, quae de nomine Lyra affert, qui filiam natu majorem impudentiorem vocat; indidisse enim filio per hoc nomen notam, quod ex incestu sit natus. מוֹאָב enim significat: ex seu de patre. Minorem vocat verecundiorem, quae suum filium generali, et non infami nomine appellaverit בֶּן־עַמִּי, id est, filius populi mei.

Sed quaecunque tandem sit ratio nominum, historia docet, has duas gentes pulchre esse benedictas prae caeteris, nisi quod prohibitum fuit, ne admitterentur ad gubernationem: sed quanto illud praeclarum magis est, quod proava Christi, Ruth, Moabitis fuit? Abjecerat Deus seditiosum Core; sed filii ejus quantis donis ornati fuerint, ostendunt suavissimi Psalmi, qui inter Davidicos exstant. Pertinet igitur haec consolatio ad posteritatem, ne ideo desperent de benedictione, etiamsi maledictionem et iram Dei attraxerint ad se majores propter peccata. Cur igitur, inquies, primogenita filium suum vocavit Moab? Respondeo: neutiquam id fecit eo consilio, ut infamaret filium, sed ut removeret scandalum, et significaret, non libidine aut concupiscentia, sed ex perturbatione factum esse, quod concubuerit cum patre. Excusat igitur suum pudorem, et ostendit, quod omnino abstinuisset hoc incestu, si sana fuisset mens; sed perturbatam studio non malo hoc flagitium commisisse*), quod putaverit, conservationem humani generis aliter retineri non posse.

Factumque est in crastinum, ut diceret major natu ad minorem: Ecce, jacui heri cum patre meo: veni, potemus eum vino etiam hac nocte, et veni tu, et dor-

*) Edit. princ. non fuisse.

mi cum eo, ut vivificemus de patre nostro semen. Potaverunt igitur etiam illa nocte patrem suum vino, et surgens minor jacuit cum eo: at ipse nescivit, quando illa accubuit, et quando surrexit: et conceperunt duae filiae Loth a patre. Peperit autem major filium, et vocavit nomen ejus Moab; ipse est pater Moabitarum usque in hunc diem: sed et minor quoque peperit filium, vocavitque nomen ejus Ben Ammi; ipse est pater filiorum Ammon usque in praesentem diem.

Minor natu etiam certo consilio filio hoc nomen indit. Sicut enim major natu peccatum suum in filii nomine confitetur, et tamen praecidit scandalum, quod non libidine, sed perturbatione animi peccaverit, ita junior se hoc nomine בֶּן־עַמִּי consolatur, quod, quanquam ex incestu natus sit, tamen Deus eum non sit abjecturus penitus, tanquam partem sui populi. Mihi autem verisimile videtur, haec nomina filiis imposita esse ex consolationibus et concionibus, quibus eas Abraham erexit; non enim dubitabimus, et habuisse eas opus assiduis consolationibus, et Abrahamum tanquam summum Episcopum in hac re suum fecisse officium diligenter. Meae filiae, dixit, peccastis quidem graviter; sed non ideo desperetis: Deus videt corda vestra, quod non libidine et lascivia peccastis, sed quod in tanto luctu et metu animus quasi alienatus fuerit, et sui non compos. Haec est una pars consolationis, quam in nomine Moab mater ex-

pressit. Deinde addidit hanc quoque: Non est, ut metuatis, Deum vestrum peccatum derivaturum esse in filios: benedicet eis, tanquam parti sui populi, non abjiciet eos etc.

Haec est explicatio hujus capitis, non quidem accurata (quid enim in tanta mole negotiorum accuratum a me fieri potest?), sed simplex et vera. Ac memineritis, historiam hanc saepe inculcandam esse in concionibus propter impios et securos, quorum semper maxima est copia; ne fiamus similes Antinomorum, qui legem prorsus ex ecclesia ejiciunt, et securitatem in suis auditoribus fovent, quorum perditio justa est. Sepelit autem Moses hoc in loco Patriarcham Loth, hoc est, nullam posthac ejus faciet mentionem, et verisimile est, moerore et luctu sic excruciatum, ut non diu supervixerit.

onfessio Augustana. Ad fidem editionis principis in usum scholarum academicarum denuo typis exscribendam curavit brevique annotatione instruxit Dr. Georg. Benedict. Winer, Theol. in Acad. Erlang. P. P. O. 8. 6 gr.

oci communes Theologici summa cura ac diligentia postremum recogniti et aucti per Ph. Melanchthonem, item appendix disputationis de coniugio ad editionem per Ioan. Oporinum Basileae An. MDLXI factam denuo editi ab Ioan. Andrea Detzer. II vol. 8. 1 Rthlr. 8 gr.

hilonis Iudaei Opera omnia graece et latine, ad editionem Th. Mangey, collatis aliquot Mss. edenda curavit Aug. Fried. Pfeiffer. Vol. I—V. 8 maj. Charta script. 11 Rthlr. 16 gr.

eileri, Dr. G. F., ad morum eorundemque doctrinae historiam animadversiones theologicae. 8. Charta script. 12 gr.

Seileri, Dr. G. F., initia doctrinae christianae accommodata ad pueritiae captum, in us. scholar. latine reddidit Andr. S. Gesnerus. Editio altera correctior. 8. 6 gr.

— — theses theologiae dogmaticae compendium minus in us. praelect. academicar. Editio altera. 8. 20 gr.

— — doctrinae christianae compendium minus. Editio quarta. 8. 20 gr.

— — theologia dogmatico-polemica, cum compendio historiae dogmatum succinctae, in us. praelectionum academicar. adornata. Editio quarta. 8 maj. 2 Rthlr. 6 gr.

— — opuscula theologica. 8. 15 gr.

SM